OBSERVATIONUM SELECTARUM

AD

REM LITTERARIAM

SPECTANTIUM

TOMUS I.



NAPOLI

HALÆ MAGDEBURGICÆ An. 1700.
Proſtat in Officina Libraria Rengeriana.

LECTORI BENEVOLO,

S.

LÆtiorem orbis litterati effloruiſſe faciem, ex quo ad artes bonas diligentius feliciusque excolendas, in ſocietates coierunt viri eruditi, ut unitis ingenii viribus ſapientiæ ſtudia promoverent, fatendum iis eſt qui non ſunt rerum omnium plane ignari. Quod cum nobiſcum expenderemus, rem cujus non poſſit non inſignis in orbem litteratum redundare fructus, nos ſuſcepturos exiſtimavimus, ſi exemplo tot virorum eruditorum hinc inde in ſocietates coaleſcentium incitati, ſimili fere inſtituto labores ſtudiaque noſtra

conjungeremus, & tum noſtras tum amicorum meditationes de variis ad rem litterariam ſpectantibus argumentis congereremus, perque ſemeſtria intervalla luci exponeremus publicæ. Cujus quidem inſtituti noſtri nunc paucis indicanda eſt ratio. Nimirum conſtituimus nobis ipſi campum ampliſſimum ſpatioſiſſimumque, in quem excurrere & varia ex eo aliis non ita obſervata, profutura tamen decerpere fas ſit. Primo namque hiſtoriam omnem quacunque patet, cumprimis litterariam, nobis patere voluimus, ut ſi quid in hiſce doctrinæ elegantioris partibus occurrat notatu dignum, de eo obſeruatio conſcribatur. Cumprimis tamen errores refellere communes, commenta & fabulas vulgo receptas, & generi humano ab iis, quorum magna fuit auctoritas, tantum non obtruſas explodere, virorumque errorum, hæreſeos, aut etiam Atheiſmi perperam ſuſpectorum, aut iniuſte ignominia

minia a poſteris notatorum, vindicare innocentiam, & ut paucis omnia dicamus, remotis procul præiudicatis opinionibus, veritatem ubicunque ſeſe nobis offeret, indagare ſtrenue, curæ nobis cordique erit. Sic & ritus & conſuetudines, quibus hodie reſpublica ciuilis & litteraria regitur, excutere, in illarum inquirere originem, demonſtrare progreſſum, fata quæ ſubierunt, exponere, ab hocce noſtro inſtituto non reputabimus alienum. Virorum quoque quorum magna in rem litterariam fuerunt merita, aut qui præclaris facinoribus promeruere, illorum ab obliuione ut vindicetur memoria, deſcribere vitas, & quæ ad illorum fata accuratius cognoſcenda pertinent colligere, identidem nobis integrum eſſe voluimus. Hiſtoriæ autem iungemus philoſophiam. Igitur & ea quæ nobis pariter ac amicis noſtris de rebus tum moralibus, tum phyſicis, imo & medicis ac mathematicis in mentem venerint,

quæ digna nobis viſa fuerint, ut doctis innoteſcant viris, ea præcipuo quodam iure locum ſibi inter haſce obſeruationes depoſcent. Nec Jure-Conſultis aditus erit interclusus, ſed ſi quæ nobis oblatæ fuerint obſervationes rariores, a quibus Lector in iuris ſtudio, aut notitia auctorum ad iſtud ſpectantium commodum aliquod ſibi polliceri poterit, eas reliquis meditationibus interſeremus. Atque hæc cum ratio ſit noſtri inſtituti, nemo non facile intelliget, neutiquam eo has meditationes ſpectare, ut libros recens editos enarremus, qui labor eos occupat, qui Ephemerides Eruditorum ſcribunt: nihilo ſecius tamen rariores interdum libros tum veteres tum recentiores, ſiue nunc demum prodeant, ſiue iampridem publicam lucem adſpexerint, recenſere, notatu digna ex illis excerpere, placitaque Auctorum ſingularia reuocare ſub examen, nobis liberum eſſe voluimus. In quibus omnibus ita nos ge-

geremus, ut veritatis curam nobis ita ſupremam eſſe demonſtremus, ut tamen æquitatis ac humanitatis non ſimus immemores.

De utilitate quidem huius operis vix erit, uti exiſtimamus, qui dubitet. Cum tamen noſtra omnino referat, hanc perſpectam omnibus & exploratam eſſe, unicum ſaltem quod ad eam liquido oſtendendam pertinet, addimus. Nemo eſt in litteris vel mediocriter verſatus, cui non interdum obſeruationes quædam ſingulares de rebus, quæ animum eius occupant, in mentem veniant. Sed hæ raro admodum tanti ſunt, ut diſſertatio integra, aut liber de iis ſcribi mereatur. Imo ſi conſcribatur, ut in iuſtam molem excreſcat tractatio, rerum vulgarium tantus conuectandus eſt apparatus, vt eo veluti conſepultum quod præcipuum eſt, a Lectoribus vix animadvertatur. Accedit quod nec temporis, nec officii quo quisque fungitur, ratio ſemper

permittat, ſuas meditationes ita excolere & perpolire, ut eas ſolus extrudere in lucem audeat. Præterea ſi vel maxime hæc non obſtent, quo minus meditationes ſuas quisque ſeorſim exponere luci ſuſtineat, aliud tamen accedit incommodum, quod ſchediaſmata & diſſertationes quæ in juſti libri magnitudinem non excreverunt, ſubito euaneſcant & diſtrahantur, ut adeo Auctores ſperato laboris ſui fructu maximam partem priuentur. Hiſce autem aliisque eiusdem generis incommodis rectius obuiam iri non poteſt, quam ſi unico veluti faſciculo eiusmodi meditationes comprehenſæ in lucem edantur. Eiusmodi enim variarum obſeruationum collectiones utplurimum plures Lectores inveniunt, & diligentius aſſeruantur, nec tam ſubito eruditi orbis ſubtrahuntur conſpectui. Nec multo labore aut magno apparatu in cogitatis ſuis cum aliis communicandis hic opus eſt,

cum

cum ſufficiat paucis verbis rem ipſam ediſſerere, nec ullo modo de ratione augendi tractationem & amplificandi eſt laborandum.

Atque hæc cum ita ſe habeant, (ut nunc cetera commoda taceamus) nulli dubitamus, fore, ut viri docti & eruditionis gloria florentes non tantum ſuo fauore hoſce conatus noſtros fine promoturi, ſed ſi & ipſi meditationes quaſdam aut obſeruationes ſingulares habeant, quas cum eruditis communicare geſtiunt, eas transmiſſuri ſint, ut huic collectioni inſerantur. Id vero uti ad rem litterariam promovendam ſine dubio multum conferet, ita nobis hoc longe gratisſimum fore profitemus, modo iisdem legibus fiat, quas nobis ipſis præſcribere conſultum duximus. Nimirum primo, ut meditationes quas nobiſcum commnicaturi ſunt, hiſque collectionibus inſeri cupiunt, non nimis ſint prolixæ, neceſſe eſt, nec duarum quas vocant plagularum menſuram

multum excedant. Deinde ut ſelecta ſint, nec protrita aut aliis iampridem obſeruata, vel rectius etiam aut melius pertractata, cumprimis autem utilia & profutura, quæ inſeri hiſce opuſculis debent, merito poſtulamus. Inepta enim, quotidiana, ludicra, inutilia, orbi erudito ut obtrudamus, nemo niſi improbus & impudens a nobis exegerit. Denique ut ſuis ſumtibus ad Bibliopolam Hallenſem, cuius impenſis hæ obſervationes imprimuntur, ſuas meditationes mittant, qui eas additas noſtris volunt, rogantur; ea autem humanitatis officia iterum a nobis expectent, quæ ſuo iure ab omnibus exigunt, qui litterati orbis commoda ſtudiis ſuis atque laboribus promouent.

Sed unicum adhuc addendum eſt. Cum hæ obſervationes diuerſos agnoſcant Auctores, fieri ſane aliter non poterit, quam ut ſi forte de uno eodemque argumento verba faciant, diuerſas foueant atque tueantur ſenten-

tentias. Ex eo autem ſi quis colligeret, unum Auctorem pugnantia ſecum ſcribere, is cum ratione inſaniret. Etenim cum nihil fœdius ſit & ingenuo homine indignius, quam illud ſeruitutis iugum; quod a nonnullis eruditis imponitur, omnia ſua placita ad alterius mentem ſententiamque attemperare, ab hoc quoque omnes qui ſua nobiſcum conſociare ſtudia volunt, liberos atque immunes eſſe volumus. Gaudeat ergo quiſque libertate ea expromendi, quæ veritati conſentanea putet, nec cogitet unquam, quam alius forte qui in eodem campo deſudat, foueat ſententiam: nemo hoc ægre feret, nemo inde occaſionem litigandi arripiet. Unde rurſus & iſtud ſua ſponte conſeqitur, improbe illos acturos, qui ſententiam quam forte aliquis in his obſeruationibus ſtabiliendam ſuſceperit, aut ceteroquin foueat, aliis qui ſuas ſymbolas ad eas conferunt, imputauerint.

Quod

Quod monere ſuperuacuum plane fuiſſet, niſi noſtri ſeculi hoc iusſiſſent mores, per quos non eſt inſolens, ſi quis forte iniuſtis cenſuris vexandus eſt, ea omnia corradere, quæ inuidiam illi apud alios conflare poſſunt. Quod ſupereſt Deum præpotentem ſupplices veneramur, omnium qui aliquid ad hocce inſtitutum collaturi ſunt, cogitationes & conſilia ita dirigat, ut reſpublica tum eccleſiaſtica tum litteraria magna inde percipiat emolumenta.

OBSERVATIO I.

ORIGINES PHILOSOPHIÆ MYSTICÆ, SIVE, CABBALÆ VETERVM EBRAEORVM BREVIS DELINEATIO.

Σύνοψις.

IN *hiſtoria philoſophica agendum quoque de philoſophia myſtica, ſiue theoſophica,* §.I. *Quid per eam intelligatur.* §.II. *Diſcrimen eius a Theologia myſtica.* §.III. *Quod ex Ebraeorum Cabbala fluxerit, probatur primo teſtimoniis eorum, qui illam impugnarunt.* §.IV. *deinde teſtimoniis eorum, qui illam profeſſi ſunt, aliisque rationibus.* §.V. *Cabbala Ebræorum duplex, ſymbolica & dogmatica.* §.VI. *Per ſymbolicam quid intelligatur.* §.VII. *Aliud Cabbalæ ſymbolicæ exemplum,* §.VIII. *Cabbala dogmatica quid? & quotuplex?* §.IX. *Scriptoribus N. T. multa facta veterum ex Cabbala hiſtorica innotuiſſe, docetur.* §.X. *Summa Cabbalæ dogmaticæ.* §.XI. *Præcipuum caput doctrinae Chriſtianae de oecomia regni coelorum ex Cabbala dogmatica fluxit.* §.XII. *Orationem dominicam ſummam doctri-*

nae Cabbaliſticae de decem Sephiroth, continere, oſtenditur. §. XIII. *Veſtigia Cabbalae dogmaticae in epiſtola ad Coloſſenſes, deteguntur.* §.XIV. *itemque in Apocalypſi Iohannis.* §. XV. *Conſenſus denique Cabbalæ Iudaicae cum antiqua Chaldaeorum atque Perſarum philoſophia, demonſtratur.* §. XVI.

§. I.

HIſtoriam philoſophicam nondũ tanta diligentia excultam eſſe, aut doctorum virorum ſtudiis exornatam, vt non iure multa in ea deſiderari queant, nemo abnuet, quem unquam cura accuratius eam pertractandi, ſubiit. Præſertim de *philoſophia myſtica ſive theoſophica* eiusmodi Scriptores aut nihil omnino tradunt, aut talia, quæ eorum aut ignorantiam, aut animum ab inquirenda veritate alienũ, ſatis ſuperque prodant. Operæ ergo pretium fuerit, vel indicare ſaltem, quid inquirendum hic eruditis reſtet, quam latus ingenii vires periclitandi campus veritatis cultoribus ſe offerat, ſi animum affectuum expertem, & veritatis ſtudio inflammatum ſecum afferant.

§. II. Myſticæ autem ſiue theoſophicæ philoſophiæ nomine, eam intelligo naturalium diuinarumque rerum ſcientiam, quam Ebraeis olim receptam, & forte ab ipſis patriar-

chis

chis ad eos deriuatam, & ita iuſta ſerie propagatam, non niſi ſanctis puriſque mentibus, & virtutis ſtudio unice deditis, obtingere docent, qui eam profitentur. Cumque non omnes capiant, nec capere poſſint, quæ in ea traduntur, interdum etiam ſtudio occultata ſit, hinc *myſtica* dicitur. Accedit ratio eam tradendi obſcurior plerumque, vt nouam denominationis cauſam hinc arceſſere liceat. *Theoſophica* autem audit, partim quod ex diuina revelatione dogmata ſua acceperint primi huius philoſophiæ auctores, partim quod non accedente illuminatione, eam capere nemo poſſit.

§. III. Poſſet quidem facile aliquis in hanc ingredi ſententiam, totum Theologorum myſticorum exercitum philoſophiæ myſticæ cultoribus eſſe adiungendum, ſed accuratius rem perpendentibus facile conſtabit, *theologiam* inter & *philoſophiam* myſticam theoſophicamque ingens intercedere diſcrimen. Id quod de ea theologia myſtica, quae in Eccleſia Romanenſi per aliquot ſecula plurimos cultores habuit, maxime intelligo. Namque in rerum omnium originem atque mutationes, quas ſubiturus eſt orbis vniverſus, inquirit myſtica philoſophia, de quibus apud theologos qui myſtici vocantur, altum eſt ſilentium. Et præterea, quæ philoſophi noſtri de Deo tradunt, longe propius ad

Ebraeorum diſciplinam accedere videntur, quam quae Theologi myſtici hac de re docent, quippe qui hoc vnice agunt, vt viam demonſtrent, qua animæ humanae ad perfectam cum Deo vnionẽ etiam in hac vita peruenire queant: qua de re tamen dum ſoliciti ſunt, & ad ea quae in mente ſua fiunt, ſolerter attendunt, contingit interdum, vt naturales imaginationis effectus pro diuinis operationibus habeant. Quo ipſo tamen non nego, in theologia myſtica quædam theoſophicæ philoſophiæ veſtigia occurrere. Nec aliter temere fieri poteſt, cum a *Platone* plurima acceperint myſticæ theologiæ conditores, qui vt plurima quidem ab Ebræis accepit, ita multa tamen ex ſuo ingenio iis quae acceperat, addidit, vt præter Platonem alii quoq; Ebræorum ac gentiliũ philoſophi illi conſulendi ſint, qui omnia theoſophicae philoſophiae arcana proferre in lucẽ cupit. Atque hoc cum myſtici eccleſiae Romanenſis theologi non fecerint, quaedam equidem huius doctrinae per Platonem & Dionyſium Areopagitam acceperunt veſtigia, plurima tamen ipſis manſerunt incognita, multa quoque ipſi excogitarunt, antiquis Ebræorum & gentilium philoſophis ignota.

§. IV. Sed ad philoſophiam theoſophicam myſticamque vt redeam, non tantum ipſi qui hanc profitentur, ex ipſa *Ebraeorum Cabbala* originem eius accerſunt, ſed & qui eam oppugnant

gnant, & tantum non vt ineptam ridiculamque plane reiiciunt, eosdem illi natales aſſignant. Quo ipſo dum adducere eam in contemtum omniumque ludibrio exponere annituntur, mea quidem opinione errant vehementer, cum hoc potius in eius laudem cedat, eamque omnibus reddat commendabilem, quod ſcilicet enata ſit ex ea philoſophia, quam ſanctiſſimi quique viri in gente Ebraea magno ſtudio diligentiaq; coluerunt. Niſi forte Cabbalae nomine intelligant doctrinam quandam heri aut nudius tertius a Iudaeis inuentam, & antiquis gentis huius doctoribus plane ignoratam: in quo rurſus eos errare ex iis, quae dicentur, manifeſtũ fiet.

§ V. Sed quicquid ſit de teſtimoniis aduerſariorum, quae ceteroquin ſi faueant ei, qui accuſatur, omnino magni ponderis ſunt, & momentum trahunt: domeſtica illorum qui huic philoſophiae addicti ſunt, conquirere nõ neceſſe fuerit, cum haec vbique fere ſeſe offerant. Poſſemus ceteroquin prouocare ad *Theophraſtum Paracelſum* celeberrimum myſticae huius philoſophiae reſtauratorem, qui integrum eorum catalogum texit, qui hanc philoſophandi rationem ſecuti ſunt, interque eos poſt Hermetem, & Zoroaſtrum, Salomonem ipſum ponit, *in Iſagoge num. 4.* quem ſanctioris iſtius philoſophiae quam Cabbala veterum exhibet, fuiſſe peritiſſimum nemo forte

dubitat. Atque conſentiunt cum eo paſſim ceteri, niſi quod ſubinde quoque omnes de diuina quadam *illuminatione* loquantur, per quam ſe ea quae ſciunt, fuiſſe edoctos ſub innuunt. Unde nonnullis enata fuit occaſio hosce ſcriptores traducendi, ac ſi non tantum ἀσύςατα & inepta proferrent, ſed *inſpirationem* quoque diuinam perperam jactarent. Aſt forte de *voluntatis emendatione* loquuntur, eamque Spiritus S. ope fieri contendunt, vt ita fonte omnium errorum ac praeiudiciorum purgato, intellectus ad capiendam veritatem ſublimioris philoſophiae fiat idoneus. Vt adeo talis illuminatio vel inſpiratio, cum Cabbala et dogmatum ex philoſophia Ebraeorum derivatione, probe conſiſtere poſſit. Et ita capio, quæ hac de re *Robertus Fluddius* docet: *Nonne diuina eſt Cabbalæ vera ſcientia & veneranda, cum impoſſibile ſit, vt quis ad eius perfectionem attingat, ſine Spiritus S. aſſiſtentia, cuius eſt huiusmodi myſteria divina docere & homines in omnem veritatem deducere. In Tractat. Apol. part. I. cap. II.* Sed quicquid huius ſit: mihi conſtitutum non eſt omnia horum auctorum defendere placita, ſed in philoſophiae huius inquirere originem. Et ſane quod ex Ebraeorum haec recte derivetur Cabbala, ſi vel maxime abnuerent, qui eam profitentur, facile tamen ex dogmatum comprobari poſſet conuenientia, de qua alibi.

§. VI. Nunc de Cabbala ipſa doctrinaque

que cabballiſtica exponendum eſt, cum niſi de eius antiquitate conſtet, fruſtra forte de derivanda hinc philoſophia theoſophica laboretur. Et ſane conſideranti accuratius ſtudia *remque litterariam veterum Ebraeorum*, facile patebit, poſitum jam pridem huic genti in more fuiſſe dogmata quaedam dogmatumque ſymbola, quae a maioribus acceperant, magna cura ac ſolicitudine propagare ad poſteros. Duplicē enim eſſe Iudæorum Cabbalam, *ſymbolicam* ſiue litteralem, & *dogmaticam* ſiue realem, notius eſt, quam vt hic inculcari prolixius debeat; vtramque vero tempore Chriſti jam in vſu fuiſſe, & vtriusque multa ad nos peruenisſe rudera, deinceps demonſtrabitur.

§. VII. Et ad *ſymbolicam* quidem quod attinet, per eam non tantum intelligo iſtam, quam *artificialem* nonnulli vocant, & cuius tres vulgo ſpecies *Gematria*, *Notarica* & *Temura* conſtitui ſolent, licet Menasſeh Ben Iſrael *Concil. in Exod. Q. 50. p. 170.* tredecim eius modos conſtituat, ſed quoque illam, qua certa facta, aut res ſacras vt ſymbola dogmatum adhibebant, & a maioribus, aut viris ſapientiae laude florentibus adhibita, retinebant. Iuuabit haec aliquo declarare exemplo. Ad perſonam munusque Meſſiae adumbrandum, quin varia adhibuerint ſymbola, nemini harum rerum perito forte erit dubium. Prae ceteris autem *cultus Leuitici partes* eos huc accommo-

 mo-

modaſſe, praeeunte Moſe diuinitus haec myſteria edocto, vel ex *Paulo* diſcimus, cuius *epiſtola adEbraeos*, niſi me omnia fallunt, ex Cabbala iſta ſymbolica fluxit. Sane niſi Apoſtolus in diſciplina Ebraeorum probe verſatus, ſciviſſet haec dogmata vel ſymbola potius ceu domeſtica, & quae ob maiorum autoritatem Ebraeis reiicere nefas erat, ab Ebraeis admisſum iri, dubito an iſtis probationibus fuiſſet vſurus. Quodſi enim aliquis tali docendi genere vteretur apud hominem illi non aſſvetũ, vitio vertere huic non poſſet, ſi rationem ab eo poſtularet, qua probaret, tabernaculum aut aliam cultus Levitici partem aliud quid repraeſentaſſe, & cum ſymbolum ſiue imago ad plures res referri poſſit, ſi rurſus quaereret, cur hanc non aliam ſignificaret? Et, potuiſſent Ebraei ad quos Apoſtolus ſcribebat, idem ex eo quaerere, quaeſiuiſſent etiam forſan, niſi per Cabbalam iam tum de re ipſa, tum de modo tradendi ſeu ſymbolis, certi fuiſſent. Apoſtolo autem qui haec omnia ad Ieſum Chriſtum accommodabat, facile erat hoc modo Ebraeos plane conuincere.

§. VIII. Haec vero noſtra aſſertio ne nudis inniti conjecturis videatur, alio exemplo, quod rem plane conficiat, eam declarabimus. *Matthaeus* Euangeliſta ad Chriſtum applicat verba Hoſeæ: *ex Aegypto vocavi filium meum cap. IX. 1.* Ipſum autem prophetam euoluentibus

bus patebit , ſermonem ibi eſſe de populo Israëlitico. Quo iure igitur de Meſſia interpretatur , quod de populo Israëlitico apud prophetam dictum erat? Optimo iure haec facit, cum apud Iudaeos vſitatum fuerit , hoc Prophetae dictum ad Meſſiam accommodare, vti hodienum ex *Midraſch Tebillim Rabba* conſtat, & præclare non ita pridem *Allixius* obſeruauit, *in libro Anglicano , quo Eccleſiæ Judaicæ fidem doctrinamque opponit Un tariis.* Ecce luculentiſſimum Cabbalæ Symbolicæ exemplum. Dubium ergo nullum eſt , quin & Apoſtolus Paulus cultus Levitici partes ad Mesſiam applicando & ceteri ſcriptores ſacri Novi Teſtamenti, *dicta V. T.* in quibus de Meſſia non agitur, itidem *ad Meſſiam referendo*, Cabbalam Ebræorum fuerint ſecuti. Et fieri certe potuit , ut ab ipſo *Moſe* aliisque *prophetis virisque ſanctis* , nonnulli ritus aut facta aut dicta ceu ſymbola doctrinæ ſacræ primum adhibita , & ita deinceps propagata ſint, potuerunt autem etiam ab aliis deinceps alia ſymbola excogitari & adhiberi. Unde ſane tot *allegoricæ* ſcripturæ *interpretationes* fluxerunt, quibus Ebræorum maxime & *Philonis Judæi* ſcripta abundant , a quo *Eccleſiæ Chriſtianæ patres* eam interpretandi rationem acceperunt. Valde tamen veroſimile eſt , multas allegoricas interpretationes ceu dogmatum ſublimiorum ſymbola Philonem, atque ceteros Ebræos per

Cabbalam accepiſſe, licet forte ipſi novas excogitauerint. Et idem de ſcriptoribus novi teſtamenti ſentio, quod plerasque interpretationes allegoricas perCabbalam acceperint, quasdam more in gente Ebræa recepto, ipſi excogitauerint. Id quod luculentius probari poſſet, ſi plura Cabbalæ ſymbolicæ veteris monumenta ad nos perveniſſent, aut quæ pervenerunt, diligentius excuterentur.

§. IX. Atque vt ex hactenus allatis elucescit, Cabbalam ſymbolicam tempore Chriſti & Apoſtolorum apud Ebræos iam in uſu fuiſſe, ita de *dogmatica* idem facili negotio comprobari poteſt. Intelligo autem per dogmaticam Cabbalam eam, qua dogmata tum *theologica*, tum *philoſophica*, tum etiam certorum *factorum* notitia, iuſta ſerie apud Ebræos propagabantur.

§. X. Et ad *factorum* quidem quod attinet notitiã, pluribus demonſtrari exemplis poteſt, ſcriptores quoque ſacros novi teſtamenti ſubinde ad facta & res geſtas ceu notas admodum provocare, quarum tamen in V. Teſtamenti libris nulla injicitur mentio, manifeſto documento, illos ex *Cabbala* eas hauſiſſe. Vnde *Paulo* conſtabat præ ceteris Magis *Iannem atque Iambrem* Moſi ſe oppoſuiſſe, niſi ex Cabbala? Vnde *Iudæ* Apoſtolo conſtabat *Michaelem Angelum cum Diabolo de Moſis corpore disputaſſe*, niſi ex Cabbala? vid. *2.Tim. III. 8.* & *Iudae*

de epiſtola v. 9. Et niſi ex libro quodam apocrypho hauſit, quae idem *de Prophetia Enochi* memorat, ſine dubio ex Cabbala, ea ſcilicet quae factorum aut dictorum quorundam cuſtodiebat memoriam, accepit. Ex eadem Cabbala *Stephanus* didicit, quod de *Moſe* narrat, eum *in omni Aegyptiorum doctrina fuiſſe inſtitutum. Act. VII. 24.* Certe idem & *Philo* Iudæus de Moſe memoriæ prodidit, evidentiſſimo documento, Iudæis ex Cabbala idem fuiſſe ſatis notum. An autem Matthæus ex Cabbala edoctus fuerit, *quatuor ultima capita Zachariae a Jeremia conſcripta eſſe,* adeoque hanc ob cauſam pro Zacharia Ieremiam poſuerit, nunc non definio. Sunt qui aliam huius rei afferunt cauſam ex *Tract. Talm. Baua Batra fol. 14. col. 2.* qua de re forte alibi. Et hæc dogmaticae Cabbalae, quae circa factorum notitiam verſatur, antiquitatem ſatis evincunt.

§. XI. Dogmata autem quae in Cabbala veterum Ebræorum traduntur, aut ad theologiam ſpectant, aut ad philoſophiam naturalem. Ad *theologiam* ſpectat doctrina *de decem Sephiroth,* quippe quae *regni diuini* oeconomiam, quae ſumma eſt veteris theologiæ judaicae, admirabilem utique & longe ſapientiſſimam, exhibent. Et licet haud abnuam, indigitari hic quodammodo tum regnum internum, quod eſt in ipſis hominibus, & praeterea inter externa, tum regnum naturae, tum etiam

etiam angelicum, nullus tamen dubito, praecipua quadam ratione ad naturam *eccleſiae*, quae eſt per eminentiam quandam regnum Meſſiae, adumbrandam haec omnia pertinere. Obſervarunt enim viri harum rerum periti, & recte eos hoc obſervaſſe, res ipſa docet, *regnum* ſ. מלכות quod in extrema tabulae Sephirothicae parte ponitur, ſcopum & finem indicare, ad quem tota haec theologia Judaica ſpectet. In ſuprema autem tabulæ parte *corona*, *ſapientia*, & *prudentia*, hoc eſt tres diuinae hypoſtaſes, Pater & Filius & Spiritus S. in una linea collocantur, cum Deus principium ſit & cauſa admirabilis huius & ſapientiſſimae œconomiae, quae in omnibus eius regnis, maxime autem in Eccleſia conſpicitur. Etenim quod per iſta nomina tres perſonae, ut noſtro ſtilo vocantur, Trinitatis indigitantur, ex ipſa Cabbaliſtarum explicatione, tam manifeſtum eſt, ut cœcum plane & rudem eſſe oporteat, qui hoc agnoscere nolit. Quae autem inter regnum & regni huius auctorem interiacent nomina, *magnitudo*, *potentia*, *pulchritudo*, *victoria*, *gloria*, *duratio* attributorum diuinorum, quae in hac œconomia maxime conſpiciuntur, ſunt ſymbola, ſimulque ſi ipſum regnum illis addatur, *ſeptem claſſes ſeptemque periodos* rerum omnium in omnibus regnis haud obſcure deſignant.

§. XII. Et haec quidem cum eleganter in-

inter ſe conſpirent, non eſſe otioſorum ingeniorum commenta, ſed *theologiae Judaicae*, qualis iam *tempore Chriſti* fuerit, argumenta praeclarisſima, ex clarisſimis huius rei veſtigiis, quae in N. T. pasſim occurrunt, luculentisſime evinci poteſt. Unde & Cabbalae huius dogmaticae antiquitas rurſus eluceſcit. Non afferam quae iam aliis obſeruata ſunt, ſed quae mihi haec meditanti, in mentem venerunt. Conſtat de nulla re *Chriſtum* ſeruatorem ipſum ſæpius verba feciſſe, quam de *regno cœlorum*. Pleraeque parabolae huc ſpectabant, ut declararet indolem *regni cœlorum*. Cum *Iohannes* primum in lucem prodiret viam muniturus ſervatori, prima eius vox quae audiebatur, haec fuit: *corrigite vos, inſtat enim regnum coelorum*. Summa ergo *doctrinae Chriſti & Iohannis* fuit, œconomia regni coelorum per Chriſtum erigendi. Eadem fuit ſumma *doctrinae Cabbaliſticae*, quippe quae unice tendebat ad מלכות, unice eo erat comparata, vt oeconomiam regnorum divinorum, praecipue Mesſiae exhiberet. Iisdem ergo verbis cum ſummam doctrinae ſuae exprimat ſervator, quibus Cabbaliſtae, quis dubitet eum hoc ipſo Cabbalam iſtam dogmaticam veterum Ebraeorum ſuo approbaſſe calculo?

§. XIII. Sed hoc forte nemini adhuc obſervatum eſt, in ipſa *Oratione Dominica* doctrinam Sephirothicam uelut in compendio exhi-

hiberi. Quod ita demonſtro. Poteſt oratio Dominica in duas dividi partes, quarum prima Deum, ad quem preces fundimus, & oeconomiam regni diuini, altera hominum miſeriam & calamitatem praecipue reſpicit. In priori petere jubemur: *Sanctificetur nomen tuum.* Nomen ſcilicet יהוה quod juxta Cabbaliſtarum doctrinam *tres perſonas Trinitatis* denotat. Namque Deo Patri quin hoc nomen conveniat, nullum eſt dubium. De Filio fatentur hoc Cabbaliſtae, dum inter cognomina τȣ̃ חכמה referunt *Iod Tetragrammati.* De Spiritu S. itidem, dum inter cognomina τȣ̃ בינה referunt *He ſecundum Tetragrammati.* Ergo hic ſtatim exhibentur tres priores Sephiroth. Cum his in ſecunda petitione conjungitur *regnum*: *adveniat regnum tuum*, vt ſcopus & finis totius theologiae Cabbaliſticae, ſapientiſſima oeconomia regnorum diuinorum, indicetur. Medium autem adminiſtrandi regna iſta divina conſiſtit in exercitio diuinorum *attributorum*, quae hic coniunctim per *voluntatem* diuinam exprimuntur: *fiat voluntas tua.* In ſequentibus ad conditionem eorum qui in regno eccleſiae viuunt, reſpicitur. In clauſula autem denuo regni inicitur mentio, idque in ſolidum Deo vindicatur, *tuum eſt regnum.* Hinc praecipua attributa diuina ſubiunguntur: *& potentia* גבורה quae eſt Sephirah quinta, & *gloria* הוד quae

eſt

eſt Sephira octava, ad potentiam autem referri commode poteſt etiam גדולה ſ. *magnitudo* quae eſt Sephirah quarta, uti ad gloriam תפארת *decus* ſiue *pulchritudo*, quae eſt Sephirah ſexta: additur denique *in ſempiternum*, quorſum reliquae duae Sephiroth נצח & יסוד *victoria* & *aeternitas*, commode referri poſſunt.

§. XIV. Si plura nunc vellem doctrinae Cabbaliſticae veſtigia, quae pasſim in N. T. ſeſe offerunt, colligere, amplisſimus ſpatioſisſimusque mihi ingrediendus eſſet campus, cuius ne minimam quidem partem, pro huius ſcriptionis modo, emetiri poſſem. Ut tamen nullus dubitandi locus ſecus ſentientibus relinquatur, unum alterumue argumentum, quo idem demonſtretur, addam. Offert autem ſeſe mihi ſtatim *epiſtola ad Coloſſenſes*, quae clarisſima exhibet huius rei documenta. Erant namque iam ea aetate ex Iudaeis qui *genuinam ueteremque Cabbalam corrumpebant*. Namque & inutilia addebant commenta, iisque Chriſtianos ſeducebant, & in varios praecipites dabant errores. *His itaque tota haec oppoſita eſt epiſtola*, quippe in qua Apoſtolus quae verae & genuinae Cabbalae erant conſentientia confirmat, reiicit autem inepta Iudaeorum aliorumque commenta, quibus vera iſta Cabbala depravabatur. Hinc ſtatim poſt exordium, tractationem epiſtolae ita auſpi-

ſpicatur: *agimus Patri gratias, qui nos idoneos reddidit ad participandam ſanctorum ſortem in luce*: reuocat namque totam doctrinam ſuam ad primum principium, Patrem ſcilicet, qui eſt כתר, corona, fons diuinitatis, inter cuius cognomina Cabbaliſtica etiam eſt אין סוף, itemque אור ſiue *lux*, ut & *lux inacceſſibilis*; hinc dicit Apoſtolus: *ad participandam ſanctorum ſortem in luce*. Sed pergit: *qui nos ex tenebrarum poteſtate vindicatos tranſtulit in regnum ſui charisſimi filii*. Ecce oppoſitio inter *regnum tenebrarum* & *regnum filii*; perpetuum autem certamen regni tenebrarum & regni lucis doctrina Cabbaliſtica multis explicat, & ex recentioribus prolixe de hoc certamine egit *Franciscus Mercurius Helmontius* in cogitatis ſuis ſuper initium Geneſeos. Doctrina autem de regno filii, ſive doctrina de מלכות, eſt prora atque puppis Cabbalae Iudaicae. Addit Apoſtolus: *In quo filio liberationem habemus per eius ſanguinem peccatorum veniam*; quod nec Cabbaliſtas veteres latuit, quippe qui inter cognomina תֵּ֜ חכמה ſiue ſapientiae, hoc eſt filii, referunt & *Bellum*, quia ſcilicet Chriſtus certamẽ cum morte & principe inferorum pro nobis ſubiit, vt adeo in eo habeamus *liberationem*, & per eius ſanguinem peccatorum veniam, quae ſummam voluptatem hominibus piis affert, vt vel hoc nomine Chriſtus vocari poſſit *Eden*, quod itidem eſt cognomen

Cab-

Cabbaliſticum τȣ̃ חכמה. Luculentiora adhuc ſunt, quae ſequuntur apud Apoſtolum: *qui imago eſt inaſpectabilis Dei*, hoc eſt τȣ̃ אין סוף *totius rerum naturae primogenitus*: quemadmodum & apud Cabbaliſtas inter cognomina τȣ̃ חכמה eſt *primogenitura*. Recte autem primogenitus vocatur omnium creaturarum, quia a *ſapientia*, hoc eſt Filio, *intelligentia*, hoc eſt Spiritu S. & *corona*, hoc eſt Patre, interventu attributorum omnibus perſonis communium, omnes mundi rerum ſpiritualium & corporalium conditi ſunt, vt Cabbaliſtae fuſius docent. Sed vero notandum, extitiſſe nonnullos tempore Apoſtoli Pauli, qui aſſerebant, *ſubſtantias tantum ſpirituales, non autem corporales productas eſſe a τῷ λόγῳ*. His itaque nunc occurrit Apoſtolus aſſerendo, omnia a λόγῳ creata eſſe. *Utpote*, inquit, *per quem condita ſunt omnia, tum quae in coelis, tum quae in terra ſunt, tum aſpectabilia, tum inaſpectabilia, & ſolia, & dominatus, & principatus & poteſtates, omnia per eum & propter eum condita ſunt.* Conſtituit, ſi accuratius rem expendamus, *tres rerum creatarum claſſes*, ſiue ordines. *Prima* claſſis eorum eſt, quae in *coelis* ſunt: *ſecunda* eorum quae in *terra* ſunt, ſed quae ſunt *inaſpectabilia*: *tertia* eorum quae in *terra* ſunt, ſed quae ſunt *aſpectabilia*. Quae ni fallor, *tribus mundis* in doctrina Cabbaliſta-

rum valde celebratis, accurate reſpondent, *Briathico* ſcilicet, *Iezirathico*, & *Aſiathico*. Namque quartus ſive *Aziluthicus* huc non ſpectat, ut ex mox dicendis patebit. Deinde *Spiritus*, ceu ſubſtantias longe praeſtantisſimas, & de quorum conditore tum maxime lis erat, itidem in certos ordines ſive *claſſes* dispeſcit, commemorando *ſolia*, *dominationes*, *principatus*, *poteſtates*: quae rurſus ex Cabbala veterum Ebraeorum petita eſſe, nemo inficias iuerit, quicunque ſecum expenderit, quam multa de Angelorum Spirituumq; ordinib9 & clasſibus, non tantum Cabbaliſtae, ſed Platonici quoque, aliique Philoſophi gentiles, qui ab Ebræis ſua acceperunt, ſubinde disputent. Quae ſequuntur in eodem capite, vt & in ſequenti, dogmatica, ex eodem fonte derivata eſſe, manifeſtum ſtatim fiet iis, qui haec ſerio ſecum expenderint. Vocatur enim Chriſtus *caput Eccleſiae*, hoc eſt τῶ מלכות, item *principium*, quod & cognomen eſt τῶ חכמה inter cognomina Cabbaliſtica, & quae ſunt id genus alia. Admixta autem iis ſunt hiſtorica quaedam & paraenetica, quae quod ex Cabbala deriuanda non ſint, quilibet ſua ſponte intelligit. Hunc in modum itaque poſtquam Paulus veram & genuinam Cabbalam ſuo calculo comprobauit, in ſequenti capite, quod ſpu-

rii, *corrupta* & variis commentis depravata, *ſecunda* ſit, Coloſſenſes condocet; *Videte*, inquit, *ne quis ſit, qui vos philoſophia fallaciaque vana prædetur ex hominum inſtitutione mundique rudimentis, non ex Chriſto.* Hic duos philoſophiae iſtius, quam reiicit, conſtituit characteres. Primus eſt, quod ſit ex *hominum conſtitutione*, alter, quod *rudimentis mundi* conſtet. Non poterat aptius faciem falſae & ſpuriae Cabbalae exhibere. Quemadmodum enim vera & genuina Cabbala ab hominibus ſumma haec myſteria a Deo ipſo edoctis, profluxit, vt adeo diuina eius origo agnoſcatur, ſic quae ab hominibus excogitata ſunt, eique adiecta, merito ceu ſpuria reiiciuntur, niſi in quantum cum vera & genuina Cabbala conveniunt, eaque adeo ceu ab hominum profecta eſſe conſtitutione, recte notat Apoſtolus. *Elementa mundi* autem ſunt rituum & ceremoniarum obſervatio, qua impediuntur homines, quo minus in regnum Meſſiae transferri queant. Haec enim vt ſub ſpecie ſanctitatis ac perfectionis fallunt, ita prima ſunt initia & elementa, quibus capti homines in regnum tenebrarum tanto profundius immerguntur, quo magis a regno Meſſiae ſiue Filii recedunt.

§. XV. Ultimum denique documentum praebet *Apocalypſis Iohannis*, qui liber quintus

tus quantus eſt, doctrina Cabbaliſtica ſcatet, & eius myſteria pandit. Nimirum vt paucis illud ſaltem demonſtrem, obſervatum ſupra eſt, *ſeptem Sephiroth*, quae in tabula Sephirothica vltimum locum occupant, certas *claſſes atque periodos rerum* deſignare. Iohannes itaque fata regni Meſſiae ab initio usque ad finem exhibiturus per *ſeptem periodos* ea deſcribit, atque ſtatim ab initio ſeptem Eccleſias, ſeptemque angelos, ſiue Eccleſiarum antiſtites, ceu imaginem atque ſummam totius vaticinii ſiſtit. Iam ſi quis porro ea, quæ de unaquaque *periodo* narrantur, accuratius expendere, & cum iis indolem *attributi diuini*, quod illi reſpondet, comparare atque contendere vellet, miram forte in his conſenſionem, & arcana, quae non expectaſſet, inveniret. Sed iſta quidem disquiſitio noſtri inſtituti modum excedit. Sufficit hoc unicum adhuc obſervaſſe, vt res extra dubium ponatur, pleraſque *denominationes*, quibus in primo capite *Chriſtus Servator* deſignatur, ex doctrina Cabbaliſtica eſſe petitas. Sermonem ſuum ita orditur Iohannes: *Iohannes ſeptem Aſianis Eccleſiis favorem & pacem, ab eo qui eſt, & qui fuit, & qui venturus eſt, & a ſeptem ſpiritibus qui ſunt ante eius ſolium.* Septem Eccleſiæ ſeptemq; Spiritus, id quod diximus innuunt, ſeptenarium ſcilicet numerum in re-

regnorum diuinorum oeconomia & admi-niſtratione, iuxta diſpoſitionem tabulae Se-phirothicae aliquid habere myſterii. Ver-ba autem: *ab eo qui eſt, & qui fuit, & qui ven-turus eſt*, ex Cabbaliſtica doctrina deſumta, eſſe, iam aliis quoque obſeruatum eſt. Sed ſtatim in verſiculo ſequenti Chriſtus Iohan-ni vocatur: *teſtis ille fidelis*, & cap. III. 24. *haec dicit Amen, teſtis fidus atque verus*, vbi notan-dum, quod vox *Amen*, explicetur per, *teſtem fi-delem*: iam autem decimum tertium cogno-men τȣ̃ Chochma itidem eſt: *Amen*. Rur-ſus inter cognomina Cabbaliſtica Sapientiæ aeternae eſt *primogenitura* & *principium*: vnde illud Iohannis: *primogenitus ex mortuis*: item, ego ſum *α & ω, primus* & *ultimus*. Nec ob-ſtat quod forte omnia ex Cabbala non poſ-ſint deriuari. Sufficit quod ſumma rei, de qua agit Iohannes, in Cabbala contineatur, & quod praecipua nomina, quibus hic Ser-vator inſignitur, citra controuerſiam, Cabba-liſticam doctrinam redoleant. Namque ad cetera quod attinet, forte & eorum fontes in Cabbala detegi poſſent, ſi haec doctrina ve-teribus Ebraeis recepta, integra & incorrupta ad nos perueniſſet. Nunc cum veſtigia eius ſaltem atque rudera quaedam in ſcriptis Cabbaliſticis quae ſuperſunt, deprehendan-tur, mirum non eſt, non omnia, quae ex ea

fluxerint, detegi quoque in ea & demonſtrari poſſe.

§. XVI. Atque haec quidem vt ad *antiquitatem Cabbalae dogmaticae* demonſtrandam ſufficiunt, ita plura nunc adderem, niſi res ipſa poſtularet *phyſiologiae* quoque ſpeciatim ſic dictae, prout in Cabbala Ebraeorum ſe offert, iniicere mentionem. Cumque in ea *antiquiſſimos Gentilium Philoſophos* conſentientes ſibi habeant doctores Cabbaliſtici, ſua ſponte novum inde pro antiquitate eius comprobanda, exurgit documentum. De *praeexiſtentia animarum*, earundemque *metempſychoſi Ebraeis* non minus quam *Aegyptiis* atque *Pythagoraeis* aſſerta, res notior eſt, quam vt pluribus hic confirmari debeat. Aliud ergo proferemus documentum. Notiſſimum doctrinae Cabbaliſticae caput eſt de *quatuor mundis Aziluthico, Briathico, Iezirathico,* & *Aſiathico*, quo omnia fere ſcripta Cabbaliſtarum perſonant. Cumque & voces iſtae paucis cognitae ſint, & modus quoque iſte philoſophandi nobis plane inuſitatus, mirum non eſt, homines eiusmodi rerum imperitos, nec initiatos hisce myſteriis, aut odio erga hanc doctrinam flagrantes, hos mundos ceu ineptos & commenta ludicra Ebraeorum otio atque ingenio abutentium, reiicere atque explodere. Sed non eſt, quod inconſulta

ſulta horum nos morentur iudicia. Rem enim accurate conſiderantibus patebit, per quatuor hosce mundos nihil aliud intelligi, quam *quatuor ordines* atque *claſſes rerum*, ex quibus uniuerſũ hocce conflatum compoſitumque eſt. *Primus* mundus ſive *Aziluthicus* continet *res diuinas*, ipſa ſcilicet diuina attributa atque emanationes: *ſecundus* atque *tertius* mundus *Briathicus* ſcilicet, & *Iezirathicus* eſt claſſis *ſubſtantiarum ſpiritualium*, *animarum humanarum* atque *Angelorum*: *quartus* autem ſiue *Aſiathicus*, eſt mundus *corporeus* ſive claſſis rerum corporearum & viſibilium. Quae de his omnibus prolixe & ſubtiliter doctrinae Cabbaliſticae interpretes diſputent, aut recenſere, aut diſcutere, noſtri nunc non eſt inſtituti: ſed tamen id non abs re fuerit obſeruare, in philoſophia veterum *Chaldaeorum* plane ſimile quid me deprehendiſſe. *Zoroaſter* enim Philoſophiae Chaldaeæ auctor, omnes naturas in tres claſſes *aeternas*, *aeuiternas*, & *corruptibiles* diuiſit. Claſſis rerum *aeternarum* reſpondet mundo *Aziluthico*, clasſis *aeuiternarum*, mundis duobus ſpirituum *Iezirathico* ſcilicet & *Briathico*, & denique clasſis rerum *corruptibilium*, mundo *Aſiathico*. Ad primam claſſem a Chaldaeis Numen ipſum resque diuinas relatas fuiſſe, conſtat ex *Oraculis Zoro-*

aſtris, & teſtimonio *Euſebii.* Sed notandum porro, quod Chaldaei *Deum lucem* dixerint, unde in oraculis Zoroaſtris paſſim deſcribitur his vocibus: φῶς *lux*, αὐγαὶ *radii*, φέγγος *ſplendor*. Plane ad mentem Ebraeorum, quippe quibus Deus itidem uſitatiſſimo nomine dicitur: אור *lux*, imo diſerte docent Cabbaliſtæ voces אור *lux*, & אין סוף *infinitum*, unum idemque denotare, vnde & coniunctim Deus illis haud raro vocatur *Or ha-Enſoph*, *lux infinita.* Praeterea cum אור *ignem* quoque ſignificet, nihilque uſitatius eſſet in Philoſophia Ebraeorum, quam Deum nomine *Or* inſignire, rurſus ratio clariſſime patet, cur apud *Chaldaeos* aliosque Philoſophos orientales Deus ſaepisſime vt *ignis* fuerit exhibitus. Quin *ignis cultus* apud Chaldaeos aliasque gentes, ex ſententia hacce minus recte intellecta, fluxiſſe videtur. Et haec quidem quae de Chaldaeis hactenus attulimus, vt eorum philoſophiam cum doctrina Cabbaliſtica contenderemus, ex veterum monumentis collegit *Thomas Stanleius* in *Hiſtoria Philoſ. Orientalis Lib. I. Sect. II. cap. I.* Sed occurrunt apud Chaldaeos & alia eidem Stanleio obſervata, quae Chaldaeæ atque Ebraeæ Philoſophiae conſenſum luculenter evincunt. Namque & de *emanatione ignis ſeu luminis a Deo* multa philoſophabantur

Chal-

Chaldaei. *Cum Deus*, inquit ex illorum mente Stanleius, *ſit* νοερὸν φῶς *aut* πῦρ,*in ſua intellectuali potentia non incluſit ignem, ſed eum largitus eſt omnibus creaturis, & quidem ipſi atque ante omnia primae menti, ut oracula docent, tum etiam aeternis atque incorporeis naturis aliis, ſub quibus continentur innumeri Dii, Angeli boni, Dæmones, & mentes hominum. Proximum a Deo effluvium eſt* ὑπερκόσμιον πῦρ *ſupramundanum lumen, infinitum, itemque incorporeum ac lucidum ſpatium, intellectualium Naturarum beata ſedes.* Iſtud ſupramundanum lumen, quo pacto mundum huncce corporeum illuſtret, pluribus ex mente Chaldaeorum explicat: eaque ita comparata ſunt, ut in eo quod caput cauſae eſt, cum doctrina Cabbaliſtica de emanationibus diuinis plane conſentiant. Chaldæis nunc adiungere poſſem *Perſas*, quippe apud quos itidem plurima doctrinae Cabbaliſticae veſtigia occurrunt. Sane praecipuum doctrinae Perſicae caput itidem fuit rerum omnium in certas claſſes diſtributio. Has autem claſſes *Pletho* ex Plutarchi libro de Iſide & Oſiride ita explicat: *Tres autem claſſes in quas Zoroaſtres Perſicus & Platores omnes diviſerunt, ſunt hæ: prima quidem æterna; Secunda vero tempore coepit, ſed æterna eſt; tertia demum corruptioni eſt obnoxia.* Plane ad mentem Chaldæorum

antea demonſtrauimus, Ebraeorum. Sed plura nunc ad hanc ſententiam comprobandam congerere nolo. Haec enim ſufficere poſſunt.

OBSERVATIO II.

SCHOLÆ QVID? ET QVOMODO AB ACADEMIIS DIFFERANT?

SUMMARIA.

Scholarum homonymia varia. §. I. *Scholae deſcriptio ad vſum vocis hodiernum accommodata.* §. II. *Cur ſcholae definitio accurata tradi non poſſit?* §. III. *Scholas non eſſe ſocietates naturales, ſed arbitrarias.* §. IV. (*Collatio ſcholarum antiquarum cum hodiernis. Tribbechovius notatus* Ibid. in notis.) *Eſſentiales ſcholarum partes non pertinere ad acquirendam ſapientiam.* §. V. *Eas non deprehendi in ſchola Chriſti.* §. VI. (*Cur communiter imaginemur, Chriſtum continuo diſcurſu docuiſſe?* Ibid. in notis.) *Nec Socratem eum docendi modum adhibuiſſe.* §. VII. (*Notatur Cicero.* Ibid. in notis.) *Scholarum hodiernarum differentia à ſcholis exercitiorum corporis.* §. IIX. *Differentia ſcholarum priuatarum & publicarum.* §. IX. *trivialium & univerſalium,*

§. X.

§. X. *Gymnaſiorum & Uniuerſitatum.* §. XI. *Academiae nomen hodie etiam de Gymnaſiis praedicari.* §. XII.

§. I.

DE ſcholis multi multa ſcripſere; confuſe plerumque, ſi non ſemper, partim quod infinitam ferè vocis ſcholae homonymiam non exactè ſecernerent, partim quod Scholas ab Academiis non ſatis eruditè diſtinguerent, partim denique, quod de ſcholae accurata definitione, in qua tamen omnis tractationis circumſpectae fundamentum poni debuiſſet, non diligenter fuerint ſolliciti. Nos miſſis reliquis ſcholae ſignificatibus, [a] quantum ſcopo noſtro in ſer-uit,

a) 1. Huc pertinet ſchola Equitum & *Peditum l. 6. C. de adſoc divers. judic.* Schola ſcriniariorum *l. 9. C Theod. de ann. civil.* & in aliis Juri Romani locis ſchola Palatina, ſilentiariorum, ſocietates ſacrarum largitionum, domeſticoru, militum &c. *Conf. Conring. Antiq. Acad. ſupplem. 1. p.* 202. Scholae in iure ſunt vel militiae Caſtrenſis, vel *Palatinae Ziegl. de Jur. Maj. l. 1. c. 23.* § 3. *Giſen. de vita Acad. Diſp. 2. n. 7. p. 18 ſeq.* ibi citat. *Pancir. Theſ. Var. Lect. l. 2. c. 188.* & ex *Joſepho Scaligero* ſimul *Decani* originem ex decuriis militum derivat. 2. Schola denotat ſecundum Tribbechov. *de Doct. ſcholaſt. cap. 1. pag. 2. 3.* 1. apud *Plutarchum* de auditu, diſſertationem, quamvis ſapientum. 2. Ipſum doctrinae lo-

uit, notamus, *ſcholam* hodiè vel latè accipi, vt *Academiam* comprehendat, vel ſtrictè pro *ſchola triviali.*

§. II. *Latè* ſumta *ſchola*, hic denotat *ſocietatem arbitrariam docentis ac discentium, qua docens liberis alienis, certo tempore congregatis, ac ſedentibus, diſciplinas varii generis vel discurſu vel dictatis in calamum conceptibus, explicat, aut aliorum doctrinas memoriae mandatas recitare iubet.*

§. III. Cum ſchola ſit ſocietas arbitraria, adeoque inuentum humanum infinitis modis varians, & ſecundum communem ſcholæ doctrinam, non magis ſit directè in praedicamento, quam res artificiales, inde nec *accurata ſcholae definitio* poſtulari poterit, ſed ſuffici-

locum, (uti & in iure Romano ius denotat locum, vbi Praetor ius dicit.) 3. Scholae denotabant olim apud Latinos ludos quoſvis, in ſpecie autem literarios. *Feſtus pag.* 232. *Scholae dicuntur non ab otio & vacatione, ſed quod caeteris rebus omisſis, liberalibus ſtudiis vacare pueri debent*; & Auſonius. *Id.* 32. *v.* 6.

- - *Grajo ſchola nomine dicta eſt,*
Juſta laboriferis tribuantur vt otia Muſis.

Trahit huc Giſenius *de vit à Acad. diſp.* 1. *p.* 3. dicta Siracidis *cap.* 38. *v.* 25. 26. 27. *ſapientia ſcribæ in opportunitate ocii.* Quintil. *lib.* 12. *Inſt. Orat. c.* 2. *ſtudia ſapientiæ in porticus & Gymnaſia primum, mox in conventus ſcholarum receſſerunt* 4. Scholæ denotant ſectas §. 8. *Inſt. de mand.* §. 2. *de Emt. vend.* 5. Schola pro diſputatione *ap. Cicer. Tusc. Qu. l.* 1. *c.* 4. *ibique Beroald. f.* 7.

ficiet data *deſcriptio* ab eo, quod etſi non ſemper, ſaltem *plerumque fieri ſolet* in ſcholis, deſumta.

§. IV. Dixi, ſcholam eſſe *ſocietatem arbitrariam.* Etſi enim ad curam paternam pertineat, proſpicere ut liberi erudiantur in ſapientiâ, & præterea parentibus non interdicatur, curam hanc quandoque expedire per alios, etſi natura iniungat hominibus omnibus tanquam officium humanitatis, vt errantes doceant, atque hoc intuitu ſcholae videantur ad ſocietates naturales eſſe referendae, quatenus tamen communiter apud Gentes moratiores receptum eſt, vt parentes curam hanc ipſi negligant, & vt in scholis *alienı liberi* informentur, item, vt doctrinae gratiâ *certis horis* congregentur *ſedentes* [a] auditores, [b] vt *diſcurſu continuo ſolus loquatur docens*, [c] vt *in calamum dictet*, d) vt

a) Inde Seneca *Epiſt.* 108. *p. m.* 618. *Quid ergo? non nouimus quosdam, qui multis apud Philoſophum annis* perſederint, *& ne colorem quidem duxerint.*

b) Docentes olim in ſcholis quandoque ambulabant, quandoque ſedebant. De ambulante Attalo Stoico Seneca *Epiſt.* 108. *p.* 617. Socrates ſedebat plerumque, Ariſtoteles & Peripatetici ambulabant. *Beroald. ad Cicer. Tuſcul. quæſt. l.* 1. *f.* 6. Stoici ſtantes diſputabant, Academici cubantes. *Bodinus in Heptaplom. p. m.* 4.

c) Idem Seneca *d. l. p.* 617. mentionem quidem facit, Attalum fuiſſe à *diſcentibus* ad aliquas *diſputati-*

d) vt *memoriter recitentur* dictata docentium, id certè arbitrarium eſt.

§. V. Imo hae omnes *circumſtantiae*, ſcholis de quibus agimus, ſic *eſſentiales*, vt pro ſchola non haberi ſoleat, quae iſtis deſtituitur, ad doctrinam ſapientiae ita non ſunt neceſſariae, & à *mero hominis arbitrio* dependent, vt potius alibi, in obſervatione de neceſſitate & vtilitate ſcholarum oſtenſuri ſimus, harum circumſtantiarum plerasque magis aptas eſſe ad ſtudia inſipientiae.

§. VI

ones provocatum, quod tamen nihil aliud eſt, quam quaeſtionem ipſi fuiſſe propoſitam, quam examinatis in utramque partem argumentis reſolveret. Ita intelligo etiam *eâdem Epiſt. p. 622.* cum dicit: *Praeceptores qui nos docent diſputare, non vivere.* Idē *Epiſt.* 66. de Arceſila tanquam quid ſingulare notat, vt ii qui cum audire vellent, non ab eo quaererent, ſed ipſi dicerent, *Apud caeteros autem*, ſic pergit, *Philoſophos, qui quaeſivit aliquid, tacet, quod quidem iam fit etiam in Academiâ.* Ita etiam intelligendus eſt Gellius *Noct. Att. c. l. 1. c. 26* de Tauro Philoſopho loquens, *quod dederit ſaepe poſt quotidianas lectiones, quaerendi, quod quis vellet, poteſtatem.* Quae omnia cum non debito modo intelligeret Tribbech. *de Dd. ſcholaſt. C. 1. p. 3.* erroneè putavit, ſcholas Philoſophorum olim hoc peculiare habuiſſe, vt auditores non tantum ab ore Magiſtri penderent, ſed vt etiam domi praemeditata expromerent, atque aut ſciſcitanti Magiſtro reſponderent, aut vice verſâ aſſertorum rationes ab ipſo expoſcerent. &c.

d) Hoc fortè apud Graecos & Romanos olim nondum in uſu. Etſi enim Seneca *Epiſt. 108. p. 618.* mentionem

§. VI. Interim ut exemplis rem illuſtremus, optimus ſapientiæ magiſter Chriſtu, nec *certis horis* conuenire iusſit Auditores, nec *dictauit*, nec *memoriter recitari* juſſit, nec *ſolus locutus* eſt, nec *diſcurſu continuo horario*[a]) auditoribus ſuis moleſtus fuit.

§. VII. Quodſi hoc exemplum non ſit ad palatum hominum, ſapientiae paganae immerſorum, cape exemplum Socratis, doctoris ac philoſophi ſummi, quem praecipui Sectarum autores apud Graecos maximè venerati ſunt, qui tamen nec ipſe aliquid horum in doctrina ſapientiae obſervavit, [a]) & ſic absque ſchola ſcholarum multarum autor fuit. §. IIX.

faciat diſcentium, *qui cum pugillaribus veniunt, et verba excipiant*, intelligit tamen veriſimiliter eos, qui ex diſcurſu quædam notabant.

a) Quod communiter contrarium nobis perſuadeamus, ſcilicet quod Chriſtus, *P*aulus & alii Apoſtoli primitiuae Eccleſiae ſoli ad populum locuti ſint, diſcurſu ſaepe per plures horas continuato, inde prouenit, quod legamus in ſacris literis Chriſtum toto die ad populum locutum eſſe, & praedicaſſe, item *P*aulum docuiſſe ad noctem usque. Tum enim ſtatim nobis imaginamur modum praedicandi hodiernum &c.

a) Huc pertinet præter vitam Socratis ab erudito Gallo Carpentario conſcriptam, præter Xenophontis memorabilia, & *P*latonis opera, elegans locus Ciceronis *Tuſcul. quaeſt. lib.* 1. c. 4. Poſtquam enim ibi Cicero quædam præfatus eſſet & veniam quaſi petiiſſet, quod ipſe primus praeter morem in lingua

§. IIX. Dum *diſciplinarum* ac *doctrinae* mentionem feci, patet, me non eſſe ſollicitum de *ſcholis ſaltandi, equitandi* &c. qualem ſcholam Pariſiis inſtituit Pluvinellius. [a]) Quum etiam in his ſcholares non *ſedeant*, neque *diſcurſu* informentur, aut *dictatis*. Unde & improprie ſcholae ſunt. Quamvis non ægrè ferre debeant ſcholae, quod earum nomen ad ſe tranſtulerint magiſtri exercitiorũ corporis, cum ipſae ſcholae Gymnaſii vocem, olim

latina de rebus ad philoſophiam pertinentibus, more Graecorum diſſereret, (vnde videntur eo tempore ſophiſtæ ſolam linguam Græcam pro lingua Eruditorum habuiſſe, vti hodierni *P*hiloſophi communiter ſolā Latinam) & *ſcholas Graecorum more habere auderet*, ſtatim ſubiungit: *Ponere iubebam, de quo quis audire vellet, ad id aut ſedens, aut ambulans diſputabam. Itaque dierum quinque ſcholas, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli. Fiebat autem ita, ut cum is qui audire vellet, dixiſſet, quid ſibi videretur, tum ego contrà dicerem Haec eſt enim, ut ſcis, vetus & Socratica ratio, contra alterius opinionem diſſerendi. Nam ita facillime, quod veriſimillimum eſſet, inveniri poſſe Socrates arbitrabatur.* Hic tamen evidenter Cicero duo miſcet: initio ſcholā Socraticā cum ſcholis aliorũ Philoſophorum Graecorum, quas tamen aperte diſtinxerat *lib. 2. de finibus bon. ab init.* deinde ſuam methodum docendi cum methodo Socratica. Socrates diſputabat per breves & ſimplices quaeſtiones. Cicero oratorios fucos ſophiſtice adhibet ubique, & prolixe de quæſtione propoſita diſſerit, ac modo docendi ex ſcholis reliquorum *P*hiloſophorum & methodo Socratica, mixto utitur.

a) *Vid. Conring. Supplem.* 1. *Antiq. Acad. p.* 202. Hinc in

lim exercitiis corporis propriam [b]) hodiè ad ſuos uſus etiam tranſtulerint, præprimis, cum & hodiè ſcholae exercitiorum corporis ſint ubique ferè appendices ſcholarum univerſalium. Vnde & quando ſuo loco, de juribus Academiarum quædam diſſeremus, de magiſtris etiam exercitiorum quaedam erunt dicenda.

§. IX. Scholae ſunt vel *privatae* vel *publicae*. Illae privatâ autoritate cuiuslibet Patris familias, vel ex libertate etiam ſingulis civibus relicta, inſtitutae,[a]) hae vel à principe, vel à magiſtratu quolibet inferiori conſtitutae. Publicae etiam id peculiare habent prae priuatis, quod, cum in priuatis liberum ſit & non infrequens, ut docentes utantur idiomate Germanico, [b]) in publicis contrà docentibus vix ac ne vix quidē permittatur uti idiomate vernaculo, [c]) ſed adſtringantur ferè ad Latinam, tanquam eruditis propri-

 am,

idiomate vernaculo dicimus: Fecht-Schule / Reit-Schule. Melius fortè: Fecht-Boden / Reit-Platz.

b) *Conring*, *d. l.* Conf. ſupra *not.* 2. *ad* §. 1. locum Quintiliani.

a) v. g. Scholae Arithmeticae, die Winckel-Schulen / die Mägdgen-Schulen in Stätten Lectiones *Profeſſorum* & Magiſtrorum privatae &c.

b) Cape iterū exempla ex ſcholis arithmeticis, ſcholis ubi informantur puellae &c.

c) *Conf. Ciceron.* 1. *Tuſc. quæſt. cap.* 1. 2. 3. *ſuprà not. ad* §. *VII.* *item Schuppium* in Teutſchen Lehrmeiſter.

am, etiam in docendâ, quod mireris, ipsâ Grammaticâ Latinâ.

§. X. Scholae publicae ſunt vel *triviales* vel *univerſales*. Illae ſunt, in quibus tres potiſſimum ex ſeptem artibus liberalibus [a]) inculcantur, aut certè inculcari deberent,[b]) Grammatica, Logica, Rhetorica. Hae, in quibus docentur præter ſeptem artes liberales, omnes diſciplinæ non ſolum philoſophicæ, ſed & ſuperiorum facultatum.

§. XI. Univerſales ſunt potisſimum duplicis generis, *Gymnaſia* & *Univerſitates*. Vtrobique docentur vel doceri poſſunt diſciplinæ facultatum omnium, ſed in Gymnaſiis diſcentes non habentur pro ſtudioſis, neque Profeſſores Gymnaſiorum gaudent poteſtate creandi Doctores, Licentiatos, Magiſtros, Baccalaureos, uti Profeſſores in Univerſitatibus. Adeoque Gymnaſia quaſi mediae ſunt inter ſcholas triviales & Univerſitates.

§. XII. Vnde nec Gymnaſia *Academiarum titulis* hucusque inſignita fuerunt, ſed iſtud nomen vniuerſitatibus ferè proprium fuit. Poſtquam autem apud Gallos & Italos Academiae nomen de ſcholis artium fuit uſurpatum, aut poſtquam Prin-

a) De ſeptem artibus liberalibus dicemus peculiaribus obſervationibus.

b) *Conring. Antiq. Acad. diſſ. 3. p. 80.*

Principes Imperii de juribus ſuperioritatis ſuae melius fuere informati, noviora Gymnaſia,ut Gvelpherbytanum, etiam Academiarum titulis ſuperbire inceperunt.

OBSERVATIO III.

CONCIONUM ET EXAMINUM CATECHETICORUM DIFFERENTIÆ â SCHOLIS.

SUMMARIA.

Concionum & examinum Catecheticorũ affinitas cum ſcholis. §.I. *Differentja inter ſcholam & Eccleſiam perexigua* §.II. *An ſapientia divina & humana, item ſalus temporalis & æterna hic differentiam faciant.* §.III.& IV. *An ſcholarum finis ſit, vt homines evadant docti, concionum, vt pii?* §. V. VI. & VII. *An idioma Latinum & Germanicum differentiam faciant inter ſcholas & Conciones?* §. IIX. *An id differentiam faciat, quod in ſcholis informentur juvenes, in concionibus patresfamilias & matres, item ſerui & ancillæ?* §. IX. *An denique iuſta ſit inter ſcholas & Concienes differentia, quod in illis contradictio habeatur pro ruſticitate, in his pro crimine horrendo?* §. X. *Concluditur Conciones & ſcholas non differre vt ſpecies diverſas,* §.XI.

§. I.

Affines ſcholis maximè ſunt *Conciones Eccleſiaſticæ* hodiernæ, & *Examina Catechetica*, vt in quibus, perinde vt in ſcholis, auditoribus *certo tempore* congregatis ac *ſedentibus*, doctrina ſacra *diſcurſu continuo* explicatur, aut auditores quæſtiones catecheticas aliorum autorum *memoriter recitare* iubentur.

§. II. Et affinitas quidem illa tanta eſt, vt vix inuenire poſſis rationem differentiæ, niſi quod doctrina iſta non *Scholæ*, ſed *Eccleſiæ* nomine venire ſoleat, adeoque nomen varietur, non res. Et reuera *differentiæ*, quæ utrobique deprehenduntur, aut à quibusdam fortè aſſignantur vel *falſæ* ſunt, vel *perexiguæ*.

§. III. Fortè enim diſtinguerent aliqui conciones à ſcholis potiſſimum *Academicis*, quod in his inculcetur *ſapientia humana*, in concionibus *ſapientia diuina*; quorum illa reſpiciat ſalutem hominis *temporalem*, hæc *æternam*.

§. IV. Sed præterquam, quod falsò hic præſupponitur, ſalutem hominis temporalem & æternam, item ſapientiam humanam & divinam eſſe *ſpecies diverſas* eiusdem generis, cum *una* ſit ſapientia, *una* ſalus hominis; frequentiſſimè immiscentur *concionibus* etiam ſe-

ſecundum leges artis ea, quæ ad vulgò ita dictam ſapientiam *humanam*, & ſalutem hominis *temporalem* magis pertinent, & in *Academiis* rurſus, vt & in ſcholis privatis compendia *Theologica*, catechismi, libri Biblici & ſymbolici docentur, eo prætextu, vt ſapientiâ *divinâ* ad ſalutem *æternam* imbuantur discentes.

§. V. Quod ſi cum quibusdam aliis urgeres: in ſcholis tamen intentionem docentium eſſe, vt auditores euadant *docti*, in concionibus, vt *pii*, nil aliud efficeres quam vt quidem diſtinctione illâ ſatis evidenter notares defectus communes ſcholarum, pietatis i.e. veræ ſapientiæ ſtudium negligentium, ſimul tamen ipſam differentiam tuam deſtrueres, cum in plerisque & plurimis *concionibus* intentio docentium ſit, vt auditores evadant *docti*, i.e. ſcientiâ quadam de myſteriis divinis intellectum repleant, æquè vt in cathedris ſit academicis, ſimul verò vtrobique perſuadeatur auditoribus, *ſcientiam* hanc eſſe *ſalvificam*, i.e. efficere ſimul, vt auditores evadant *pii*.

§. VI. Quod ſi ulterius urgeas, reuera tamen exiſtere *doctos impios*, vti exiſtunt, & exiſtere etiam *pios non eruditos*, uti & ipſi exiſtunt, nihil tamen ad demonſtrandam illam diſtinctionem promoveres, niſi applicationem faceres, in *ſcholis* doceri eruditionem

impiam, i.e. *ſapientiam ſtultam*, & in *concionibus* piam ſimplicitatem, i. e. *ſapientiam veram.*

§. VII. At utrumque horum, ſi *univerſaliter* accipiatur, vti differentiæ debent eſſe univerſales, falſum eſſe docet experientia. Vti enim per Dei gratiam dantur etiam in *ſcholis*, quamuis pauciſſimi, Doctores, qui veram atque adeo *piam* ſapientiam inculcant, exemplo pariter ſuo & doctrina, ita & eadem experientia teſtatur, iuſto Dei iudicio dari *concionatores* plurimos, qui nihil aliud docent, quam *ſcientiam* absque amore quæ inflat, adeoque ad veram ſapientiam & felicitatem, quæ indiuulſo nexu inter ſe cohærent, eſt ineptiſſima.

§. IIX. Quemadmodum ergo ex dictis patet, eo intuitu inter ſcholas & conciones exiguam eſſe differentiam, aut plane nullam; ita accuratiſſimè inquirenti nulla forte alia differentia ſe offeret, quàm quod in ſcholis academicis doceri ſoleant auditores *idiomate Latino*, in concionibus *idiomate vernaculo.* Hanc verò differentiam non eſſe eſſentialem, non ſolum patet ex §. IX. Obervat. II. ubi iam oſtendimus, etiam in *ſcholis* quibusdam doceri idiomate *vernaculo*, ſed & inde perſpicuum euadet, ſcholas etiam *academicas* propterea non deſinere eſſe ſcholas, poſtquam iam & in academiis diſciplinæ nonnunquam traduntur idiomate *vulgari.*

§. IX.

§. IX. Sequitur autem ſimul ex dictis, quod & alia differentia, quæ à priori illa fluit, ac unice dependet, eſſentialis non ſit, inter ſcholas & conciones. Etſi enim evidens ſit, in ſcholis academicis informari *liberos alienos* i.e. juvenes, qui nondum ſunt capita familiarum, ſcientiâ tamen linguæ latinæ imbuti, in concionibus verò, auditorum numero cenſeri etiam *patres* ac *matres familiarum*, item *ſervos* & *ancillas*; ſimul tamen evidens eſt, hanc differentiam unicè profluere à diverſitate idiomatis; neque adeò eſſentiæ *ſcholarum* repugnare, ſi doctrina ibi tradatur idiomate vernaculo, vt etiam ibi mares & fœminæ, *patres familiarum* ac *famuli* ad doctrinam admittantur.

§. X. Denique idem ſentiendum erit de alia differentia, quam inter ſcholas & conciones obſeruare licet. Vtrobique non moris eſſe ſolet, vt *auditores interloquantur* ac interrumpant diſcurſum docentium, multò minus, vt iis *contradicant*. At ſi tamen talis interruptio aut contradictio contingeret, in *ſcholis* eadem magis pro *ruſticitate*, aut *delicto leviori* mulcta vel ſimili pœnâ facilè expiando haberetur, cum è contrario, ſi in *concionibus* id accidat, habeatur pro *crimine horrendo* & capitali, turbatione videlicet ſacrorum & pacis Eccleſiaſticæ. At nec hoc ingreditur eſſen-

tiam ſcholarum & concionum: Conciones enim manerent haud dubiè conciones, etſi interlocutio aut contradictio in iis admitteretur, & ſcholæ manerent ſcholæ, etiamſi, quod Deus auertat, moribus introduceretur iſta capitalis & grauior pœna in interloquentes.

§. XI. Igitur *ſcholæ & conciones reverâ non differunt, vt ſpecies diverſæ.* Vnde etiam, ubi de antiquitate & utilitate ſcholarum quæritur, Doctores, vt è dicendis ſuo loco patebit, pro probanda antiquitate & utilitate ſcholarum, ſæpiſſimè immiſcent conciones & ab his ad ſcholas argumentantur. Adeoque nec nobis vitio poterit verti, ſi cum originem & utilitatem ſcholarum ſumus expoſituri, ſimul acturi ſimus de origine & utilitate concionum.

OBSERVATIO IV.

VARIÆ SENTENTIÆ DE ARTIBUS LIBERALIBUS.

Summaria.

Artes liberales in latisſimo ſenſu denotant omnes artes, & diſciplinas & facultates §. I. *ſtrictius omnes artes ſeculares* §. II. *iterum omnes artes & doctrinas Philoſophicas* §. III. *aliis denotat complexum totius Philoſophiæ* §. IV. *Alii eas Philoſophiæ, artibus liberalibus verò*

verò fabriles opponunt. §. V. *Alii & Philoſophiæ & ſapientiæ , item Theologiæ opponunt.* §. VI. *Ariſtoteles ſolam Metaphyſicam vult eſſe artem liberalem* §. VII. *ſic & in ipſa diviſione artium in genere, apud ſcriptores diſſenſio eſt*, §. IIX. & IX. *item cur liberales vocentur*, §. X. *& ultrà octoginta modos, appellari ſolent diverſis nominibus* §. XI. *ſcriptores de artibus liberalibus veteres.* §. XII. *Ex recentioribus iudicium de Wowerio*, §. XIII. *Voſſio*, §. XIV. *& Ludovico Viue.* §. XV. *Duo ſumma capita hiſtoriæ de artibus liberalibus , unum ante , alterum poſt Auguſtinum.* §. XVI. *Duæ claſſes ſeptem artium liberalium , quæ tamen diverſimodè ſecernuntur* , §. XVII. *aliter ex mente Auguſtini*, §. XIIX. *aliter ex mente Caſſiodori*, §. XIX. *aliter ex mente Wowerii, qui notatur, quod tres priores* (*Logicas*) *verterit rationales*, §. XX. *aliter ex mente Scholaſticorum, qui diſtinxerunt in Triuium & Quadriuium.* §. XXI. *Quid viæ vox hic denotet.* §. XXII. *Variæ ſententiæ de fine art. lib. ad uſum vitæ, contemplationem, intelligendas ſcripturas*, §. XXIII. *ſeq. ad omnem eruditionem quatuor facultatum, tùm in genere* §. XXV. *tum in ſpecie* §. XXVI. *ſeq. variæ ſententiæ quid contineatur ſub Grammatica*, §. XXIIX. *Dial. & Rhetorica* §. XXIX. *Var. opin. de ſcientiarum Mathematicarum natura & uſu in genere* §. XXX. *ſeqq. & in ſpecie* §. XXXIII.

item de ordine Trivii & Quadrivii in genere, §. XXXIV. *in ſpecie de ordine Trivii.* §. XXXVI. *& Quadrivii* §. ult.

§. I.

Varia notabilia de *artibus liberalibus*, quæ & multum conducunt ad hiſtoriam philoſophicam, & alibi non reperiuntur, collegit in MSC. ſuis Beatus *Jacobus Thomaſius* quorum potiſſima hic excerpemus. Et initio quidem plurima notavit de earum homonymia. Etenim Alſtedius 1. *Encycl. f. 62.* Disciplinam liberalem quæ hominem verè literatum reddat, diuidit in *Philologiam*, *Philoſophiam*, *Medicinam*, *Jurisprudentiam*, *Theologiam.* Eidem etiam *III. Encycl. f. 628.* quædam *artes mechanicæ* liberales ſunt. Hoc tam amplo ſenſu etiam vocem hanc uſurpat Timplerus *in Technologia, ſeu tractatu de naturâ & differentia artium liberalium, tractatui Metaphyſicæ præmiſſo.*

§. II. Simili fere modo Wowerius in *Polymathiâ p. 17.* Liberales diſciplinas uſurpat pro *omnibus* omninò *notitiis bonis* apud Ethnicos, vt cum earum pater Homerus vocetur Tertulliano. Sic & eruditio liberalis omnem eam includit, quam nos *ſecularem* vocamus, apud eundem Wowerium *d. l. pag. 233. conf. & eund.*

eund.p.21. item Auguſtinum lib. 6. de Civ.Dei c. 2. Tholoſanum de Rep.f.1194.

§. III. Duodus *de Habitibus p. 174.ſeq.* Artes diſciplinasque ingenuas diuidit in *tres* claſſes. *Prima* continet eas,quæ *diſponunt ad vitam ingenuam*, quorum tamen aliæ ad *corpus* pertineant, vt Gymnaſticæ, ludi nonnulli ingenui, ſcilicet parvæ pilæ, &c. item aucupiorum venationumque formæ nonnullæ; aliæ ad *animum*, nempe Grammatica,Logica, Rhetorica, Poëtica. In *ſecundâ* claſſe ſunt illæ, quæ *formant ac perficiunt animum viri ingenui*, philoſophia nimirum Theoretica & Practica. *Tertia* habet illas artes, *quæ virum ingenuum jam formatum deceant*. Atque hæ vel *oriuntur e Phyſicâ*, quæ ſcilicet ad naturalem Magiam rediguntur, ut Ars Medica, Agricultura, Ars ſublimandi; vel *è Mathematica*, vt Ars naualis, militaris, Muſica, perſpectiva, Cosmographia & ſimiles, item diuinatrices firmioribus nixæ principiis,ut Aſtrologia & Phyſiognomia; vel *ex utraque*, ut ars pingendi & ſtatuas conficiendi.

§. IV. *Septem* Artes Liberales, in profesſione Regiâ Rami per Freigium in titulo promiſſæ, ſunt Grammatica,Rhetorica,Dialectica, Arithmetica, Geometria, Phyſica,Ethica. Sumit ergo artes liberales pro *complexu totius Philoſophiæ*. Et ex mente Rami Philoſophia defi-

definitur artium liberalium comprehenſio. *Horſt. Inſt. Log. p. 22. ed. Witeb. An.* 1623. Sic ſcholæ quoque Rami inſcribuntur in liberales artes, ſed non additur, ſeptem, & ibi quoque Scholæ ſunt Metaphyſicæ, ſed nullæ Ethicæ.

§. V. *Liberalibus* artibus opponit χειρωνακτικὰς Wowerius *in Polymathiâ pag.* 24. & Tholoſanus *de Republicâ p.* 1194. *fabriles*, Vincentius Bellovacenſis *in ſpeculo doctrinæ f.* 14. qui & *f.* 17. dicit, liberales repellere indigentias animæ, vti mechanicæ repellant indigentiat corporis. Sauonarola *Op. Philoſ. p.* 778. liberales vocat, quæ per intellectum, ſeruiles, quæ per corpus tractantur. Alii liberales artes *Philoſophiæ opponunt*, ita, vt ſint præparatoriæ, & per eas ad Philoſophiam accedatur. *Ammon. in vitâ Ariſt. p.* 7. *Galen. Iſag. p.* 20. 30. *Lactant. p.* 253. *Voſſ. philol. p.* 5.

§. VI. *Tres* diſciplinarum gradus ſecundum Senecam, *Artes liberales*, *Philoſophiam* & *Sapientiam*, exhibet Wowerius Polym. *p.* 231. *ſeq.* vbi vide etiam Philonis locum. Inquirendum tamen, an rectè Wowerius eoſdem gradus apud Chriſtianos quæſierit, quorum hæc ſententia eſſe videtur. Primus gradus eſt artium propœdeuticarum: in ſecundo eſt Philoſophia è lumine naturæ: in tertio Theologia reuelata. *Add. Clem. Alex. f.* 59.

§. VII. Strictius adhuc Seneca *in Epiſt. p.* 511. 516. *edit. Lipſii*, artes liberales in ſenſu

Stoico

Stoico dicit eſſe *ſolas virtutes.* Imò Ariſtoteles *ſolam Metaphyſicam* pro arte liberali venditat. 1. *Metaph.* 2.

§. VIII. Etenim in ipſâ diuiſione *artium in genere* ſcriptores non conſentiunt. Communiter dicunt, artes alias eſſe *liberales* ſeu λογικὰς item σεμνὰς, alias *illiberales* ſeu ſellularias, item manuales ac vulgares. *Vid. Wovver. Polym. p.23. Tholoſ. de Rep. p.1194. Tiraquellum de nobilit p.156. Voſſium de popul. p.3. Budæum annot. poſth. in Pand. p.193. Maxim. Tyrium p. 213. Ludov. Vivem de cauſ. corrupt. art. p.4. Senec. in epiſt. p.516.*

§. IX. Alii *tres claſſes artium* faciunt, animi, corporis, vtriusque. *Wovv.* ex Victorino *Polym. p.23.* Artes *quadruplices* Poſidonii apud Senec. *d.l.* minus benè ad tria membra revocat Duodus *de habitibus p. 163.173.* Facit etiam artes *quadruplices* Voſſius *in popul. p. 1. Tres gradus* artium *liberalium* ponit Nunneſius *advit. Ariſt. p.55.* Ubi tamen videndum, an Plinii locum rectè perceperit Nunneſius. Nam Plinio in primum gradum liberalium recipi, fortaſſe non eſt ſimpliciter recipi vtcunque in numerum artium, vt Voſſius vocat, popularium, ſed in his ipſis artibus ordine diſcendi cæteris omnibus præponi. Id ſuadent præcedentia Plinii verba.

§. X. Non conveniunt etiam in exponenda

nenda *ratione denominationis*, & cur liberales vocentur. Aliis enim ita vocantur à maximo bono, id eſt *libertate*, aliis, quia *libero* homine dignæ. Hinc pueri & adoleſcentes ingenui eas diſcebant antequam ad Remp. accederent, & liberis tantum hominibus in iis verſari permiſſum erat: contrà illiberales dicebantur, quia Græcis viſum, eas indignas eſſe homine libero. Alii eam cauſam afferunt, quia, antiqui *liberos* ſuos iis procurabant inſtitui: Alii, quia *liberum* faciant: Alii, quia *liberent* à curis ſecularibus: Alii, quia per ſolum intellectum, qui *liber* eſt, tractantur, ſicut ſerviles quæ per corpus, quod animæ deſervit, exercentur. *vid. Wower. Polym. p.23. 24. Voſſ. Philol. p.5. & 44. & Philoſoph. p.51.52. Tholoſ. de Rep. p. 1194. Senec. Epiſt. p.511. Tiraqv. de nobil. p.156. Vives de cauſis corrupt. p.5. Nunnes. de vita Ariſt. p.53. Saresb. in Metalog. p.29. Vincent. in Spec. p.17.* Savanor. *oper. Philoſ. p. 778.*

§. XI. Ita & in ipſo nomine variant. Collegit B. Thomaſius *ſynonyma* vltra octoginta partim græca, partim latina, in quibus partim denominatio fit à libertate, partim à pueritiâ quæ iis inſtituebatur; partim ab ordine diſcendi; partim à circulo ſeu orbe; partim à bonitate, rectitudine & ſimilibus; partim ab humanitate; partim ab Ethnicis ſeu ſecularibus

ribus, tanquam priſtinis doctoribus; partim à numero nouenario vel centenario. Quæ ſingula recenſere nolumus, ne lectori tædium pariamus.

§. XII. Quod *Scriptores* attinet, qui de iis ex profeſſo tractarunt, è *veteribus* citatur *Philo* περὶ τῆς εἰς προπαιδεύματα συνόδου à Wowerio *p.15.18. 232.* & Voſſio *de philol. p. 620.* & *Sextus Empiricus* à Voſſio *de philol. p.16. 20. 21.*

XIII. Ex recentioribus *Woweriu* *p.14.* fatetur, ſe de ingenuis artibus minus anxiè & plenè perſcripſiſſe, reſeruaſſe id integro operi. Idem agnoſcit ſeptem artes liberales, *p.25.* diuidit eas cum ſcholis in Logicas & Mathematicas *p.25.* Logicas tres facit, Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, *ibid.* De Grammaticâ (cuius antecurſoriam, grammatiſticen agnoſcit) agit *cap.4.ſeqq.* eamque latius extendit ad exegeticam quoque *cap.9. ſeq.* De Dialecticâ *c.20.* de Rhetoricâ *c.21, p.187.* Mathematicæ ipſi ſunt quatuor, Arithmetica, Muſica, Geometrica, Aſtronomia *c.22.* ubi ait, ſecutum ſe eſſe antiquam & receptam traditionem, *p.197.* & refugit ſubtilitatem, *ibid. in fine.* Hiſtoriam & originem nullibi in eo opere exequitur.

§. XIV. *Voſſius* quoque omiſit hanc hiſtoriam in illis quinque opuſculis poſthumis

1, de

1. de quatuor artibus liberalibus, 2. de Philologiâ, 3. de ſcientiis mathematicis, 4. de Naturâ Logices, 5. de Philoſophiâ, ubi tamen locus huic hiſtoriæ fuiſſet. Apud eum in hanc rem vix aliud reperias, quam eſſe illas Septem, *p.2. de popul. p.1. de philol. p.45. de philoſ.* & illis opponi totidem illiberales, *dd. ll.* Eſt & mentio quadriuii mathematici *p.73. de mathem.* item triuii & quadriuii *p.20. mathem.* (de quo etiam vide *p.112. de vit. ſerm.*) vbi & aliquid hiſtoricum, verum ruditer, nec ſatis ex principiis hiſtoricis, imò *p.22. de. mathem.* apertè fallitur, dum ait, Latinorum de orbe diſciplinarum eandem ac Græcorum fuiſſe ſententiam.

§. XV. *Ludouicus Viues*, tempora planè non diſtinguit *p.5. de cauſ. corrupt. diſcipl.* & miratur, architecturam & perſpectivam fuiſſe omiſſas: de Ethicâ non miratur. Idem *ad Auguſt. de Civ. Dei f.1128.* refert, quod genera omnium artium liberalium ac ſpecies doctè enumeret *Politianus* in Epiſtemone, qui tamen non eſt inſpectus.

§. XVI. Vt igitur in hâc difficultate & in dicto diſſenſu veterum ritè procedatur, videtur *hiſtoria artium* liberalium commodè in *duo capita potiſſima* diſpeſci poſſe, in quorum *primo* tractandum erit de *Artibus liberalibus*, quænam de earum vtilitate ac numero, item

ſpe-

ſpeciebus diverſa fuerit ſectarum Græcarum & Latinarum diſſenſio, *ante Auguſtinum*, in *ſecundo*, quænam fuerit *Auguſtini* de iis ſententia *&, qui eum per ſingula ſecula ſecuti ſunt, philoſophorum.* Sed cũ hæc prolixiorem mereantur diſcurſum, ne præſens obſeruatio nimis excreſcat, vtrumque caput peculiaribus reſervabimus obſeruationibus.

§. XVII. Ut vero ex ibi dicendis, patebit, doctrinam communem in ſcholis receptam, quod ſint *ſeptem* artes liberales, & quidem *Grammatica*, *Logica*, *Rhetorica*, *Arithmetica*, *Muſica*, *Geometria*, & *Aſtronomia*, ab *Auguſtino* originem ducere; ita communiter etiam harum ſeptem artium *duæ* conſtituunrur claſſes, in quarum *prima* ſunt *tres* priores, in *ſecunda*, *quatuor* reliquæ mathematicæ. Sed has claſſes tamen & earum *diſcretionem* non omnes unanimiter efferunt.

§. XIIX. *Auguſtinus lib. 2. de ordine cap. 16.* ſic diſtinguit: Artium liberalium aliæ *ad uſum vitæ* diſcuntur, (tres priores,) aliæ *ad cognitionem rerum, contemplationemque*, (quatuor poſteriores.) E collatione tamen locorum duorum, qui leguntur *II. de ord. c. 12. in fin. & 13. ab init. item cap. 11. & 12.* ſic diſtinguas. Priores tres ſunt *rationabiles in ſignificando*, poſteriores quatuor *rationabiles in contemplando.*

§. XIX. Caſſiodorus *p. 442. 474. 519. 520. 568.*

 ſic

hic videtur diſtinguere, ut priores tres vocet *artes*, poſteriores quatuor *diſciplinas*. Quid vero inter artem & diſciplinam interſit vide apud eundem *p. 1.* quamvis apud alios idem ſit ars, ſcientia, doctrina, diſciplina, facultas. *Bellovac. ſpec. doctr. ſ. 14.*

§. XX. *Wowerius polymath. p. 25.* & *Voſſius de philoſ. p. 45.* tres priores vocant *Logicas*, quatuor poſteriores *Mathematicas*. Uti autem de his nullum eſt dubium, & Wowerius ſe facere hanc diſtinctionem ſcribit, ex uſu ſcholarum, ita *Logicæ*, ſic dictæ videntur non tam à ratione, quam ab *oratione*, ἀπὸ τῆ λόγυ προφορικῆ. Comprehenduntur enim ſic & Grammatica & Rhetorica quoque. Itaque neſcio, an ſatis recte Wowerius tres priores reddiderit rationales, cum rectius dicantur *ſermocinales*. Scio quidem à Patribus Eccleſiæ & à philoſophis, philoſophiæ partem Logicam (cum tota Philoſophia diuiditur in Logicam, Ethicam & Phyſicam) verti rationalem: ſed tum in Logica, fortaſſe maxime & unice reſpicitur ad Dialecticam, non perinde ad Grammaticam & Rhetoricam. Et male Wowerius hic prouocat ad Augustinum, *lib. 2. de ordine* quod artes, quas Scholæ Logicas appellent, in oppoſitione ad Mathematicas, ibi verterit rationabiles. Oſtendimus enim §. XIIX. quod vocauerit quidem rationabiles, ſed

ſed in ſignificando, reliquas vero quatuor eſſum rationabiles [Logicas] dixerit in contemplando. Sic & Philoni apud Voſſium *p.6, de philolog.*, Geometria, Aſtronomia, Rhetorica, Muſica, omnes, & præterea plures comprehenduntur nomine τῆς λογικῆς θεωρίας.

§. XXI. Vulgatiſſima inter ſcholaſticos diſtinctio fuit in *Trivium* & *Quadrivium*, quod & barbare Quadruuium dixere. *Vide Voſſium de Mathem. p. 20. Saresb. metalog. p. 29. Conring. antiq. Acad. p. 80.* Per triuium intellige Grammaticam, Logicam, Rhetoricam, à quibus & triuiales ſcholæ appellatæ. *Conſ. Voſſium de vit. ſerm. p. 112.* Triuiales dicuntur etiam ſermocinales. *Vincent. ſpec. doctr. f. 3.* Tres de ſermone ſunt, quatuor de quantitate. *Viues de corrupt. art. p. 5.* Ratio triuii omnium ſermonum quadriuii lex totius naturæ ſecreta exponit, *Saresber. metal. p. 29.* Quadriuium mathematicas quatuor deſignat.

§. XXII. Sunt, qui putant, quod vox *viae* hoc loco, in denominando Triuio & Quadrinio poſita, exprimat vocem ὁδὸς, ſumptam pro compoſita μεθόδος, i. e. *diſciplinas*, ſed ſi verum eſt, quod infrà in Hiſtoria ſeptem artium liberalium, vt veriſimile oſtendetur, prius quadriuii, quam triuii vocem in vſu fuiſſe, &, quantum conſtat, primum Boëthium quadriuii vocem de quatuor

ſcientiis mathematicis uſurpaſſe, & quidem, ideo, quod hanc viam calcare debeant, qui à ſenſibus ad certiora intelligentiæ perduci velint, ὁδὸς hic non tam diſciplinam ſeu methodum denotat, quam vi metaphoræ, *medium aliquod*, per quod ad philoſophiam progrediamur. Et hoc eodem ſenſu, in ſchola Platonica nihil notius fuit, quam matheſin eſſe, ὁδὸν ad philoſophiam. Sic Philo, *apud Voſſ. p. 6. de Philol.* τάυτη ὁδός ἐστιν ἐπ' ἐκείνην φέρουσα.

§. XXIII. Pergo ad *finem* artium liberalium, ubi Auguſtinus, initio in libris de ordine, *duos* eis fines dederat, vt nempe partim ad *uſum vitæ* partim ad *contemplationem* inſeruiant, *vid.* §. *18.* Poſtea in libris de doctrina Chriſtiana, ſeculares omnes literas utiles reuocauit potius *ad intelligendas ſcripturas*, niſi quod intellexit, Rhetoricam proferendis potius, quæ intellecta ſunt, quam intelligendis, inſeruire. *Auguſt. Tom. III. f. 37, 38.*

§. XXIV. Caſſiodorus, quanquam *p. 568. Var.* Mathematicas imprimis eâ ratione commendet, quod *ſenſum* noſtrum *acuant*, limumque ignorantiæ detergant, & ad illam inſpectiuam contemplationem, ſi tamen ſanitas mentis arrideat, perducant; tamen in genere *p. 474.* omnibus hunc finem tribuit, vt tam *in literis ſacris*, quam in expoſitionibus doctiſſimis

mus nostra intelligimus. Auguſtini ergo & Caſſiodori intentione inprimis ordinatæ fuerunt ad *uſum Theologiæ*.

§. XXV. Poſtea agnitum eſt, eas prodeſſe tum *in genere* ad *omnem eruditionem*, tum *in ſpecie*, ad *Theologiam*, *Jurisprudentiam*, *Medicinam*, & *Philoſophiam*, liberalibus ſeu propædeuticis artibus contradiſtinctam. *In genere*, ut omnem aperirent lectionem, ad omnia intellectum erigerent, & omnium quæſtionum, quæ probari posſint, difficultatem ſufficerent enodare, *Saresb. Metal. p. 29. & 55.* & eſſent adeo fundamentum omnis doctrinæ. *Hugo de S. Victore apud Vincent. ſpec. doctr. f. 27.* *In ſpecie* fundamenta ſunt trium ædificiorum, Medicinæ, Theologiæ & peritiæ juris. *Vives de corrupt. art.*

§. XXVI. Inſerviunt *Theologiæ*. *Calixt. p. 39. Apparat. Lipſ. de Rep. p. 1194. ex Eugenio, & Clemente. Richard de Bury Philobibl. p. 471.* Proſunt ad detegendos errores Gentilium, & jugulandos eos propriis gladiis. *Thol. ſ. p. 1145. Vincent. ſpec. hist. Eccleſ. f. 286.* Non tamen in his liberalibus eſt ſalus animæ. *Bernh. ap. Calixt. d. l. cap. 4. p. 75.*

§. XXVII. Præparant ad *Jurisprudentiam*, *Tholoſ. p. 1145.* ad *Medicinam*, *Vincent. f. 1170.* ad *Philoſophiam*. Si vel una defuerit, cæteræ Philoſophum facere non poſſunt: *Hug. de S. Victo-*

 re

re ap. Vincent. f. 27. Ad *ſecularem* eruditionem ducunt. *Caſſiod. p. 440. ſeq.* Neceſſariæ autem ſunt, non cuiuis quidem homini, ſed certe Reipublicæ. *Tholoſ. p. 1196.*

§. XXIIX. Quod in ſpecie *Trivium* attinet, *Grammaticam* à Grammatiſtica diſtinguendam eſſe monent, *Voſſius de popul. p. 2. de Philol. p. 24. Nunneſ. p. 55.* Poëticam ad Grammaticam refert Saresberienſis, *p. 44. 45.* Senecæ *in Epiſt. p. 511.* Grammatica verſatur circa curam ſermonis, hiſtoriam, carmina. Imo Poëtæ pro Grammaticis videntur nominati a Cebete *in Tabula*, & Syneſio *in Dione f. 23. 25, 28. 31. 32.* Saresberienſis etiam *metal. p. 50.* proſodiam ad Grammaticam revocat, quam tamen *pag. 53,* ad Muſicam Metricam pertinere dicit. Alii putant *Poëticam* intelligi vel ſub Rhetorica vel ſub Muſica, aut omiſſam eſſe ex errore veterum, alii etiam comprehendi ſub Grammatica, cujus partem aliquam, nempe proſodiam, indocti Grammatici confuderint cum Poëtica, cum tamen toto coelo differant Tonus & Quantitas. Ad Grammaticam Auguſtinus *Tom. III f. 5[illegible]*, & Saresberienſis *fol. 48, & 57.* etiam Tropos & Schemata referunt. Imo omnes artes liberales interdum Grammaticæ nomine venire, notat Voſſius *Philol. p. [illegible].* Apud Quintilianum *p. 65. Inſt. Orat.* Grammatica dividitur in Methodicam & Hiſtoricam.

§. XXIX.

§. XXIX. *Dialectica* Sareſberienſi *pag. 68.* Logica eſt, ſimpliciter, ipſa Philoſophica diſciplina, quæ Logica dicitur. A Rhetorica doctrinam de tropis & Schematibus auulſam, quidam ad Grammaticam referunt, vt modo oſtendimus.

§. XXX. De Quadriuio ſeu *Mathematicis diſciplinis in genere* videndus Wowerius *p. 189.* Et dicitur hoc quadriuium Mathematica doctrinalis, à Caſſiod. *p. 520.* diſciplinaris a Ludou. Viue *de corr. art. p. 5.* Negantur autem hæ diſciplinæ eſſe ſcientiæ. *Wow. p 197. conf. p. 2[illegible]. Platon. oper. f. 704. F.* Negantur etiam eſſe partes philoſophiæ, *Senec. Epiſt. p. 516. Nunnes. p. 57. Voſſ. de philoſ. p. 22. de ſcient. mathem. pag. 15.* Mathematicæ res ſunt mediæ inter phyſicas & diuinas. *Wow. p. 216. 217. Voſſ. de ſcient. Math. p. 8. 1[illegible].*

§. XXXI. Mathematicæ ſcientiæ ſunt via, gradus, pons, omnia ad philoſophiam. *Wow. p. 21[illegible]. 219. 22[illegible]. 230. Auguſtin. Tom. I. f. 498. Lipſ. manud. ad philoſ. Stoic. p. 6. ſeq. Voſſ. de mathem. pag. 9. [illegible] Clem. Alex. p. [illegible] 6.* ſunt καθαρμοὶ λογικῆς ψυχῆς. Wowerius *p. 2[illegible]. Plato [illegible] f. [illegible]01. A.* animam conuertunt ad οὐσίαν. *Plato [illegible] 699. ſeq.* Metaphyſica ſecundum eundem Platonem *f. [illegible] & 706. E.* utitur Mathematicis pro adiutricibus & miniſtris. Uſus earum eſt ad contemplandum, non ad agendum *Max. Tyr.*

p.219. Viues tamen putat ad praxin potius ab antiquis eſſe relatas. *de corrupt. art. pag. 5.* Eas non eſſe propaedias, etiamſi acuant ingenium, arbitratur Keckermannus *Syſtem. p. 9.* imò nihil eas conferre ad veritatem ſtatuunt Euſebius, *Præpar. Evang. p. 38.* & Auguſtinus *Tom. I. fol. 5.*

§. XXXII. A Platonicis olim nonniſi *quatuor* ſunt conſtitutæ, nempe Arithm. Geom. Muſ. Aſtron. *vid. Wovv. p. 190. Caſſiod. p. 567. Euſeb. Præp. Eu. pag. 338. Voſſ. de ſcient. Mathem. Saresb. Policr. p. 74. 75. Plato lib. 7. de Rep. f. 697. C.* Etiam à Pythagoræis; à Pythagora tamen ipſo duæ tantum, Arithmetica & Geometria. A Plutarcho *tres*, Muſica, Arithmetica, Geometria. Wowerius *p. 191. ſeq.*

§. XXXIII. *In ſpecie* de iis notandum, quod *Geometriæ* nomine Quintilianus *Inſtit. Orat. p. 73. & 75.* complectatur *Arithmeticam*, Geometriam ſtrictè dictam, & Aſtronomiam. *Muſica* quondam Grammaticæ ſubjecta fuit, *Quint. p. 70.* Muſicam theoreticam à practica diſtinguendam eſſe, monet Voſſius *de popul. p. 2. de philol. p. 1. 2. Nunnes p. 55.* Plato autem *fol. 702.* Muſicam practicam ſimpliciter Muſicam vocat, Theoreticam verò harmoniam. *Aſtronomiam* & Muſicam ſorores vocat Plato *d. l.* Imò omnes quatuor Mathematicas diſciplinas

Ar-

Archytas facit ſorores, *in fragmento ap. Philopon. in Exegeſ. MSC. in l. Nicom. Geraſeni Arithm.*

§. XXXIV. Sed &, quod *ordinem* artium liberalium attinet, non conueniunt ſcriptores. Vulgo totum *triuium* toti *quadriuio præmittitur.* Quem ordinem Voſſius *pag. 20. de ſcient. Mathem.* ex Hirſaugienſi profert. Sunt & alii infiniti, qui idem nos doceant. Sed hoc conſilium *diſplicet* Voſſio *d. l. p. 19.* Sed cauſam veterum videtur ignoraſſe, qui Dialecticam ideo poſtponebant, quia credebant, eſſe partem Philoſophiæ, præcipue ſi hoc nomine indicabant Metaphyſicam, quo ſenſu & Plato dialecticam quadriuio poſtponit *f. 706. E.*

§. XXXV. Græcos Matheſin etiam *Rhetoricæ* anteposuiſſe, aſſerit idem Voſſius *d. l. §. 10. & 11.* ſed abſque autore. *Et forte confundit* Arithmeticam & Muſicam practicam cum theoreticâ. Si enim præſuppono, artes quatuor populares, ſub quibus Grammatiſtica, (hæc autem & computandi quandam artem complectebatur, docente Wowerio *cap. 7. p. 40.*) & Muſica practica fuit, iuuentuti traditas fuiſſe ante liberales medii ordinis, apparet quædam ratio, quomodo Mathematici quiddam, computare nimirum & canere, didicerint ante Rhetoricam. Quam Rhetoricam nihilominus ita diſcebant, ante ſubliniorem & theoreticam Matheſin. Sed ipſe

viderit Voſſius, quibus autoribus ſuam ſententiam ſtabiliat. Putes, & Thomam Rhetoricæ antepoſuiſſe Matheſin, ex iis, quæ de eo Voſſius *d. l. ad.* §. 9. ſi cum præcedentibus conferantur. Sed Thomas judicium ſuum interpoſuit, non hiſtoriam Græcorum recenſuit.

§. XXXVI. In ſpecie, *ordinem Trivii* quod concernit, inter omnes conſtat, *Grammaticam* duabus cæteris anteponendam, & tanquam nutricem præ foribus collocandam. *Wovver. p. 198.* Caſſiod. p. 519. Saresber. *Metal. pag. 30. 53. 56. 63.* Sed *Dialectica* & *Rhetorica* de præcedentia ambigunt. Quidam enim *Dialecticam* anteponunt Rhetoricæ, ut Auguſtinus *Tom. I. fol. 489.* Martianus Capella *fol. 34. 62.* Gregorius Turonenſis *apud Barthium Advers. f. 409.* Hirſaugienſis *apud Voſſium de Mathem. p. 20.* Saresberienſis *p. 58. Metalog.* Wower. *pag. 20. 210. 211. 234.* Vives *p. 5.* &c. Sed hunc ordinem Wowerius *p. 25.* male probare videtur, ex Ariſtotelis Exotericis & Acroamaticis. Nam non iidem uti obique diſcipuli. Et oportebat prius in exotericis exerceri futurum ἀκροατήν. Tota illa librorum Ariſtotelis diſtinctio, neſcio an ullum in hac quæſtione momentum faciat. Ut taceam ſi Voſſium ſequimur, Logicam ab Ariſtotele, ipſi etiam quadrivio Mathematico poſtpoſitam fuiſſe. Alii vero *Rhetoricam* ante-

anteponunt Dialecticæ, vt Caſſiod. *p.474.519.* Iſidorus *fol. I.* (quod Voſſius improbat *de mathem. p.20. §.11.*) Vincent. *in ſpec. doctr. fol. 1170.* Freig. *in Rami profesſione Regia.*

§. XXXVII. In *ordine quadriuii* mire variatum *video*, ita vt nouem variationis modos obſeruauerim. 1. Arith. Geom. Aſtron. Muſ. *Plat. 7. de Rep. f.697. ſeq.* 2. Arith. Geom. Muſ. Aſtron. *Caſſ. f.520. Iſid. f.69.71. Vincent. fol. 1170.* 3. Arith. Muſ. Geom. Aſtron. *Wouv. p.192. ſeq. Hieſaug. ap. Voſſ. de math. p.20. Caſſiod. p.474.567. Iſid. f.1.* 4. Geom. Arithm. Muſ. Aſtron. *Vives p.5.* qui tamen mox aliter, nempe 5. Arithm. Aſtron. Geom. Muſ. 6. Geom. Arith. Aſtron. Muſ. *Capella p.123.135.179.199.* 7. Geom. Aſtron. Arithm. Muſ. *Turon. ap. Barth. Adv. fol. 409.* 8. Muſ. Geom. Aſtron. Arithm. *Aug. Tom. I. fol. 490. conf. f.7.* 9. Muſica, Arithmetica, Geometria, Aſtronomia: *ita in verſibus vulgaribus. Arithmeticam primam* eſſe inter Mathematicas diſputant Caſſiod. *p.56.* Wowerius *pag. 502. Aſtronomiam ultimam* eſſe, ait Iſid. *fol. 88.* vt animus nempe in ſupernâ contemplatione collocetur.

OB-

OBSERVATIO V.
MICHAELIS SIDONII, EPISCOPI MARTISBVRGENSIS VITA.

SVMMARIA.

MIchaelis Sidonii cognomen & Patria, §. I. *Parentes & ſtudia,* §. II. *Dignitates. Fuit Ludimagiſter, Parochus, Eccleſiaſtes, Theologiæ Doctor, Suffraganeus Archiepiſcopi Moguntini, Titularis Epiſcopus* Sidonienſis, *vnde & communiter Sidonius cognominatus,* §. III. *quamuis poſt impetratum Epiſcopatum Martisburgenſem hunc titulum dimiſerit,* §. IV. *ſcripſit Inſtitutionem ad Chriſtianam pietatem, ſeu Catecheſin Moguntinam,* §. V. *& defenſionem aduerſus Flacium, in quâ tamen ad obiectam ipſi à Flacio ſcortationẽ tacét,* §. VI. *Auguſtæ in comitiis in templo diuae virginis concionatur de ſacrificio Miſſæ, easque conciones typis euulgat, contra quas ſcripſerunt Bernh. Zieglerus & Hartmannus Beier,* §. VII. *Dum librum Interim ſimul cum aliis condidit, aliisque modis Euangelicis reſtitit, in præmium Epiſcopatum Martisburgenſem accepit, cuius notabiliores circumſtantiæ narrantur,* §. IIX. *Eius inſignia,* §. IX. *& moderatio ac ſtudium pacis,* §. X. *Interfuit Comitiis Auguſtanis, Colloquio Wormatienſi, Concilio Tridentino, fa-*

ctus

Fuit etiam Aſſeſſor Cameræ. Extruit ædificia publica. Eius mors & ſepultura, §. XI. *Supplementa de eius propenſione in egenos ſcholaſticos, & ſcripta alia*, §. XII. *Fabella de eius ſpiritu familiari*. §. XIII. XIV.

§. I.

M*Ichaelis Sidonii*, *Episcopi Martisburgenſis* celebre nomen eſt in Eccleſiaſtica ſeculi ſuperioris hiſtoria. Nos totam eius vitam è diuerſis autoribus ita digerimus. Verum ipſi *cognomen* fuit *Heldingo*, ſeu, *Hellingo* (*Merſæus p. 121. Mogunt. rer. Dreſſerus. p. 4. Iſagog. pag. 253. Albinus f. 283.* der Meißniſchen Land Chronick.) *Geldinum* tamen vocat Beſoldus *Lib. V. oper. Polit. p. 141* Cur *Sidonius* appelletur, patebit infra. Belgam eum facit Pantaleon *l. 3. Proſopogr. f. 357.* & Dreſſerus *d. l.* Sed rectius in terra *Feringenſi* natum, ſcribit Camerarius *in vita Philippi Melanchthonis p. 221.* Eſt autem Feringa, Wurtenbergicæ Regionis Comitatus (*conſule Munſterum & alios Cosmographos.*) Patriam eius *Eßlingam*, Sueuiæ vicum facit Miræus *L. 2. Bibliot. f. 67. Ridlingenſem* vocat Beſoldus *d. l.*

§. II. Parentibus *humilibus* quidem, ſed *honeſtis* natum ſe, ipſe fatetur, *aduerſus Illyricum p. 6. Molitoris* filium facit Albinus, eines

Wein=

Weinhäckers Sohn Flacius in der Antwort auff des Larven Biſchoffs Helhipley *lit. a. 4. fac. b.* Natus eſt *A. 1506.* (*Pantaleon.*) Conſentiunt, qui mortuum *A.* C. *1561.* ſcribentes, ætatis *A. 55.* id factum addunt, de quibus infra. Adoleſcens *omnis generis artes* feliciter didicit, atque poſtea *Theologiæ*, in Academiis pasſim operam dedit, (*Pantaleon, Merſæus, Dreſſerus*) *Tubingenſi* præſertim, (*Camerarius p. 221. & 363.* Ibi vixit aliquantisper in Contubernio fundato ad alendos pauperes ſcholaſticos, quibus, certo numero, & de domicilio, & de victu, & doctrina proſpectum eſt, h. e. in *Contubernio Martiniano*, quod ſic ab autore inſtitutionis vocatum eſt (*Camerarius*, *Cruſius P. 3. Annal. Sueviæ f. 665.*) Ibidẽ & bonarum artium *Magiſter* renunciatus eſt. (*Camerarius.*)

§. III. Studiorum curſu confecto, *Moguntiæ Ludimagiſtrum* in ſummo templo, deinde *Parochum*, & una cum Ioanne Fero *Eccleſiaſten* diu egit, (*Miræus P. 2. Biblioth. f. 67.*) *Theologiæ* interim ſtudiis ſerio ſemper incubuit, illius ibi *Doctor* publico, ſolennique ritu A. 1543. renunciatus. (*Idem*; Exinde curatio hæc illi lata eſt, vt eſſet *ſuffraganeus Archiepiſcopi Moguntini*, proque eo res Eccleſiæ ſpirituales adminiſtraret. (*Camerarius, Pantaleon, Merſæus, Dreſſerus, Miræus.*) Is fuit Sebaſtianus ab

Hauſ-

Hanſſenſtein, ſucceſſor Alberti Cardinalis Brandenburgici factus, A. 1547. *Merſæus p. 119. Sidonius ipſe adverſus Illyricum p. 11.*) Quanquam & ſub Alberto videtur hoc munere functus fuiſſe (quod colligas *ex loco ipſius proxime allegato*, adde *Hadamarum, dedicatione Ovidianæ Metamorph. Germanicæ. b. 2.*) Porro ad ſuffraganeatum Moguntinenſem obtinuit à Sede Apoſtolica *titulum Sidonienſis Epiſcopatus*, more Germanis vulgatiſſimo & notiſſimo, (*ipſe adverſus Illyr. p. 5. Beutherus.* in verdeutſchte *Sleidano ad marginem f. 244 Miræus*) ſed non ideo vacante reprehenſionis. (*Camerar. p. 211. 362.*) Quare & cũ larvati huius Epiſcopatus nomine, falſe perſtringit Flacius, *p. 2. & ſeqq.* der Wiederholung des Catechiſmi des Larven Biſchoffs von Siden/ videturque & Georgius Princeps Anhaltinus, tacite atq; tecte eum perſtringere voluiſſe iis, quæ de ſuffraganeis diſſerit, *Opp. Germ. f. 119. præfat. Concionum de falſis Prophetis*, quas ideo nimirum habuerat, vt muniret Martisburgenſes ſuos adverſus venenum Pontificiæ Religionis a Sidonio timendum. *Sidonius* quidem, ob hanc cauſam, pasſim nominatur ab auctoribus, vt adſcribere loca ſuperuacuum ſit.

§. IV. Cum autem tales ſuffraganei, quando ad iuſtum verumque Epiſcopatum vocantur, abſolui ſoleant a Pontifice, a titulo

lar-

laruati Epiſcopatus, *Georgius Anhaltin9 f.200.*) non eſt dubium, Heldingum quoque ad *Martisburgenſe* pedum vocatum, à Sidonienſi epiſcopatu fuiſſe abſolutum. Nam ideo ap. Georg. Anhaltinum *f.372.* vocatur etwan Biſchoff von Sidon. Et ipſe *in defenſione adverſus Illyricum*, tacito Sidonii nomine, Michaëlem ſe vocat, Episcopum Mersburgenſem, contentus addidiſſe, ſuperiore tempore Suffraganeum Moguntinum, & expreſſe *ibi p.5.* ait, ſe titulum Sidonienſis epiſcopatus aliquot annis obtinuiſſe. Nihilominus non deſiit ab aliis, poſt illud quoque tempus, vocari Sidonius, vt à Ph. Melanchthone *lib. 2. Epp.218, 220, 234, 235, 239*, & aliis ſine numero.

§. V. Porro, dum adhuc Moguntiæ ſuffraganei officio fungitur, in vſum puerorum, nobilium, qui in Aula Archiepiscopi erudirentur, congesſit *Inſtitutionem ad Chriſtianam pietatem*, eamque cum multi alii expeterent, etiam typis vulgari paſſus eſt. (*Ipſe aduerſus Illyr. p.2.* & *8.*) Ea videtur eſſe, quam *Catecheſin Moguntinam* vocat Melchior Adami *in vitis Theologorum Germanorum, p. 607.* cuius Mich. Sidonius auctor ferretur, refutatam à Wigando. *Idem p. 618*, Sidonii quoque Catechiſmum maiorem memorat; ſeu Inſtitutionem de pietate, decretis Concilii Prouincialis Moguntini adiunctam (editam habeo

A. 1549.

A. 1549. *in fol.*) è quo poſtea commonefactiones annotauerit Wigandus, oſtendentes, qualem reformationem iam Epiſcopi pontificii moliantur. Fieri ergo poteſt, vt hanc Inſtitutionem innuerit Sidonius *l. c.* Quicquid ſit, videtur repetita eſſe Catecheſeos iſtius editio, cum iam Martisburgenſis Epiſcopus factus eſſet Sidonius, quam & Lipſiæ venditam, alicubi exprobrat Flacius: & eam ſibi iſto tempore, A. nimirum, 1550. refutandam putauit. Titulus refutationis: Wiederlegung des Catechiſmi des Larven-Biſchoffs von Sidon/ *Magdeburgi in 4to.*

§. VI. Ibi *ſcortationem* quoque Sidonio obiicit his verbis, *p.* 4. Ein ſolcher Larven-Biſchoff iſt dieſer Sidonius auch. Derſelbige nachdem er ſein Biſthum wohl hat beſtellt und verrichtet/iſt er ein Fladen weiher/Weiher Biſchoff wolt ich ſagen / zu Mayntz worden / und dieweil er nun auch daſſelbige ſein Ambt vollkömmlich ausgerichtet/[denn man ſaget/ er ſoll faſt bey 8. Töchter haben/ kanſt gedencken/ was vor ein keuſcher Mann er iſt/ und wie er ſein Gelübde der Keuſchheit ſo ſtrenge hält] ſo kommt er nun in Meiſſen. Sidonius amicos diu ſibi obſtitiſſe ait, ne Flacium vlla reſponſione dignaretur: ſed vix tandem ab iis ſe impetraſſe, vt reſponderi permitterent; (*defenſionis p.* 9.) oppoſuit itaque

que *Flacio defenſionem*, eamque præfixit Inſtitutioni ſuæ ad pietatem, *denuo editæ Moguntiæ A 1552. in 8vo, latine.* In ea tamen ad obiectum ſcortationis crimen *nihil reſpondet*, ſed illud tacite prætermittit.

§. VII. A. 1547. in Comitiis *Auguſtanis*, cum Carolus V. Imperator primarium templum, & alia quædam permiſſis Senatui caeteris, ſibi ſumſiſſet, *docendi in eo muneri* Sidonium præfecit, catholicamque religionem apud omnes urgere iuſſit, (*Sleidanus l.19. pag. 590. & alii:*) Sacrum autem id templum fuit *divæ virgini* in quo alias docuerat Wolffgangus Muſculus. Qui, licet iam ſuo templo careret, a prædicandi tamen munere non deſtitit, ſed captabant ei9 verba Corycæi, ſi forte eum maledicentiæ, aut concitatæ plebis arguere poſſent, ex quibus facilè primus fuit Sidonius, qui ipſius Conciones frequenter non audiebat ſolum, ſed & calamo excipiebat. (*Melch. Adamus in Theol. Germanis, pag. 380.*) Habuit autem Auguſtæ Sidonius *Conciones XV. de Sacrificio Miſſæ*, quæ poſtea fuerunt ab ipſo typis euulgatæ. (*Sleidan. p. 591. Cruſius P. 3. Annal. f.* 165.) ac vidi editionem Ingolſtadianam A. 1545, duabus aliis Concionibus auctam. Latine autem XV. illas reddidit Surius (*Mir. 9 fol. 67.*) Illi A. 1548. *diſputationem de Miſſa* oppoſuit Lipſiæ *Bernhardus Zieglerus*, eod. Ano

no

no ibi in 8vo impreſſam. In eodẽ negotio contra eum ſcripſit quoque *Hartmannus Bejer* (*Böttiger Iſagog.p.421.*)

§. VIII. Eodem Anno Sidonius cum Julio Pflugio & Ioh. Islebio, libri INTERIM autor fuit, (*præter alios Sleidan.l.20.p.620.*) quam formulam etiam *Francofurti* primus introduxit, & expiatis ibi templis, more ſuo ibi concionatus eſt. (*Sleidan.l.51.p.653.*) Pari ratione, Synodo Moguntinæ interfuit, eiusque Conſtitutiones ſcripſit & edidit. (*Pantal.f.*357) Cum hoc modo Euangelicis reſiſteret, Episcopatu *Merſeburgenſi*, quaſi quodam *præmio* ornatus eſt. Cum enim Cæſar ad Mulbergam victor, foedus Smalcaldicum ſoluiſſet, Auguſtus, Saxoniæ tum Dux, poſtea Elector, *adminiſtrationem Epiſcopatus Merſeburgenſis*, cum eoque Georgius, Princeps Anhaltinus, *prouinciam Coadiutoris* in rebus ſpiritualibus, ſponte depoſuit (*Pantal.d.l. Dreſſerus, Sleidanus l.21. pag. 638. Georgius Hahn appendice ad Brotuſii Chronicon f.690, Camerarius in vita Philippi, p.220. & de Mauritio, p.*315.) Paulo poſt ergo effectum fuit, vt Collegium Mersburgenſe, omiſſa antiſtitis, more maiorum, ex ſuo corpore *electione*, *poſtularent* ab hoc externo, vt Antiſtes Eccleſiæ illius eſſe vellet. (*Camerarius*) Nimirum conturbatis bello rebus (*Pantal. Merſæus, Camerarius in vita Philippi p.363, Brotuſius in Chronico*

nico f. 669.) diſcrepantibus ſtudiis Collegii (*Camerarius d. l.*) à tribus, quatuorue Canonicis [*Flacius* Wiederlegung des Catechiſmi *p.5.*] ſequente A. 1549. poſtulatus, poſteaq; à Iulio III. confirmatus, & per Carolum V. A. 1550. Regalibus Capituli Martisburgenſis donatus eſt:(*Brotuſius d. l.*] cum quidem iam in Comitiis Auguſtanis A. 1548, huic Epiſcopatui à Cæſare deſtinatus eſſet, (*Beutherus in Sleidano germanice verſo, ad marg. f. 244.*) Cum Martisburgi reciperetur, die Martis poſt Andreæ Feſtũ, h. e. 2. Decembr. (*Georgii Anhaltini opera Germanica, f. 373.*) repetiit Georgius Anhaltinus Princeps, Capituli Senior, proteſtationem ſuam, iam deliberatæ poſtulationis tempore inſtitutam [*vita Georgii Anhaltini Opp. Eius præmiſſa, Camerar. in Philippo pag. 221.*] ſe quidem non intercedere, quo minus pareatur Cæſareæ Maieſtati, & Sidonius terrae illius dominatui præſit, ſed hac tamen conditione, ne religio immutetur; vtque defenderentur ſacerdotes maritati (*Opp. Georg. Anhalt. Germ. f. 196. & 372.*] quod & promiſit Sidonius. (*ibid.*) Ideo autẽ Imperatoriæ voluntati ſe ſubmiſerat Georgius, ne videretur ipſe commodum ſuum quæſiiſſe, h. e. affectaſſe epiſcopatum, [*Camerarius, & vita Georgii*] cui proximus ille, ſi more uſitato, ex ipſo Collegii corpore, facta fuiſſet electio, utpote Senior, fuiſſe vi-

detur. Atque hinc interpretor verba Beutheri [*ad marg. f. 244.*) ſcribentis , à Carolo deſignatum Epiſcopum Sidonium loco Georgii Anhaltini.

§. IX. Brotuſiani Martisburgenſis Chronici editio vetus, de A. 1557. *inſignia* quoque Michaëlis Sidonii appoſuit, cum *lib. 2. c. 62*, tum *in titulo ſtatim & poſt dedicationem*, (dedicauit enim Sidonio) vbi omniũ totius Capituli membrorum iſtius temporis, & nomina & inſignia habentur. Habet autem Michaël in inſignibus *Crucem nigram*, deinde *Lilium* & *auiculam*. Adſcripſit codici meo, neſcio quis, hoc diſtichon: *Qui paſcis volucres, Pater, & qui lilia veſtis, corporis atque animæ ſit tibi cura meæ.* Eſt a. *Crux* illa *Epiſcopatus* ipſius inſigne, *cætera priuatim* ad Michaëlem pertinent.

§. X. Etſi autē Sidonius animum a repurgata doctrina alienum habuit, atque adeo ab eo, ſi veniret, diſſipationem magnam metuebat Philippus Melanchthon, *in Epp. l. 2. C. 218*; tamen libere nihilominus, paſſim in diœceſi Martisburgenſi præconium Evangelii factum eſt, & rite adminiſtrata Cœna Dominica, (*Dreſſerus*) quæ quidem *gratia* & Mauritio Electori deberi videtur, (*Camerarius de Mauritio, p. 315.*) *Moderatum* ſe quoque Sidonius in Comitatu Naſſaenſi præbuit. Sic enim de-

eo Philippus *d. l. p. 220. De Sidonio narrat mihi quidam noſter auditor, in Comitatu Naſſaenſi, cum vidiſſet Sidonius ſolitudinem in templis, & paſtores conſtanter affirmarent, ſe miniſterium prorſus omiſſuros eſſe, ſi non poſſent eo fungi, vt antea, permiſiſſe, vt rurſus doceant, & Coenam Domini adminiſtrent priore more, qui ibi hactenus in vſu fuit. Vidi autem illas Eccleſias prorſus congruere cum noſtris; Sed addidit Sidonius, tantiſper ſe hoc concedere, donec alia mandata mittantur.* Etiam Brotufius *f. 650.* illum laudat à moderatione & *ſtudio pacis*, quo ſe ita geſſerit, vt neutri parti fuerit moleſtus; cum id optaret, vt ad tranquillitatem Eccleſia reuocaretur. Et ipſe Georg. Anhaltinus, *f.* 197. *Opp. Germ.* teſtatur, lenem eum initio fuiſſe, concionesque aliquot inculpabiles de beneficiis, & gratia Chriſti atque fide habuiſſe. Sed idem tamen addit, paulatim eum poſtea, ad pontificias ſuperſtitiones cum per ſe, tum per alios inflectere cœpiſſe. Et Flacius, *p. 11.* der gründlichen Verlegung aller Sophiſterey/ait, eum minatum eſſe reformationem Academiæ Lipſienſi. Camerarius quoque teſtatur, *p. 315. de Mauritio*, ſpem ab eo factam, vt tum ferebatur, Pontificiis, in ſtatum priſtinum omnia redigendi.

§. XI. A. 1550. in *Comitiis Auguſtanis* Principibus aſſedit, (*Pantal.*) A. 1557. in *Colloqnio Wor-*

Wormatienſi inter collocutores partis Pontificiæ Princeps fuit. (*Camerarius in Philippo, pag. 362. Dreſſerus P. 3. Iſag. p. 89. & P. 4. p. 253.*) In *Concilio Tridentino* etiam aſſedit, eruditioneq; ſua exteris innotuit. (*Dreſſerus*, Pant*al: Merſæus*) Conſtituit eum quoque Imperator Ferdinandus *Aſſeſſorem Cameræ*, & iudicii Imperialis, Spiræ, (*Miræus, Beutherus, Pantaleon, Hahn.*) Cæterum, dum Præſulem geſſit Martisburgenſem, multis *aedificiis excitandis* memoriam ſui reliquit. (*Brotuſius.*) Functus eſt autem munere Epiſcopi, usque ad annum 1561. [*Dreſſerus, Melch: Adamus in Theologis Germ. p.* 410.] quo nempe *mortuus* eſt, (*Cruſius P. 3. Annal. f.* 711. *Hahn, &* M*iræus*] ætatis A. 55. [*Pantaleon*, M*erſæus, Budæus in Thanatologia pag. 98.*] *Sepultus* honorifice Viennæ, in æde S. Stephani. [*Pantaleon & Hahn.*)

§. XII. Hæc in literas cum miſiſſem, incidi in *Nic. Serrarii libros rerum* M*oguntinarum*, è quorum *primi cap. 40.* duo ſupplementa huic capiti addere placet. Primum: fuiſſe Sidonium in *egentiores ſcholaſticos propenſiſſimum*, vehementerque oblectatum, velut acroamate *canentium ad oſtia*, adeo, vt etiam Epiſcopus ac Princeps, cum in magnifico epulo puerum huiusmodi ad ianuam cantantem audiret, eum ad ſe introduci iuſſerit, tumque ad conuiuas omnes dixerit: En! Domini mei,

bonum eſt adoleſcentulis opitulari talibus, bona ingenia, bonæque in his latent indoles. Huius & ego ſortis quondam fui. Alterum: exſtare *concionum eius, quas fere omnes Moguntiæ habuerit, tomum, Germanicum etiam in Salomonis Prouerbia Commentarium*, præterque Catechismum, *Canonis Miſſæ paraphraſticam explicationem cum Ceremoniarum declaratione.*

§. XIII. Cum A. 1655. excurrerem in pagum G. retulit mihi paſtor eius loci, de Michaele Sidonio, id, quod nullibi alias à me lectum, ac ne proditum quidem forte ab ullo ſcriptore, annotandum putaui tamen. Is ergo referebat, *pro Mago* eum habitum fuiſſe, neque id temerè. Obſeruaſſe enim domeſticos eius *felem ipſi familiarem* ab eo aliquando leuiter cum verbis: Tatze/ Tatze/ (ſic enim ſueuiſſe eam compellare) percusſam *diſparuiſſe*, eandemque poſtea, in colliculo quodam, inter Lipſiam & Martisburgum, iter forte habentibus, Epiſcopo eodem cum ſuis, ipſo die viſam *agmen ducere aliarum felium quam plurimarum in eo colle ſaltantium.* Non leuem inde ſuſpicionem ortam, in iſta fele, *Spiritum Michaelis familiarem* fuiſſe; viuere adhuc homines Martisburgi, cui hæc à Parentibus ſuis, maioribusque accepta, ad ſe deriuauerint. Quinquennio poſt intellexi,

non ab omnibus, eundem in modum, iſta de ſele commemorari. Itaque quid ea de re porro, tanquam ex ore vulgi, narrauerit mihi vir quidam nobiliſſimus, huc adſcribere pergam.

§. XIV. Contigit, vt collem, qui inter Lipſiam & Martisburgum ſitus eſt, præter equitaret Mich. Sidonius. In eo [mirabile dictu) magnorum cattorum coetum, ipſo die, conſpicatus eſt. Quorum unus, humana voce loquens, cum percontatus foret: Omnes ne adeſſent? Ihr Katzen ſeyd ihr alle beyſammen? (alii aiunt, ipſum Michaëlem, quaſi per jocum, & admirabundum, ſic interrogaſſe] alter quidam è turba Cattus reſpondit, ſolius Michaëlis Epiſcopi felem deſiderari: Es mangelt keine / ausgenommen Biſchoffs Michels Katze. Michaël domum cum veniſſet, viſa fele ſua, quid audiuerit, refert, cauſamque ex ea, cur abſuerit, poſtulat. E veſtigio felis per feneſtram in liberum aërem erupit, nulli viſa poſtea. Addebatur, in arce Martisburgenſi, feneſtram eam oſtendi, & in huius rei memoriam, depictæ felis prope feneſtram, veſtigia, ſed ea tamen ſatis obſcura demonſtrari: Quin &, [quod filius viri nobilisſimi addebat) Epiſcopum appictum eſſe, quaſi qui auolantem felem fruſtra captaret. Caeterum ea ex re collem illum, in hanc

usque diem, Cattorum appellari montem, der Katzenberg zwiſchen Leipzig und Merſeburg. Hæc autem ſic referebantur, vt intelligeretur, ignoranti Michaëli eueniſſe, vt felem putatitiam haberet, quam veram eſſe crederet, neque hanc ob cauſam, eum Magiæ inſimulatum fuiſſe. Sed fides ſit penes autores.

OBSERVATIO VI.
FABULA DE HATTONE A SATANA IN ÆTNAM PRÆCIPITATO.

Summaria.

Summa Fabulæ & ſuſpiciones contra eam generales, §. I. *Poëtarum fabulas de gigantibus ſub Ætna ſepultis, monachi transtulerunt ad portas inferni, quaſi hæ ſub Ætna ſint*, §. II. *Similes fabulæ de Hattonis quodam ſucceſſore, item de Arnolpho, Duce Boiorum*, §. III. *De Theodorico, Rege Italiæ, de Eumorpho Romano, & de Ebriono*, §. IV.

§. I.

De *Hattone*, Moguntinenſi Archiepiſcopo, (non *Bonoſo*, qui A. Chriſti 986. à muribus interiit, ſed alio quodam eius anteceſſore, qui A. Chriſti 891. ſedem occupauit, quemque perfidia in Albertum,

tum, Comitem Bambergenſem infamauit) vulgo referunt, *eum à Diabolis in ſublime abreptum, inque Ætnam montem præcipitatum eſſe, cum hac vociferatione: Sic peccata lues, atque ruendo rues.* Ita referunt Dreſſerus P. 4. *Iſag. p. 60.* Merſæus *in Annal. Mogunt. p. 192.* Fabricius *in Saxonia f. 106.* Wolfius *Tom. I. Memorabil. f. 334.* paſſimque non pauci. Cœpit hæc mihi relatio eo primum nomine *ſuſpecta* eſſe, quod *tanto itinere*, è Germania in Siciliam, deportatus Hatto à Dæmone dicatur, quaſi interitum ipſi afferre, (ſi Deus permiſiſſet) non opera leuiori, potuiſſet. Neque nihil monaſticarum Fabularum tota hæc narratio olebat, quæ & præclarum Diabolo epiphononema, idque, ne quid deſit decoro, *verſu rythmico* dedit.

§. II. Poſtea, cum incidiſſem in locum Petri Bleſenſis, vbi rationem redditurus, cur in Siciliam nolit reuerti, inter alia Ætnam quoque cauſatur, flammiuomum montem, eumque *portam inferi* appellat, vix dubitare amplius potui, quin iſta de Hattone conficta ſint, à volentibus ſignificare, eum poſt mortem illuc deueniſſe, quo diuitem epulonem ſacra narrat hiſtoria. Quod quidem pleniſſima ſceleribus ejus vita promeruit. Quid *Poëtæ de gigantibus*, quaſi *ſub Ætna ſepultis*, fabulati ſint, ignotum eſt nemini. Eas

fabu-

fabulas Monachi poſtea tranſtulerunt ad inferni deſcriptionem, voluerunt que credi, in illo hiatu fauces eſſe inferni, quemadmodum neſcio quid ſimile de Hecla, Islandiæ monte, fabulantur, vt videre licet apud Saxonem Grammaticum, *fol.* 2. & Surium *in Comment. de Reb. geſt. p.* 294. Conferenda quoque, quæ de monte, cui nomen der Hörſerberg/ habet Binhardus *Lib.* 2. *Chron. Thuring. p.* 128. Verba Petri Bleſenſis hæc ſunt, ep. 46. *Quis, quæſo, ibi ſecurus inhabitat, vbi præter cæteras paſſiones, Montes ignem infernalem ſemper euomunt, & vaporem ſulphureum euaporant? Nam ibi procul dubio eſt porta inferi, de qua dictum eſt: A porta inferi erue, Domine, animam meam. Portæ, inquam, mortis & inferi, ſunt montes Trinacriæ, vbi abſorbentur à terra homines, & deſcendunt ad infernum viuentes.* Et in fine: *Fugite, Pater, à montibus flammivomis: Suſpecta ſit vobis Etnæ vicinitas, nec vos morientem videat regio infernalis.*

§. III. Confirmat hanc ſententiam, quod ſimilia de aliis quoque memorantur, non maiori fide. Ait enim Fabricius *d. l.* cum de Hattone præceſſiſſet, *quod itidem, noſtra memoriâ, de eius quodam ſucceſſore* (*Alberto, Moguntino Cardinale* vide Alſtedium *in Turri Davidis p.* 384.) *ſermonibus delatum eſt, qui in Heclam Islandiæ ſit fluctibus aduerſis deportatus.*

Certè

Certe & *Auentinus* ſimilem fabulam de *Arnolpho*, Duce Boiorum, (quem, quod prædia Monachorum diripuerit, ſubito interiiſſe, adque Stygias Paludes, quaſi Cyclopas ad Ætnam raptatum, cadauer in lacum Schyrenſem abiectum, commenti ſunt) exploſit, graui ſermone Monachorum nequitiam increpans, quem vide *Lib. 4. Annal. Boiorum f. 308.* Item Cruſium *P. 2. Annal. Svevic. f. 98.*

§. IV. Neque abludunt fabulæ duæ, quas hic libet transſcribere è tractatu Mart. Rulandi *de Inferno p. 84.* Marulum citante. Prior hæc eſt: *Theodoricum Italiæ Regem, Arianum, ſolitarius quidam in Lipara, Siciliæ inſula, Deo ſeruiens, in ollam Vulcani* (quid hæc ſit, Cruſius docebit, *Tom. 2. Annal. f. 155.* loca nempe Siciliæ flammas eructantia, vbi exaudiantur eiulatus Dæmonum & iræ propter animas ſibi ereptas) *quæ flammas eructabat, vinctum deiici vidit à Johanne Papa Symmachoque* Patritio, *quos ille* Catholicam *tuentes fidem, non multo ante occiderat. Deprehenſum quoque eſt, eodem die ipſum interiiſſe, quo talia de illo ſolitarius viderat.* Poſterior: *Eumorphus Romanus, Gallæ viduæ filius, cum animam ageret, clamare capit, dicens:* Pergite *cito, accerſitum mihi Stephanum Optionem: Ecce enim, nauis ambos nunc ad Siciliam vectura, in portu nos præſtolatur: Jam oram ſoluit, iam vela ſuſpendit. Inſanire puta-*

ta-

tabatur, donec rurſus morantes famulos increpans: Non inſanio, inquit, agite, iam ite, ſi libet, & quod volo, perficere ne cunctemini. Dum eunt, audiunt Stephanum illum deceſſiſſe: dum redeunt, Eumorphum extinctum offendunt, vtriusque exitus, eodem temporis puncto, contigit, vt talis euentus doceret, haud temere viſum, eos ad Siciliam euocari, vbi Ætna, ſicut & infernus, igne flagrat inextinguibili. Addemus ex eodem Rulando hiſtoriam tertiam, in hæc verba deſcriptam *p. 96.* ex Adone Viennenſi: *Cæcus quidam, cui Ebrionus, Magiſter Equitum Regis Gallorum, effoderat oculos, cum ad ripam Sagonæ fluuii reſediſſet, orandi gratia, audiebat impetum nauigantium contra flumen. Cum vero interrogaſſet, quo cum naue tenderent? Reſpondebatur ei: Ebrionum ad Vulcaniam ollam deferimus, vt illic ſcelerum pœnas luat.*

OBSERVATIO VII. LIBER DE TRIBVS IMPOSTORIBVS.

SVMMARIA.

Blaſphemia de tribus impoſtoribus adſcribitur Simoni Tornacenſi, §. I. *item Friderico Imperatori,* §. II. *& Petro Pomponatio.* §. III. *Liber de tribus impoſtoribus, ſeu de vanitate religionum,* §. IV. *cuius ſummam Cardanus de ſubti-*

ſubtilitatibus referre dicitur. §. V. *Eius autor Petrus Aretinus.* §. VI.

§. I.

TRes fuiſſe Impoſtores, qui totum quaſi mundum religionibus infatuauerint, *Moſen, Chriſtum* & *Muhammedum*, vox eſt hominum Atheorum, & omnem religionem irridentium. *Vide Aleſium Dedicat. Comment. in Joh. p.17.* Antiquisſimus, qui nefarium hoc Apophthegma vſurpauerit, quod ſcire liceat, *Simon fuit Tornacenſis*, Belga, quem, qui Anglum volunt fuiſſe, Thurnaium vocant. (*vide Deſſelium Biblioth. Belg. p. 813, 814.*) Lucæ Losſio, *in Epigrammatis apud Melandrum* P. *3. Ioco-Ser. p. 9.* vocatur: P*ariſiis Doctor, Taraco de Gente ſuperbus.* Diſtinguendus autem ille eſt à Simone Episcopo Tornacenſi, quem A. 1143. floruiſſe memorant Magdeburgenſes, *C. 12. f. 1461.* Non enim Epiſcopus fuit, ſed Theologorum ſcholæ præfuit Pariſiis, obiitque A. 1201. *apud eosdem, d. l. f. 1443.* (vbi tamen perperam pro Thurnaio impreſſus eſt Thuruaius, quod etiam Horneius retinuit *p. 298. Hiſt. Philoſophicæ*) percusſus à Deo, & elinguis factus poſt horribilem illam editam vocem. Qua de re conſulendus Thomas Contipratanus *Lib. 2. de apibus c. 48. p. 440.*

§. II.

§. II. Poſt hunc Simonem, eadem impia vox tribuitur à quibusdam (hi ſunt Iuſt. Lipſius *l. 1. Monit. & Exempl. Polit. pag. m. 37.* Iac. Pontanus, *p. 816. Bellar. Attic.* Conzenius *l. 2. Polit. c. 14. citatus Voetio P. I. Select. Dispp. pag. 210.*) *Friderico II. Imperatori*, qui Imperium A. 1215. adeptus, obiit A. 1250. ſed iniuriam faciunt optimo Imperatori, quam refutaſſe ſcribitur Iacobus de Vineis, item Berneggerus, & Hottingerus *Hiſtor. Eccleſiaſt. Seculo XIII. pag. 389.*

§. III. Ex *Petro Pomponatio* quoque talia profert Carpentarius P. 2. *in Alcinoum, pag. 48.* quæ ſimilis atheiſmi ſuſpectum eum faciunt, quanquam alias de viri huius atheiſmo res dubia eſt, per Voetium P. *I. Diſpp. p. 197. & 198.* Carpentarii verba ſunt hæc: *Dubitando in ea incidit* (Pomponatius) *quæ Chriſtiano vel cogitare nefas, præſertim cum cap. XIV.* (de Immortalitate animæ) *dicere audet, à legumlatoribus fortaſſe confictam opinionem de animæ immortalitate, vt hac ſuos in officio contineret. In qua aut totus mundus decipiatur, aut huius pars maxima. Nam ſuppoſito,* [inquit] *quod tres ſint tantum leges, Chriſti, Moſis & Mahummedi; aut omnes falſæ ſunt, & ſic totus mundus eſt deceptus, aut ſaltem duae earum, & ſic maior pars eſt decepta: Quid vel hac ſola dubitatione in Chriſtiana ſchola cogitari poteſt pernicioſius?*

§. IV.

§. IV. Sed quæ hi ſermonibus uſurparunt, vel obiter etiam ſcriptis inſeruerunt, illa poſtea *peculiaris libri argumentum* de tribus impoſtoribus inſcripti, & haud dubie lectorem ducentis ad contemptum Religionum, facta fuit. Quam ob rem eundem librum etiam *de vanitate Religionum* appellari video, apud perſonatum Bembellonam, *P. 2. Suſcitab. p.21.* ita ſcribentem: *Juſtus Cal vel Calvinus, ut ſe vocat, nuper ad Papatum defecit. - - Ille, paulo ante, quam transfugeret, unice delectatus eſt lectione libelli de vanitate Religionum, in quo ſcriptor ipſe vaniſſimus maximos impoſtores, Moſen, Chriſtum & Mahumedem appellat; & plures alias blaſphemias aſpergit.*

§. V. Ceterum, an ſummam eius libri *Cardanus* in ſubtilitatibus referat, uti ſcripſit Merſennus, dicant, qui librum ipſum inſpexerunt (quem quidem opinor nunquam typis editum fuiſſe) ſane Voetium ea de re dubitare video, *P. 1. Diſp. Select. p. 198.*

§. VI. Sed quis *autor* peſtilentis libri? Alii alium nominant. E quibus maxime probabilis mihi videtur ſententia Merſenni, qui, ex indicio Amici, cui liber ille fuiſſet lectus, iudicauit eſſe *Petri Aretini*, vti ex Voëtio didici, *d. l. p. 205. & 506.* Vide & Spizelium *in Scrutinio Atheiſmi, p. 18.* Ubi tamen moneo, quod ſcribit ille vir clariſſimus, Thomam Broune in

Religione Medici, *Sect. 19.* nefarii libri autorem dicere *Bernardinum Ochinum*; non Thomam ipſum hoc feciſſe, ſed Commentatorem eius Moltkenium, *in annotatis ibi p.m. 126.* Hæc hactenus ex meditationibus Beati Thomaſii excerpere voluimus. Plura de hoc libro, & annon omnia, quæ de eo referuntur, potius fabulam ſapiant, excutiemus forte alio tempore.

OBSERVATIO IIX.

PARDULPHI PRATEII IVRISPRUDENTIA VETUS ET MEDIA.

SVMMARIA.

Titulus libri, §. I. *Contenta præfationis Iurisprud. veteris*, §. II. *Draconis leges undecim*, §. III. *Potiſſima ex legibus tabularibus 85. Solonis*, §. IV. (*Actio ingrati, Boeclerus notatus*, Ibid. in not.) *Leges Romuli à Balduino neglectæ*, §. V. *Cura Autoris circa Leges XII. Tabb.* §. VI. *eiusque pulcra methodus in tota hac Iurispr. veteri*, §. VII. *eius paratitla duo*, §. IIX. *Iurisprudentia media continet geminationes 160. in Iure Iuſtinianeo*, §. IX. *ſedecim capita omiſſionum*, §. X. *35. inverſiones & truncationes*, §. XI. *13. ſententias in alienum ſenſum pertractas*, §. XII. *Contenta Catapodismo-*

dismorum, Dicæologiæ, Legum XII. Solonis in Vet. Iurispr. omiſſarum, §. XIII. *Autoris alia ſcripta*, §.XIV. *& commendatio*, §.XV.

§. I

Titulus libri eſt: *Iurisprudentia vetus Draconis & Solonis Leges*, PARDULPHO PRATEIO *Collectore & Interprete. Lugd. 1559. 8o. Eiusdem Iurisprudentia media libri IV. Ibid 1561. 8o.*

§. II. In *præfatione* prioris Libri commemorat, Draconis & Solonis legibus aliquot uſum fuiſſe populum Romanum, eo quoque iure nos etiam nunc uti; Platonem, Herodotum, Demoſthenem, Ariſtotelem, M. Ciceronem, Plutarchum, Ulpianum, Caium, A. Gellium, D. Laërtium, & Alexandrum ab Alexandro, congeſſiſſe harum legum aliquot; ſed quas ipſi ſinguli prætermiſerint, congruis titulis à ſe huc translatas atque ita digeſtas eſſe; vt una lex ex alia, ductili quadam via, pendere videatur. Commendat dein Draconem & Solonem; & rationem, cur leges eorum ſummis vigiliis, laboribus & ſtudiis conquiſitauerit, reddit, quia earum aliquot à ICtis Romanis ſæpiſſime citentur. Has ab Ægyptis & partim ab Hebræis acceptas, ligno inciſas fuiſſe. Denique ſe leges Romuli &

decemuirales aliquot, præter coactas à Fr. Balduino, rerum, iuris ac utriusque linguae peritiſſimo, collegiſſe atque Laconice expli-caſſe.

§. III. Ipſe tractatus proponit I. *Draconis leges ſanguinarias* numero *undecim, pag. 13. — 40.* quas repræſentare non pigebit: 1. Abſtineto alieno. 2. Si quis iumenta aliorſum duxerit, quam quo utendum acceperit, furti obnoxius eſto. 3. Otii conuictos interficiunto. 4. Omnium flagitiorum una pœna mors: qui olera, aut mollioris corticis fructus ſubripuerint, vt ſacrilegi & homicidæ puniantur. 5. Homicidam in territorio noſtro occidendi & ad iudicem deferendi ius eſto: 6. Cædis actiones ne ſunto usquam in eos, qui exules deferunt, ſi quis redeat, quo non liceat. 7. Si quis inconſulto in ludo occiderit, vel in via proſtrauerit, vel in bello imprudens, aut deprehenſum apud uxorem, aut matrem, aut ſororem, aut filium, aut concubinam, aut apud eam, quam apud ſe ad ſuſcipiendos ingenuos liberos habuerit, ob hæc qui cædem fecerit, ne exulato. 8. Qui hoſtiliter graſſantem, ſuæ defenſionis cauſa, occiderit, impune illi eſto. 9. Si quis morte violenta occubuerit, in eius ultionem neceſſariis corpora capiendi ius eſto, donec aut cauſam dixerint necis, aut homicidas dediderint. Capiendis

autem

autem corporum pignoribus ad tertium uſque progrediuntor, ultra, nefas eſto. 10. Homicidæ aqua ablutoria, libationibus ſacris, foroque arcentor. 11. Qui cædem fecerit, extorris eſto, non ſolum homo, ſed et animal atque inanimatum.

§. IV. Sequuntur II. *Leges Solonis tabulares* numero *octogintaquinque*, & præter ipſas adhuc *duæ*, quarum non verba, ſed ſententia ſupereſt. Altera de inſtituendis *lupanaribus* & meretricibus publicis, vt iuuenes à pueris ſollicitandis abſtinerent; altera de *exercitu aduerſus facinoroſos educendo.* pag. 41.--- 179. Eas vero omnes recitare nimis prolixum foret, itaque *potiores nonnullas* per indicem dabimus: 1. excuſſo debiti onere, leuantor debitores. 2. corpore obligato pecuniam foenerari in poſterum non liceat. 3. In mortuum maledicta ne obiicito. 4.5.6. Si quis parentes non nutrierit, infamis eſto, niſi ſpurius, vel niſi parentes eam artem non docuerint. 7. Qui *otium* ſectatur, omnibus accuſare volentibus obnoxius, infamis eſto. 8. *Princeps* deprehenſus *ebrius* morte mulctator. 9. Arbitrum de priuatis contractibus deligendi ius eſto. Eius ſententiæ ſtanto, nec cauſam ad aliud tribunal deferunto. 11. & 12. Cui voluerit quis, bona ſua dandi, (niſi filios habeat, poſt mortem ſuam vel eorum pubertatem,

ſuperſtites) ius eſto. 13. agit de ſucceſſione ab inteſtato. 18. Prætor curam gerat pupillorum, pupillarum, familiarum, quæ intereunt, & matronarum in ædibus mariti mortui manentium, quæ ſe prægnantes aiunt. 19. Pupillorum futurus hæres tutor ne eſto. 20. Pupillorum tutor matri eorum ne cohabitato. 21. Si hæres pupilla ad rem veneream *minus idoneo* elocata ſit, *proximior viri* admittitor. 22. Qui ad *generandum inidoneus*, *bonorum gratia*, vxorem duxit, contra naturam, in eum *cupiditatis* [a]) & *iniuriae* actio dator. 23. *Veſtes tres* & *parui pretii vaſa*, aliud præterea nihil, *nuptæ* ſecum importanto. 25 agit de diſtantia ſepis, maceriæ, domus, ſepulchri, putei, arboris, à prædio vicino ſeruanda. 26. Mulcta ſtatuitur centum drachmarum in ſingulas oleas effoſſas. 27. Agit de puteorum vſu & iure aquarum. 28. Aluearia apum ab alterius ante conditis, 300. pedibus diſtan-

a) i. e. *Auaritiæ*. Eodem modo ferè ſe res habet cum actione cupiditatis, vti cum *actione ingrati*. Neutra datur ob ſolam auaritiam aut ingratitudinem, ſed ſi coniuncta ſit vtraque cum iniuria aut damni datione, harum actiones aggrauat. Non obſtat, quod in declamationibus Senecæ, & Quintiliani ſæpe memorentur leges de actione ingrati, cum pleræque leges ibi ſint ſictæ ad exercenda ingenia auditorum. Quod non intelligens *Boeclerus*, miſere diſputauit aduerſus Senecam, *in diſſert. de act. ingrati.*

ſtatuto. 29. Qui *lupum captum* attulerit, ei quinque drachmæ dantor, qui lupam, una; illud *bouis*, hoc *ouis pretium* eſto. 31. Nullos fructus, niſi oleum, ad peregrinos abſportare, ius eſto. 33. Canis mordax trunco quatuor pedibus ligatus deditor. 34. 35. 36. ſtatuunt de *peregrinis* in *ciuitatem* non recipiendis, nec *coniugio cum ciuibus* coniungendis. 37. Ut ſponſalibus adſit pater fraterue germanus, vel auus paternus. (Ubi autor in explicatione exhibet conſtitutionem Henrici II. Galliarũ Regis contra ſponſalia inuitis parentibus contracta.) 38. Sponſa ſponſo concubitura malũ cotoneum delibato prius: & hic illi *ter in menſe* congreditor. 39. Qui bello incolumitate orbati ſunt, publice aluntor. 43. In ſacris & publicis locis, ſi quis viuum maledictis inceſſerit, priuato illi drachmas tres, ærario publico duas perſoluat. 44. *Cædis inſtrumenta* rea peraguntor. (Hic autor teſtatur, ſe, A. 1540. 4. idus aprilis, enſem decreto Senatus Tholoſani appenſum vidiſſe.) 46. Qui patrimonii ſui verſuram fecerit, infamis eſto. 47. Legem de uno ſolo homine ponendi ius ne eſto. 48. Lex ſecundum loca pœnitor. 51. Si quis ciuitatis numiſma corruperit aut adulterum inducat, iudices adeunto, puniunto. (Hanc legem etiam ad corruptos pecunia iudices pertinere, Demoſthenes exiſtimat.] 60. Rogum

 buſtum-

buſtumue nouum propius ſexaginta pedes ædes alienas ne adiiciunto. 61. Forum buſtumue ne uſucapito. 63. Inferias, diebus ſtatis, defunctis faciunto. 64. Sepulchrum ne delento: neue in alienum funus inferunto. 65. Si quis aliquem de poſſeſſione deiecerit, in eum in factum actio eſto. 66. Si quis aliquem iniuria affecerit, vel conuitium ei dixerit, iniuriarum & iniuſtitiæ poſtulator, ſi vero iudicem, infamis eſto. *Omnibus de iniuria alteri illata* ſupplicium ſumendi ius eſto. 68. Qui conſulto nocuerit, duplum, nolens ſimplum præſtato. 71. Donationes, quas populus contulit, ratæ ſunto. 72. Qui *oculum* alteri euulſerit, *ambo* ei eruuntor. 74. Noxiæ par pœna eſto. 76. Ne quis quicquam rerum alienarum ferat agatue; *fur dupli* damnator. 77. Qui interdiu ſupra 50. drachmas furatus fuerit, abducendi ad Vndecimuiros, ius eſto. Si vero noctu quodcunque furatus fuerit, eum & occidere & inter perſequendum vulnerare, & ad Undecimuiros, ſi lubeat, abducere, fas eſt. Conuicto eorum facinorum, ob quæ in vincula abripi licet, non liceat, datis vadibus, ſatisfacere pro furtis. Sed poena mors eſto. 79. Productores (*Lenones*) accuſantor & conuicti *morte* plectuntor. Filiæ ſororesue ne uenduntor, præter virginem cum viro coëuntem. 80. Adulterum in opere de-
pre-

prehendenti occidendi ius eſto &c. 81. Poſtquã quis adulterum deprehenderit, *non liceat* deprehendenti, *mulieri cohabitare*; ſi habitauerit, infamis eſto; nec liceat mulieri ire ad ſacra publica; ſi adulter abeat impune, patiatur ille, quod præter mortem pateretur adulter. 82. Filii eorum, qui bello occiſi ſunt, publice aluntor. 83. Qui uxorem repudiat, dotem reſtituat, vel interuſurium ſesquidrachmale pendat. 84. *Iusiurandum ignominioſorum & alium* nullius momenti neque ponderis eſto. 85. *Senioribus* aſſurgunto.

§. V. His excipiunt III. *leges Romuli XXIV.* p. 180. -- 201. & primo quidem XIIX. illæ, quas habet *Balduinus*: præterea: 19. *Virum uxor* ne deſerito: uxorem, ſi in *veneficio* natorum, *adulterioue* deprehenſa, clamue marito fuerit, repudiandi ius eſto: qui præter has cauſas repudiarit, rerum ſuarum pars uxori dator, pars Cereri ſacra eſto. 20 Deprehenſi in homicidio ſtatim puniuntor. 21. *Plebeii* quem ſibi ex *patriciis patronum* volent, deligunto. 22. Iudiciis fraus ne adhibetor. 23. *Maximarum iniuriarum* iudicium penes *Reges* eſto, *minorum* penes *Senatores*. 24. Annus, decimus menſis eſto.

§. VI. Succedunt IV. *leges duodecim Tabb.* numero LXXVII. p. 202. -- 281. quarum plures à *Balduino* exhibentur; reliquas Autor ex

Alexandro ab Alexandro aliisque collegit, dubia aliquando fide, alibi firmiori; ſed plures recentiores, quorum inſtar omnium eſt *Iacobus Gothofredus*, has leges ita excuſſerunt, vt non opus ſit, ſingulas à Balduino omiſſas, à noſtro vero Prateio ſuppletas, curiose conquirere.

§. VII. Per integrum hoc opus Autor leges Græcorum græcas & latinas, Romuli vero & XII. Tabb. latinas ipſis, qua fieri potuit, verbis authenticis, repræſentat, & cuilibet explicationem breuem, ſed eruditam & ſufficientem ſubiungit. Legibus græcis leges Romanas parallelas ubique addit, (qua in re *Petito* & *Meurſio* præferendus eſt) & hoc ipſo teſtatum reddit, ius Græcum iuuare interpretationem iuris Romani. Addit quoque alia loca ex Hiſtoricis & Oratoribus Romanis. In explicatione Legum XII. Tabb. obſeruat, quæ aliunde petitæ; mentem quoque ex ICtorum interpretationibus ſat clare ſiſtit.

§. IIX. Subiungit paratitla duo, alterum *in Nov. 118. de ſucceſſ. ab inteſtato*, alterum *in tit. ff. mandati:* eum in modum conſcripta, quo catapordismos in Iurisprudentia media exhibuit.

§. IX. Hactenus de Iurisprudentia veteri Prateii. In Iurisprndentia *media* autor exhibet *nævos a compilatoribus Iuris Romani* commis-

miſſos: & quidem *Libro primo*, capitibus 160. totidem *geminationes*, ſeu repetitiones eiusdem reſponſi & ſententiæ in diuerſis locis. Quod profecto oſcitantiam compilatorum nullo modo excuſandam prodit, imprimis ob tanti numeri magnitudinem, quodque eadem ſæpius iisdem verbis, ſæpius eodem titulo repetierint.

§. X. *Libro ſecundo*, ſedecim capitibus perſtringit *omisſiones* rerum neceſſariarum, definitionum, imo & integrarum materiarum. Scilicet definitionis iuris in inſtitutionibus *cap.1.* temporis in vſucapionibus, *cap.2.* pacto decidi non poſſe quæ inficiatione duplantur, *cap.3.* definitionis in integrum reſtitutionis, *cap.4.* tractationis de pace & eius conditionibus, *cap.5. in l.7.* §. hodie de minor. *cap.6.* de pœna exponentium liberos, *cap.7.* de apibus, *cap.8.* de cognitoribus, *cap.9.* de poteſtate delegati iudicis, ſententiam exequendi, *cap.10.* iuris publici in inſtitutionibus, *cap.11.* de matre liberorum negotia gerente, *cap.12.* legis Iuliæ iudiciorum tam publicorum, quam priuatorum, *cap.13.* potisſimæ partis in oratione D. Hadriani l. 48. ff. de iudic. *cap.14.* & in textu Vlpiani l. 9. §.2. de Vſufr. *cap.15.* & in rubricis quorundam titulorum, *cap.16.*

§. XI. *Libro tertio*, capitibus XXXV. obſeruat *inuerſiones* & *truncationes*, vel male conciſa, dis-

diſſipata, diſſecta (vnde tot conflictus interpretum, & antinomiarum contentiones) nec non immutata.

§. XII. *Libro quarto* proponit *capitibus 13.* ſpecimina *ſententiarum* i.e. locorum veterum in *diuerſos ſenſus pertractorum*, *ignoratione antiqui iuris, rerum & bonarum literarum.* Adiecit Prateius Catapodiſmorum libros duos, Dicæologiæ librum ſingularem & Solonis leges reliquas.

§. XIII. In *Catapodiſmis* exhibet ſpecimina materiarum, tum ex Pandectis, (Lib.I) tum ex Codice, (Libr.II.) ad iuſtam methodum reductarum, ita vt quamlibet in ſum̃a capita, capita in articulos diuidat, non verbis, ſed ordine legum pandectarum neglecto; vnde magis elucescit compilatores plane ἀμεθόδως proceſſiſſe. In *Dicæologia* ſeptem capitibus indicat iuris originem, cauſam, definitionem, partitionem, effectum, Legum virtutem & finem. *Leges Solonis duodecim* recenſentur, quas in ſua Iurisprudentia veteri prætermiſerat, in eius vero altera editione latioribus commentariis illuſtraturum ſe promittit.

§. XIV. Ceterum, an Autor præter Iurisprudentiam Veterem & Mediam, ſcripſerit etiam nouisſimam Iurisprudentiam, non conſtat. Eam certe promittit in *Lex. Iur. Lit. N. verb.*

N. verb. Nouellarum Methodus. Præterea edidit *Tractatum de fundo dotali, Venet.* 1584. *item Lexicon Iuris Ciuilis & Canon. Lugd.* 1566. *fol. recuſum & auctum Francof.* 1581. *fol.*

§. XV. Ipſe vero Autor Iurisprudentiæ Romanæ eſt peritisſimus, & paucis multa exprimere conſuetus, ac proinde lectu non minus iucundus, quã vtilis. Ac mererentur hæc eius ſcripta, vt in Germania recuderentur.

OBSERVATIO IX.

FRANCISCI HOTMANNI ANTITRIBONIANVS. OPVSCVLES FRANCOISES DES HOTMANS.

SVMMARIA.

Titulus Anti Triboniani, §. I. *Eius Commendatio*, §. II. *Contenta: ſtudium legum eſſe vtilisſimum, Inutile autem eſſe ſtudium artis extra vſum poſita*. §. III. *Libros Iuſtiniani nihil proficere ad Ius publicum hodiernum, imo neque ad antiquitates Status Romani cognoſcendas*, §. IV. *Circa ius perſonarum, in Iure Iuſtinianeo, doceri multa hodie inutilia*, §. V. *item circa ius in rem*, §. VI. *& formulas ſtipulationum*, §. VII. *item actionum inſtituendarum & proceſſus*, §. IIX. *Hodiernam methodum docendi iura inſigniter differre a modo veterum. Non diu iuuentutem detinendam eſſe in ſpecula-*

culationibus præceptorum, ſed ſtatim ducendam eſſe ad artis exercitium per ſenſum & experientiam, §.IX. *Infinitam legum molem tempore Iuſtiniani, barbariem ſeculi illius, Iuſtiniani & Triboniani vitia, inſcitiam compilatorum & præcipitantiam, parum magnifice præſagire de Corpore Iuris.* §. X. *Næuos eius conſiſtere in ſuppreſſione legum antiquarum, item librorum verorum ICtorum, ac æſtimatione Græculorum & Afrorum, in diuulſione orationum, ac effabricatione centonum, absque iuſto ordine & diſpoſitione, ac inde ortis antinomiis, in emblematibus a Triboniano vbique inſertis, itidem in plurimis tautologiis*, §. XI. *Euentus huius compilationis: Abolitio eius per ſucceſſores Iuſtiniani: Reſtitutio in foro & ſcholis: Famulatio Iuris Canonici: Gloſſæ infinitæ Bulgari & reliquorum: Opiniones communes contradictoriæ: Conſilia obſcura ac captioſa: Nimium ſubtiles curæ Grammaticorum & Humaniſtarum: Diuerſæ lectiones Pandectarum Florentinarum: Diſſenſus circa coniecturas erratorum &c.* §. XII. *Reſponſiones ad obiectiones contra hanc cenſuram*, §. XIII. *Galliæ ſtatum ante receptum ius Iuſtinianeum fuiſſe feliciorem, item aliorum Regnorum*, §. XIV. *Conſilium Hotomanni de emendatione Iuris*, §. XV. *Judicium de hoc conſilio*, §. XVI. *Opuſcules Françoiſes des Hotmans. Varii libelli Antonii Hoto-*

tomanni; vituperium amicitiæ, laus auaritiæ, §. XVII. *item Johannis Hotomanni. Huius defenſio, quod ſcripta Paſcalii non expilauerit.* §. XIIX. *Contenta ſcripti eius de prouidentia diuina:* §. XIX. *item alterius de via animæ rationalis ad ſalutem æternam: Corpus animæ neceſſarium eſſe ad ſapientiam acquirendam: Animæ a corpore ſeparatæ inhærere virtutes & vitia vitæ tempore impreſſa,* §. XX. *Eiusdem Philoſophus. Studium Philoſophiæ inter omnes actiones eſſe Deo gratisſimum* §. XXI. *Eiusdem alia ſcripta,* §. XXII.

§. I.

Titulus integer eſt: *Franciſci Hotmanni Anti-Tribonianus, ſiue Diſſertatio de ſtudio Legum, ſcripta anno 1567. ex ſententia Michaelis Hoſpitalii edita an. 1603. noue ex Gallica latina facta. Hamburgi, 1647. in 8uo. plag. 7.*

§. II. Si artis eſt, multa breuibus dicere, non maius vnquam artificium hoc opuſculo vidit orbis eruditus. Noluit vero Autor id ante obitum ſuum prodire; quin & eo tempore, quo opera eius vniuerſa in tres Tomos collecta, Genev. 1599. in fol. prodierunt, nondum typis excuſum fuit, nec vulgo innotuit; quippe non expediebat, iis temporibus, irritare iuris Iuſtinianei Idololatras, quos

quos tamen noſtrorum annorum libertas facilius negligit, poſtquam difficiles nugæ tutius ſpernuntur.

§. III. Abſoluitur opuſculum XIIX. capitibus, quorum *primo* autor proteſtatur, ſe poſt ſtudium Theologiæ *diſciplinam legum vtiliſſimam*, & maxime neceſſariam iudicare; Romanam quoque Rempublicam in excolenda hac diſciplina fuiſſe præ aliis felicem; ſed differentiam ſtatuendam eſſe inter Ius Ciuile Romanum & *libros Imperatoris Iuſtiniani*, circa quos duas quæſtiones tractat: 1. etiamſi perfectisſimi eſſent, *quantum ex iis vtilitatis hodie, in Gallia præſertim, ſperandum ſit?* 2. *quibus næuis laborent*, & quidnam ex eorum tractatione effectum ſit? *Prima* quæſtio tractatur cap. 2. - 10. *Secunda* cap. 11. - 18. Scil. *Cap. 2.* adſtruit, *inutile eſſe ſtudium artis extra vſum poſita*, & legum ad ſtatum præſentem non adtemperatarum.

§. IV. Vnde fluit *Cap. 3. Libros Juſtiniani nihil proficere ad notitiam Status Galliæ*; Statum Romanum *Democraticum* hodie quoad potisſima ignorari, & ſæpisſime fuiſſe mutatum, nec quicquam ad ſtatum Gallicum *Monarchicum* applicari poſſe. Monarchiam quoque Romanam non modo ſæpius mutatam, ſed & diuerſæ a Gallica formæ fuiſſe, quod exemplo *Magiſtratuum* demonſtrat, quorum officia

officia & reliquæ ſtatus Romani partes, ex lectione græcorum & latinorum hiſtoricorum, melius *vno anno* & longe maiori cum delectatione, quam totis *ſex* annis ex centonibus Iuſtiniani cognoſci poſſint. Ita *in libris antiquitatum Romanarum, licet a JCto conſcriptis, vix tres ex Corpore Iuſtinianeo leges citari.* Eſſe quidem in tribus poſtremis *Codicis* libris nonnulla, quæ Conſtantinopolitanum Imperium reſpiciunt, ſed ita *obſcura* & *disiecta*, vt intelligi non poſſint, niſi hiſtoricorum lectione præuiam ſtatus notitiam acquiſiueris.

§. V. *Cap. 4*, accedit ad *ius priuatum*; & *ius perſonarum* ſtrictim perluſtrans oſtendit, quot inutilia ibi habeantur quoad ſtatum *libertatis*, *ius filiorum fam. arrogationes, matrimonia, tutelas.* Quot contra *omiſſa* ſint, quæ hodie magnam iuris partem faciunt; quæ negligere, & *antiquas fabulas* addiſcere, perinde ſit, *ac ſi ſacerdotes nouitios ſuos ideo doceant, in ſupplicationibus ſolennibus ſaltare, quod Salii Romani idem olim facere conſueuerint.*

§. VI. *Cap. 5. 6. 7*, enumerat doctrinas *inutiles* circa ius *in re*; nempe diſtinctionem inter res *mancipi* & *nec mancipi*; inter dominium *Quiritarium* & *bonitarium*, item diuerſos illud acquirendi modos: *mancipationem, ceſſionem in iure, uſucapionem*; *varios modos ſuccedendi* ab inteſtato

teſtato

teſtato perinde, ac ex Teſtamento; item inutilia circa *fidei commiſſa* & ius *accreſcendi*.

§. VII. *Cap. 8*, idem peragit in doctrina de *obligationibus* & iure ad rem, ac inprimis *ſtipulationum formulis* in omnibus contractib9 adeo dominantibus, vt *laniones bouem vel capram emturi, libellos formularum à Manilio conſcriptarum vſurparent & in marſupio portarent*.

§. IIX. *Cap. 9*, progreditur ad actiones & *formulas litigandi*, quas *magorum incantationibus* & verbis occultis comparat, ita ſuperſtitioſe obſeruandis, vt qui in una ſyllaba labatur, omne ſacrum ſit turbaturus. *Proceſſum* quoque *Romanum* à moribus hodiernorum iudiciorum non minus remotum eſſe, quam à *Tartarorum* moribus mores Gallorum diſtent, abunde euincit.

§. IX. *Cap. 10*, comparationem inſtituit inter *modum ius docendi* antiquorum & noſtrum, vt inde conſtet, *non recte Uniuerſitates Galliae iactare, ſe priſcis in Perſia Iuſtitiae ſcholis pares eſſe*; illic enim iuuentutem exerceri ſolitam *in legum*, quas addiſcerent, *vſu*, & magiſtros alteram diei partem erudiendis adoleſcentibus impendiſſe, alteram iisdem exercendis tribuiſſe, vt quaſi in iudicio agitatis cauſis, quæ didicerant, ad vſum adhiberent. Item apud *Romanos* non ſeparata opera adoleſcen-

tes

tes eruditos fuiſſe, ſed *auſcultaſſe* ſaltem, quando conſulentibus reſpondebatur; unde nihil didicerint, niſi quod uſui ſtatim futurum eſſet. Et *hanc methodum expeditiſſimam & optimam putat Autor*, tum quod *artis exercitium præceptis* tradi non poſſit, tum quod princeps artis & diſciplinæ cuiusque pars in actione conſiſtat; exemplo *picturæ*, cuius primaria pars non eſt didiciſſe præcepta quædam de lineamentis, aut de colorum proprietate, ſed manu penicillum prehendere & pingere. Neque Ius Ciuile Romanorum initio conditum eſſe, vt æquitatem & ius naturale omnibus gentibus æque conueniens repræſentet, ſed vt prærogatiuam ſtabiliret ciuium Romanorum in gradu eminentiori, præ reliquis Italiæ populis, quod multis exemplis oſtendit. *Inique ergo librorum Iuſtiniani ſtudium, vocari ſtudium Iuris Romani, quippe cuius nec viceſima pars nobis remanſerit, nec decima eius, quod reſtat, in vſum hodiè poſſit deduci.*

§. X. *Cap.* 11, altera tractationis pars incipit, vbi primo generaliter oſtendit, perpenſis omnibus momentis *nihil magnifici* de hac *compilatione* ſperari potuiſſe, *tùm propter materiam, in qua Tribonianus verſatus ſit*, nempe infinitam legum molem in ſtatu regio, populari, imperatorio latarum, & pro temporum varietate, diuerſaque Reip. forma, ſibi neceſſario

repugnantium, ingentemque librorum a ICtis ſcriptorum multitudinem, cui poſtquam iulius Cæſar remedium adhibere fruſtra cogitaſſet, turbæ poſtea multo enormiores ſupervenerint ex variis Sectis ICtorum, reſcriptis Principum peſſimorum iniquisſimis, ſede Imperii in Græciam translata, quæ nouas Iuris mutationes induxerit, *tum ob imperitiam Triboniani & ſociorum*, vbi expendit Triboniani *auaritiam*, publicumque condendi & abrogandi leges mercatum, vt *non abiret dies, quin legem figeret, prout priuato cuidam expedire videret.* Oſtendit deinde, quod non minor *Iuſtiniani* nequitia, *infelicitas temporum*, quibus bonæ literæ in Græcia extinctæ, & Iuris Romani prudentia diluuio barbariei Gothicæ ſepulta eſſet; *Inſcitia* item ſedecim *compilatorum*, videlicet *Græculorum*, & ineptias ſuas in præfationibus Pandectarum & Codicis ſatis exponentium; inſuper *præcipitantia* in duobus millibus confuſorum Voluminum, breuiſſimo triennii ſpacio, inſtar eorum, quæ per cucurbitulam eliquantur, exſtillandis &c. imprudentiam Iurisprudentiæ Iuſtinianeæ ad oculum demonſtrent.

§. XI. *Cap. 12*, preſſius exponuntur *deſiderata in labore Triboniani*, puta quod leges, edicta, ſcripta *ſupprimi & aboleri curauerit*, & centones tantum commentariorum reliquerit,

non

non melius, ac ſi quis loco Homeri & Virgilii, Euſtathii & Seruii Commentarios offerret. Deinde, quod omnes libros magnorum & *vere Romanorum ICtorum*, Catonum, Mutiorum, Manilii, Caſcellii, Seru. Sulpitii ſuppreſſerit, & contra ſuppeditauerit commenta *hominum Græculorum, Syrorum, Afrorum*, quorum primus labor fuerit, vt *veterum optima ſcripta ambitioſe morderent*, cum tamen longiſſime ab horum dignitate & authoritate abeſſent, & inconcinne iuxta ac obſcuriſſime latinam linguam exprimerent. Occurrere præterea in compilatione ineptam *arroſionem, circumciſionem, & congeriem particularum*, vt verius quam ipſe crederet, pronunciaret de permutatione facta Tribonianus in *Conſtit. omnem Reip.* §. 11. quod permutauerit excerpta ſua cũ duobus millibus Codicum veterum ICtorum, vt Glaucus permutauerit arma ærea cum aureis Diomedis. Tertio quod *nullam nobis integram Orationem reliquerit*, ſed interruptos & hinc inde conſarcinatos ſermones, non ſecus ac *vietor, qui ingentem doliorum cuparumque numerum primum diſſolueret, tum deinde ex diuerſorum generum aſſeribus aut coſtis, vas aliquod noua forma effingeret.* Vnde *ius Tribonianicum in methodum certam redigere velle, perinde ſtultum eſſet, ac ſi Geometra aliquis artificium & proportionem huius vaſis demonſtrare conetur.* Quarto-

to, quod in coagmentandis his ſegmentis *nullum ordinem, conſequentiam & diſpoſitionem, ulla in materia, ſeruauerit*, & ita male cohæreant omnia, ita trunca & interrupta ſint, vt *aquila noctuæ ſit ſimilior, quam hæc præceptis à prudente & intelligente magiſtro profectis*. Quinto, quod ex libris diuerſarum ſectarum non potuerint non *variæ antinomiæ* in his Centonibus remanere. Sexto, quod non *puros* ICtorum fontes exhibeat, *ſed de ſuo ſæpius non tantum duo aut tria verba, ſed integros ſæpe verſus & paginas immiſcuerit*. Septimo, quod *multas tavtologias* & *ſuperflua* adiecerit, & *antiquatas obſoletasque materias* pro utilibus venditauerit.

§. XII. *Cap. 13, 14 & 15*, proferuntur *eventus varii* ex Iuſtinianea compilatione accidentes: nempe quod *Imperatores ſequentes ex ea aboleuerint, mutauerint*, quicquid placuerit; quod Italia à *gentibus ſeptentrionalibus* occupata earum *leges & ſtatuta receperit*, usque dum *Irnerius* ſtudium Iuris Iuſtinianei reuocaret, non ueritus ei manum inferre, ubicunque commodum videretur. Ex hac vero Iuris Iuſtinianei ſiue priuata, ſiue publica in ſcholas receptione, factum eſſe, (1) quod iuſſu publico *Gratianus decretum* compilauerit, cui dein *Decretales* additæ, totumque *Iuris Canonici* corpus compilatum ſit: cumque ſtudium

um librorum Iuſtiniani magnos interea progreſſus ſenſiſſet, Pontifices ex ſua quoque parte non ceſſaſſe in colligendis excellentis ingenii viris, qui Canonibus ſtudia ſua conſeruarent: hinc *vtriusque iuris doctrinam ita commixtam*, vt eorum praxis inſeparabilis facta, & Principes ſcholas publicas inſtituentes coacti ſint, *iuris quoque Canonici exercitium* recipere, à quo nondum expedire ſe poſſint. Hinc morem ineptum ortum eſſe *omnia inſtrumenta publica latine conſignandi*, anno. 1539. à Franciſco Rege iterum abrogatum &c. Deinde (2) cum quatuor magni Doctores, & Imperatoris Friderici Conſiliarii, *Bulgarus, Martinus, Iacobus* & *Hugolinus gloſſas* quasdam & minutas remiſſiones reliquiſſent, ſic eos æmulatos eſſe ſucceſſores, vt, intra *trecentos* annos, *plures tractatus* & ſcripta prodierint, quam ante Iuſtinianum, *MD* annorum ſpatio, ſaltem, *vt autores inclareſcerent, vel marſupio conſulerent*. Hinc (3) tot *diuerſas opiniones* enatas, vt nulla ſit materia, in qua non euidens *contrarietas* reperiatur, maximo diſcentium, iudicum & litigantium detrimento; eoque non modo exoſos ſe reddidiſſe hos Doctores, ſed & obſeruatum eſſe, eos, qui his libris in teneriori ætate ſe applicarent, antequam philoſophia & bonis literis mentem probe muniuerint,

rint, facile *cerebro turbari.* Porro [4] pleraque *conſilia obſcura, captioſa*, & *ſpinoſa* cerni, faſcinandis iudicum oculis, & tegendæ iniuſtitiæ, *plane quemadmodum ſepia ſpurcitiem ſuam diffundat, vt aquam obſcuret, ne ipſa capiatur.* Nec eſſe, quod pro excuſandis his iniquitatibus afferatur, his fallaciis iuuenes inſtrui, non vt iis utantur, ſed eas euitent; nam qui inimicos fallere didicerit, eum data occaſione etiam amicos fallere. Interim Iuris Canonici & gloſſatorum fœtorem hactenus omnem inuidiam, ob longos progreſſus & lites, ſuſtinuiſſe, libris Pandectarum interim in pretio & honore longe maiore manentibus, quemadmodum hortulani violas & cariophyllos credant ſuauiorem emittere odorem, ſi ad radicem eorum allia & cepæ plantentur. (5) Innumeras *contentiones* intercedere inter *Doctores* eruditiſſimos, qui ſe *purgatæ iurisprudentiæ profeſſores* nominent, ſed maximam partem *Grammaticas*, ob rude & ſcabrum in pandectis dicendi genus, vt propterea Pragmatici eos *Humaniſtas* & *Grammaticos* per contemtum vocitent, viciſſim ab his *Bartoliſtarum* & *Barbarorum* nomen reportantes. (6) *Diuerſam Pandectarum Florentinarum & vulgatarum lectionem* doctiſſimos quoque turbaſſe; hinc ſcholas contentionibus & rixis repleri, non modo in rebus exigui momenti, ſed & præ-

præcipuis diſciplinæ capitibus; Pragmaticos contra hæc negligere & contra eum, qui Florentinum exemplar citat, tanquam aduerſus *hæreticum* conſpirare. (7) Poſt bonas literas reſtitutas, alios ingenio & acumine ſuo, alios veterum Codicum adiumento *ingentem erratorum numerum* detexiſſe, quæ plagas & ulcera appellent, horumque Chirurgorum numerum ita auctum eſſe, vt, ſi aliquot adhuc annos in applicandis *emplaſtris* pergant, *Pandectarũ corpus denſius iis obtectum iri credibile ſit, quam ullius unquam lue venerea affecti.* Ex centũ vero huiusmodi correctionibus vix quatuor reperiri, de quibus hi docti viri conſentiant, quin potius fateantur ipſi, plerasque niti *conjecturis* leui momento aut ſuſpicione innixis. Ex omnibus iis demum euenire, quod pauci in hoc ſtudiorum genere excellant, & plures, eo derelicto, ſe ad aliam ſcientiam applicent, aut ſi hoc non liceat, ſe ei, quoties poſſunt, ſuffurentur, ac tempus in alio quovis ſtudio lubentisſime conſumant. Quin *abyſſum* huius *diſciplinæ tantam* eſſe, vt in eam incidens, nemo ſe expedire valeat, vt vel *vnam de die horam Sacræ Scripturæ* impendat.

§. XIII. *Cap. 16* reſpondetur ad obiectiones: (1) *pernicioſum eſſe contra leges receptas diſputare*; Reſp. eſſe tamen boni ciuis, magiſtratui vitium indicare. (2) *de remediis de-*

ſperandum, ac gangrænam intactam potius relinquendam, quam medicamentis morbum irritandum. Reſp. magiſtratus eſſe, Sapientum conſilia etiam ſuper difficili ſanatione exquirere, exitum Deo committere, cum præſertim multo incurabiliora emendationem receperint. (3) *libros Triboniani ob controuerſias non reiiciendos, alias & contemnendam fore Philoſophiam, Medicinam & Theologiam, in qua plures & nocentiores ſint diſſenſiones.* Reſp. quod Iuſtinianus in veterum libros tentavit, id non iniuria in ſuos exerceri. Deinde alibi contentiones verſari in rebus ad vſum ſpectantibus, hic in intellectu ſermonis Græco-latini; alias diſputationes in argumento integro verſari, noſtras inter tot fruſta & ſchedas, maximam partem, coniecturis niti. In Theologia neceſſe eſſe, vt hæreſes ſint, vt vero in legum ſtudio neceſſario ſint contentiones, expreſſam DEI voluntatem non eſſe.

§. XIV. *Cap:* 17 oſtendit, *Regnum Galliæ ante receptas leges Iuſtiniani per* DCCC. *annos floruiſſe non minore iuſtitia & immane quantum, paucioribus litibus*, quæ fere ex multitudine legum enaſcantur, cum de quaque controuerſia ſtatuere velle, res infinita & impoſſibilis ſit, hinc *JCtos ex Hungaria iterum eiectos, in multis aliis prouinciis non admiſſos.*

§. XV

§. XV. *Cap. 18* de *ſpe emendationis* horum, næuorum ita ſentit: *perinde eſſe coram infidelibus litigare* (quod tam ſeuere improbet Apoſtolus) *ac ex legibus Ethnicorum rem decidere.* Præſtare vero *conuocari ICtos & Pragmaticos complures*, iisque iniungi, vt, quicquid elegerint ex Iuſtiniani & Philoſophorum libris, ex experientia item & Iure Diuino, in vnum conferant, vnique vel duobus voluminibus includant, & ad negotia tum Status tum priuatorum hodierna applicent, lingua intelligibili proponant, humilibus rebus non inhæreant, nec ſubtilitatem ſed æquitatem, inprimis reſpiciant, bonisque rationibus aſſerta ſuperſtruant. Iure ita compoſito *iuuenes in bonis literis & ſcientia morali ad annum XXI.* imbuendos, deinde *ad annum vel duos in ſcholam mittendos*, vbi eximius JCtus *de Legum æquitate* diſputet ac diſſerat; hinc iuuenes *praxi incumbere debere*, eo modo exercendos, qui priscis Romanis in more poſitus fuerit. Ita ad alia ſtudia per interualla diuertere eos poſſe, & finem iurisprudentiæ verum, non litium multiplicationem, ſed concordiam & tranquillitatem ciuium obtenturos eſſe & promoturos.

§. XVI. Quemadmodum autem alibi oſtendemus, conſilium hoc Hotomanni optimum vt *euentum* nanciſcatur optandum quidem,

dem, at *non ſperandum*, ſed potius ſoli Deo emendationem næuorum Iurisprudentiæ noſtræ relinquendam eſſe; ita coronidis loco addemus paucis contenta libelli Gallici, in quo tractatus hic Franciſci Hotomanni cum aliis tractatibus Gallicis fratrum eius Antonii, & Iohannis, coniunctim editus eſt.

§. XVII. Titulus libelli eſt: *Opuſcules Françoiſes des Hotmans. a Paris 1616, in 8.* Continet autem 1. modo excerptum *Franciſci* Hotomanni *AntiTribonianum*. 2. *Antonii* Hotomanni Aduocati Generalis in Parlamento Pariſienſi, duo paradoxa: vnum de *amicitiæ vituperio*, alterum *de laude auaritiæ*. 3. Eiusd. tractatum de *diuortiis* ob *impotentiam* & *frigiditatem* maris aut fœminæ. 4. Eiusdem diſcurſum de *Lege Salica*. 5. Eiusdem reſolutionem quæſtionis: An clauſula in contractibus ceſſionum *de fournir & faire valoir vne debte ou une rente* operetur, vt cedens ipſe debitum ceſſum ſolvere debeat, ante diſcuſſionem quæſtionis, vtrum id tempore ceſſionis fuerit bonum, nomen nec ne?

§. XIIX. 7. *Johannis* Hotomanni Infendii, Secretarii Regii *verſio Gallica*, ex idiomate Anglico, *doni Regii Jacobi* Regis Britanniarum 8. Eiusdem de officio ac dignitate *Legati*, quem ſex capitibus abſoluit, ibique de definitione, moribus ac requiſitis, officio,

priui-

priuilegiis, familia & reditu Legati differit. Adiectus eſt index Autorum veterum &recentiorum, qui vel data opera, vel e re nata de Legato & Legationibus ſcripſerunt. Addita etiam ſunt excerpta ex ſcripto contra Colazonium, (Anti Colazon) qui dixerat, ſolum *Paſcalium* ſcripſiſſe de Legationibus, eumque ab Hotomanno fuiſſe expilatum. Oſtendunt vero hæc excerpta per latus Colazonii, quamuis adiuncta proteſtatione facto contraria, ſubinde pungi ipſum Paſcalium.

§. XIX. 9. Ej. Johannis Hotmanni de *prouidentia diuina*; in quo tractatu differit de exiſtentia Dei & prouidentiæ diuinæ, de dubiis aduerſus prouidentiam diuinam, de malo & eius autore, de intentione creatoris in creando mundo, de hominis facultate obtinendi finem, ob quem creatus ſit, de conuenientia præceptorum iuris naturæ cum animo humano, de dictaminibus homini inditis ad amandum Deum, de neceſſaria homini cognitione boni & mali, de vtilitate pœnarum vniuerſalium ad emendationem humani generis, de mediis neceſſariis ad amandum Deum.

§. XX. 10. Eiusdem *de progreſſu animæ rationalis a tempore infuſionis ad conſecutionem vsque ſummæ beatitudinis.* Meditationem hanc abſoluunt quatuor libri. *Primo* oſtendere vult

vult Autor, quod anima hominis corpori infuſa laboret ignorantia omnium rerum, ſolaque potentia prædita ſit, vt poſſit erudiri, imbecilli tamen, niſi augeatur mediantibus exercitiis, ad quæ exercitia *corpus ipſi* ſit valde *neceſſarium* ac vtile, adeoque etiam *ad* ipſam *ſapientiam acquirendam. Secundo* aſſerit, ratiocinationem, intelligentiam, ſcientiam, voluntatem & *virtutes* ac *vitia* ſoli animæ eſſe proprias neque ei cum corpore communes. Atque animam *ſeparatam* a corpore ſimul *auferre illos habitus*, firmiter ipſi tempore vnionis impreſſos. *Tertio* ſtatuit, virtutes ſi anima mortis tempore ſecum auferat, eas ipſi valde prodeſſe ad ſalutem, contra vitia ſi tempore mortis ei impreſſa ſint, ſalutem impedire. *Quarto* concludit: Chriſtiana per totam vitam debere operam dare, vt probe intelligat Leges naturæ, legem Moſaicam, & doctrinam Chriſti; & voluntatem adſuefaciat, vt operibus doctrinas illas exprimat. Ita enim *fidem* in anima generari, creſcere & perfectam reddi, atque animæ poſt mortem inhærere, tanquam medium, ad ſalutem vnice neceſſarium.

§. XXI. II. Eiuſd. *Philoſophus*, ſiue *de diuerſis viuendi generibus hominum.* Intendit hic autor demonſtrare, finem primarium, ad quem omnes actiones humanæ, durante hac vita

vita, naturali inſtinctu, tendant, eſſe bonum & tranquillitatem animæ, nullum vero vitæ genus ad eam conſequendam aptius eſſe, quam vitam Philoſophi, atque adeo *ſtudium Philoſophiæ inter omnes actiones huius vitæ eſſe Deo gratiſſimum*, quinimo actiones Philoſophi ſuo modo eſſe omnium aptisſimas ad acquirendam ſalutem æternam, idque dictis ſacræ ſcripturæ probare allaborat.

§. XXII. 12. Eiusdem *verſio in linguam Gallicam præfationis Thuani operi hiſtorico præmiſſæ*. 13. Ejusdem *vota pro pace Eccleſiæ & Regiminis*. Adiectus eſt *index operum Franciſci Hotomanni*, cum *epitaphiis* Franciſci Hotomanni ac trium eius fratrum, Philippi, Antonii, & Iohannis.

OBSERVATIO X.

SCHOLÆ AN NECESSARIÆ SINT ET VTILES AD STUDIUM SAPIENTIÆ?

SVMMARIA.

Cur doctrina de neceſſitate & vtilitate ſcholarum præmittenda ſit diſquiſitioni de earum origine? §. I. (*Methodus Ramæa*, Ibid. in notis.) *Quid per neceſſitatem & vtilitatem hic intelligatur?* §. II. *De quo ſtatu hominis hic quæſtio ſit.* §. III. *Bonum hominis vel ordinarium vel*

vel extraordinarium. §. IV. *Non quæri hic de ipſa ſapientia, ſed de modo eam docendi.* §. V, VI. *Formatur ſtatus controuerſiæ.* §. VII. *Oſtenditur, ſcholas ad ſtudium ſapientiæ nec neceſſarias eſſe, nec vtiles,* (1) *quia ſchola eſt ſocietas arbitraria.* §. IIX, IX. (2) *quia hic informantur alieni liberi. Reſpondetur prætextibus, cur parentes informationem propriorum liberorum aliis demandent* §. X, XI, XII, XIII. (3.) *quia variæ diſciplinæ ibi docentur. Vbi oſtenditur: Vnam eſſe veram ſapientiam, ſed ſapientiam ſcholaſticam eſſe multiplicem,* §. XIV. *& ibi doceri veritates inutiles.* §. XV. *Vnum, verum, bonum.* §. XVI. *Diſciplinas varias ſcholarum reddere homines, inquietos.* §. XVII. *Per diſciplinas varias ſcholarum vel non quæri veritatem, vel non inueniri, oſtenditur inductione diſciplinarum Philoſophicarum,* §. XIIX. *& Facultatum Superiorum in Academiis,* §. XIX. *Vnam veritatem eſſe maxime neceſſariam ad ſapientiam, hominem eſſe animal miſerrimum.* §. XX. (*Exponuntur dicta* Eccles. VII. 30. & Eccleſ. I. 2, 14. *Argumentum illuſtrans doctrinam de tribus hominis partibus.* Ibid. in notis) *Iſtam veritatem eſſe clauem ad omnes diſciplinas philoſophicas.* §. XXI. *Exponitur dictum* Eccleſ. XI. 5. Ib. in notis: *item dictum* Sap. Salom. c. 7. §. XXII. *Eſſe etiam clauem ad Medicinam,* §. XXIII. *item ad Iuriſpru-*

prudentiam Legislatoriam, Conſultatoriam, Iudicialem, & Interpretatiuam, §. XXIV. *& ad Theoſophiam* §. XXV. *Hanc veritatem non doceri in ſcholis* §. XXVI. (*Clemens Alexandrinus ex Philoſophia Stoica dixit, hominem eſſe animal* φιλόθεον. Ibid. in notis) (4) *quia docentur in ſcholis auditores certo tempore ſedentes.* §. XXVII. (5) *quia congregatio in ſcholis aliquid coactionis habet*, §. XXIIX. *& numerum auditorum cumulat.* §. XXIX. *Pluribus ſaltem generalia & remota ſapientiæ præcepta tradi poſſe, oſtenditur exemplis Chriſti & Philoſophorum antiquorum* §. XXX. *Commune ſcholarum vitiũ eſſe, qvod omnia doceantur omnibus & præſcribantur uniuerſales viuendi regulæ*, §. XXXI. *contrà methodum Danielis, & Chriſti*, §. XXXII. (*Diuerſus character morum Nabuchodonoſoris & Balthaſaris filii.* Ibid. in notis) *Origo erroris, quod eſſentia hominis ponatur in cerebro.* §. XXXIII. (6) *quia negligitur in ſcholis optima methodus docendi per quæſtiones & reſponſiones liberas.* §. XXXIV. *& diſcurſu continuo ac diuturno tædium paratur auditoribus, aut ad otium ſubtile illi adſueſiunt.* §. XXXV. (7) *quia in ſcholis doctrina dictatur in calamum*, §. XXXVI. *contrà quam fecerunt Salomo, Chriſtus, Socrates*, §. XXXVII. (8) *quia in ſcholis memoria excolitur, non iudicium.* §. XXXIIX.

 (9) *qui-*

(9) *quia inculcatur aliena doctrina, non propria.* §. XXXIX.

§. I.

Etſi plurimi Doctores diſcurſum de *neceſſitate* & vtilitate ſcholarum, doctrinæ & hiſtoriæ de *origine* earum, *poſtponant*, [a]) videtur tamen non incommode, caput hoc alteri eſſe *præponendum.* Quodſi enim demonſtrari poteſt, ſcholas ad veram ſapientiam eſſe neceſſarias, ſimul neceſſario conſequetur, etiam ſine diſpectione originis hiſtoricæ, eas tamdiu extitiſſe, quamdiu extitit genus humanum. Contra ſi ſcholarum tanta necesſitas aut vtilitas non eſt, tum maxime proficuum erit, hiſtoriam, ad monſtrandam originem earum, ſumere in ſubſidium.

§. II. Per *neceſſitatem* vero intelligimus h. l. id, ſine quo ſtudium ſapientiæ veræ non poteſt perfici, aut ſapientia vera acquiri, & per *vtilitatem* id, ſine quo ſapientia non ita facile ac commode acquiritur. Et in his acceptionibus, credo, *conſentient illi*, qui de ſcho-la-

a) Id quod haud dubie fit ex nimis anxie cuſtodita *methodo* Raméa ſeu *cauſali*, vbiuis fere in Academiis recepta. Ibi enim prius tractatur de cauſa *efficiente*, quam de *finali*. Origo vero ſcholarum ad cauſam efficientem pertinet, vtilitas ad finalem.

larum neceſſitate & vtilitate hactenus ſcripſe-runt. Voluerunt enim primario oſtendere, quod ſcholæ reſpiciant bona, non fortunæ, neque corporis, ſed animi. Unde ſua ſponte fluit, hic non quæri, an ſcholæ ſint neceſſariæ aut vtiles ad vitam & ſanitatem, ſed an ſint tales ad procurandam ſalutem animi, & quæ hanc promouet, ſapientiam veram. Adde quod ab omnibus aſſeratur, ſcholarum finem eſſe vt homines euadant docti, aut certe, vt non maneant indocti & ignorantes. Docti autem & ſapientes, communi quidem ſignificatione, habentur pro ſynonymis.

§. III. Ex his verò conſtat ſimul, non agi hic de *bono* aliarum creaturarum, ſed de bono *hominis*. Ceterum cum hic non conſentiant Doctores inter ſe, aliis tantam neceſſitatem & vtilitatem ſcholarum eſſe aſſerentibus, vt etiam in *ſtatu integritatis* & *vita æterna* [a]) eas collocent, aliis contra ſcholas pro bono ſaltem *hominis lapſi* habentibus, ad *vtrumque hominis ſtatum* nobis reſpiciendum erit.

§. IV. Porro & *bonum hominis lapſi* duplex eſt, *ordinarium*, quod concernit ſtatum hominis, quatenus ſuo modo adhuc perfectus eſt,

a) Ita nihil frequentius eſt in ſermonibus funebribus in memoriam & honorem eruditorum haberi ſolitis, quam vt dicatur, mortuos ex Academiis & Scholis terrenis tranſpoſitos eſſe in Academiam cœleſtem, in die himmliſche hohe Schule.

& extraordinarium, quod liberat ipſum à malo, quod in hoc corrupto ſtatu à praua aſſuefactione vel aliunde aduenit. [a]) Quare cum iam alibi [b]) oſtenderimus, bona ordinaria eſſe mala extraordinaria, & vice verſa, item, bona ordinaria eſſe vera bona & eminenter talia, neceſſe erit hic diſpicere, vtrum ſcholæ ſint referendæ, ad bona hominis extraordinaria, an ordinaria, quamuis hæc diſtincta circumſpectio communiter negligatur.

§. V. Denique, cum *obſeruat.* 2. oſtenſum fuerit, ſcholas non eſſe *ipſam doctrinam* ſapientiæ, ſed certum *modum* ſapientiam hanc docendi, inde in oſtendenda doctrina de neceſſitate & vtilitate ſcholarum cauebimus vitium communiſſimum, ne ſatisfeciſſe nos argumento putemus, ſi oſtenderimus, *doctrinam ſapientiæ eſſe homini neceſſariam ac vtilem*, vt quod non eſt in quæſtione, verùm, vt videamus, *an modus docendi in ſcholis receptus momentum afferat ad acquirendam ſapientiam veram.*

§. VI. Quia tamen à panegyriſtis ſcholarum ſæpe etiam in hoc argumento ad demonſtrandam neceſſitatem & vtilitatem doctrinæ ſapientiæ multa immiſcentur, quæ ad *falſæ ſapientiæ* doctrinam pertinent, nobis vitio verti non

a) b) Vide quæ dixi in der Einleitung zur Sitten-Lehre *c. 1. n. 112. ſeqq.*

non poterit, ſi & ea examinauerimus. Etſi enim, poſita neceſſitate doctrinæ, non ſtatim ponatur neceſſitas cuiusuis modi docendi, ſublata tamen neceſſitate doctrinæ, ſua ſponte etiam corruet neceſſitas omnis modi docendi.

§. VII. Igitur id reuera hic in quæſtione eſt: *Utrum ſine illa ſocietate arbitraria docentis ac diſcentium &c.* id eſt, ſine ſchola, prout obſ. 2. §. 2. definita eſt, *promotio humanæ ſalutis, & acquiſitio veræ ſapientiæ posſit non omnino, aut ſaltem non ita facile ac commodè expediri?* Tum: *An illa neceſſitas & vtilitas pertineat ad omnem hominis ſtatum?* Denique: *An per modum boni ordinarii an extraordinarii?* ſiue: an per modum nutrimenti, an per modum medicinæ. De ſingulis ſeorſim videndum.n

§. IIX. Quod *primam* quæſtiot em attinet, *negamus* eam, ſalua autoritate to virorum, nobis in hoc argumento unanimiter fere contradicentium. *Rationes* noſtræ ſunt. (1.) Quia ſcholam oſtendimus *obſ. 2. §. 4. ſeq.* eſſe ſocietatem *arbitrariam.* Quod autem arbitrarium eſt, non eſt *neceſſarium.* Quod ſapientiæ paganæ magiſter famigeratisſimus *Socrates*, quod veræ ſapientiæ & ſalutis ſummæ animi noſtri autor ac reſtaurator, *Chriſtus*, non duxit eſſe neceſſarium, id qua ratione nos pro neceſſario haberemus? At ſcholas ignoraſſe

& Socratem,& Chriſtum,iam ſuprà *d.obſ.2.* §.*6 & 7.* docuimus.

§. IX. Quid quod & *idem argumentum* oſtendet, ſcholas non multum *vtiles* eſſe. Eadem enim corruptio, qua hodie laboramus, fuit & tempore Socratis, & tempore Chriſti. Si ergo huius modi docendi ſapientiam, qui eſſentiam ſcholis dat, aliquis magnus eſſet vſus, an putas, ſapientem Socratem, obſtetricem illam animorum, an putas, ſapientiam ipſam Chriſtum tales modos fuiſſe omiſſuros?

§. X. Nec *neceſſarium* eſt (2.) *alienis liberis*, vti in ſcholis fit, docere ſapientiam. Cur enim *proprios* negligimus? Cur non quilibet Paterfamilias ſuum officium ipſe implet, cuius potiſſimum caput in doctrina ſapientiæ conſiſtit? At plerique ad id ſunt *inepti*. Male. Quæ neceſſitas eos ad hanc ineptitudinem adegit? At de Republica ſolliciti ſunt, & *publica ſunt præferenda priuatis*. Quis eos iuſſit de Republica eſſe ſollicitos? *Homines* utique. Contra *Deus* imperauit curam liberorum: *Vocatio diuina eſſet præferenda vocationi humanæ.* Non ambienda eſſent officia publica, ſi quis non præeſſe ſimul poſſet domi ſuæ. Taceo, inepte concedi eiusmodi patribus tutelam Reipublicæ, qui ad educationem propriorum liberorum inepti ſunt aut inſufficientes.

§. XI.

§. XI. Quod ſi dicas, debere vtique patres familias intelligere educationem liberorum, & ad eam aptos eſſe, non tamen requiri, vt illi omnia in doctrina ſapientiæ expediant ipſi, *& ipſosmet feciſſe intelligi, quod expediant per alios*, nempe per præceptores: adeoque & *commodas* eſſe ſcholas & *vtiles*, quamuis non ſint neceſſariæ: Ita enim *ſimul patrem familias poſſe ſatisfacere officio paterno & publico*, &c. neque ſic tamen multum promoueres.

§. XII. Initio enim quærerem: cur non potius ea, quæ ad *Rempublicam* pertinent, per *alios* expediant? Iſtud enim effugium, publica præferenda priuatis, iam reiecimus. At *non licet per procuratorem expedire illa, in quibus induſtria ſingularis requiritur*. Bene. An putas ergo, *doctrinam ſapientiæ* eſſe ſic vulgare quid & nullius momenti negotium, vt id *cuilibet* committi poſſit. Eſt quidem non difficile negotium, minime tamen vulgare, & ad quod quilibet ſit aptus. Exemplo opus eſt, & ſimplicitate. Sed quinam præceptores his requiſitis gaudent?

§. XIII. Deinde ſi ipſe cenſendus ſum feciſſe, quæ per alium facio, neceſſe eſt, vt negotium illud, quod ab alio geritur, & *intelligam*, ac *dirigam*, & *libere* ei committam. At parentes, qui liberos ſuos ſcholis concredunt, plerumque *non intelligunt* doctrinam

ſapientiæ, non intelligunt, an præceptores ſint apti, adeoque ipſi *dirigere nequeunt*, (qui defectus ſcholis qua domeſticis, qua publicis communis eſt;) ſæpe *coguntur* etiam curam committere perſonis talibus in publicis ſcholis, quarum curæ, ſi res meri aut abſoluti arbitrii eſſet, nemo facile pecus committeret.

§. XIV. Attamen, inquies, vel ideo maxime *neceſſariæ* erunt ſcholæ, quia impoſſibile eſt, vt vnus pater *tot diſciplinis* ſit eruditus, quæ in ſcholis docentur, & quarum ſingulæ prope totum hominem requirunt. Eſſet hoc aliquid, ſi modo conſtaret, diſciplinas illas varii generis, quæ in ſcholis communiter docentur, pertinere ad ſapientiam, & ſi non, [3] illa *varietas diſciplinarum* nouum aduerſus ſcholas ſuppeditaret argumentum. *Vna* eſt *ſapientia*. Vnum neceſſarium. Vnum verum. Vnum bonum. Vna felicitas. Vna ad eam via. At quæ in *ſcholis* docetur, vel doceri iactatur, *ſapientia multiplex eſt*, alia Theologica, alia Juridica, alia Medica, alia Philoſophica. Et hæc vel Grammatica, vel Rhetorica, vel Dialectica, vel Metaphyſica, vel Pneumatica, vel Arithmetica, vel Geometrica, vel Muſica, vel Optica, vel Aſtronomica, vel Phyſica, vel Ethica, vel Politica, vel Oeconomica. Rurſus Theologica vel Concionatoria, vel Thetica,

vel

vel Polemica, vel Exegetica, vel Moralis &c. Iuridica vel Naturalis vel Ciuilis, vel Publica, vel Priuata, vel Theoretica, vel Practica, &c. Medica vel Botanica, vel Anatomica, vel Chymica &c. Et quis multiplicem illam ſapientiam ſcholarum enumeret, vel ſola multiplicitate ſua veritatis cupidis ſuſpectam.

§. XV. Creſcit ſuſpicio, ſi *ſcopum* tot ſapientiarum ſcholæ conſideres. Quid agunt igitur tot Doctores, tot Grammatici, tot Philoſophi, tot Medici, tot Iure Conſulti, tot Theologi. Tendunt ad unum ſcopum curis iſtis multiplicibus, ad *veritatem*. Quidni ergo eſſent *maxime neceſſariæ?* Eſſent vtique, ſi omnis veritas eſſet ad ſapientiam neceſſaria. At cum euidens ſit, verum ſapientem multa ignorare, multasque & plurimas *veritates* eſſe *inutiles*, & de plurimis veritatibus, quæ in ſcholis docentur, iure quæri, cui uſui? ac plurima aperte diſci in ſpem futuræ obliuionis; nec exinde multum accedet necesſitati ſcholarum.

§. XVI. Non omne verum neceſſarium eſt, quia non omne verũ vtile eſt. *Vnum* verum eſt neceſſarium, nempe id *verum*, quod *bonum* eſt. Non autem bonum eſt, niſi quod *felices reddit* homines, nec felices reddit, niſi ſimul reddat *quietos*. Hoc unicum verum ad

ſapientiam pertinet, *plurimæ* veritates ad ſtultitiam neceſſariæ & vtiles ſunt, etiamſi clarisſime & diſtinctisſimè [a]) percipiantur. Scilicet quæ *malæ* ſunt, ſunt autem plurimæ malæ, quia *infelices* reddunt homines, & infelices reddunt, quia reddunt *inquietos*, iracundos, fallaces, crudeles, rixoſos, otioſos, luxurioſos, &c.

§. XVII. Taliter *inquietos* vero vel reddunt *diſciplinæ variæ ſcholarum*, vel certe inquietudinem non tollunt. Veritas, quam quærunt, *triumphos* vult agere, hoc vt fiat, alios vult *vincere*. Hinc *pugna* opus eſt, id eſt diſputatione, quæ ex communi concesſione *belli* inſtar ſe habet. Inde *clamores, rixæ, damnationes*, ignes, gladii, & ipſæ furiæ infernales. Quod ſi quidam dulcedine ſpeculationis abrepti pugnas tales abhorreant, incidunt in alterum extremum *otii literarii* & *luxuriæ ingenii*, quæ eſt revera febris hectica intellectus humani.

§. XIIX. Ut taceam, *diſciplinis* illis *variis* aut *non quæri veritatem*, aut, quæri equidem eandē, ſed *non inueniri*. Qui ergo ad ſapientiā poſſint eſſe neceſſariæ. *Grammatici* veritatem ideo *non quærunt*, quia in vocibus non eſt veri-

a) Reſpicio ad ſententiam Carteſianorum, qui & ipſi felicitatem hominis in ſpeculatiua cognitione veritatis collocant, & ſimul claram & diſtinctam perceptionem normam veritatis faciunt.

ritas, ſed puritas aut elegantia. Idem dicendum de *Rhetoribus*, vt qui non ſcire volunt, ſed perſuadere etiam quæ non ſunt vera, & quorum artificium in fucis conſiſtit & coloribus, quibus equidem veritas ſapientiæ caret. *Dialectica* aut docet in vtramque partem diſputare, & tum veritatem *non quærit*; vel fatetur veritatem eſſe finem externum, id eſt, qui *non ſit in poteſtate* artificis. *Pneumatica* agit de rebus, quæ non incurrunt in ſenſus, aut etiã, quæ non ſunt finitæ. At de rebus infinitis nulla cognoſcitur veritas intellectualis, & quæ non incurrunt in ſenſus, non habent veritatis criterium. *Matheſis* equidem & *Phyſica* de veritate maximè gloriantur, ſed glориantur, quia veritates hæ vel nituntur lubrico fundamento, poſtulatis ſcilicet, vel hypotheſibus, aut propoſitionibus, quæ ſic eſſe poſſunt, aut etiam ſunt veritates falſæ, quia contradictoriæ, vt infinitum phyſicum & mathematicum. *Practicæ diſciplinæ* aut ipſæ fatentur propriam turpitudinem, dum dicunt, actionum humanarum, tanquam rerum contingentium, nullam dari ſcientiam, aut fateri neceſſe habent, dum agunt de futuris contingentibus, vt Politica & Oeconomia.

§. XIX. De *Facultatibus ſuperioribus* non neceſſe eſſet ſeparatim differere, quia ſingulæ diſciplinis Philoſophicis ſuperſtructæ ſunt.

Sed

Sed habent præterea & ſuos peculiares næuos: Nituntur *Medici, ICti, Theologi* diuerſis, iisque oppoſitis hypotheſibus. Singuli in ſectas diuiduntur, omnium vero maxime, qui minime debebant. At veritas non eſt hypothetica, nec ſectaria, nec veritati contraria. Singuli ſuas formulas habent, ſua inuolucra, ſua compendia. At veritas nuda eſt, libera eſt, nullis compedibus vinculata eſt. Fatentur *Medici*, ſe multa adhuc ignorare in Botanicis, Anatomicis, Chymicis &c. Fatentur *ICti*, multos caſus eſſe, in quibus optimum ſit ἐπέχειν. Fatentur & *Medici* & *ICti* veritates ſuas in diiudicandis morbis, in interpretatione legum, in fide facienda iudici, *coniecturis* niti. Utinam id faterentur & *Theologi*. At nec tamen adeo opus eſt hodie eorum confeſſione, cum iam prope omnes lapides id clament.

§. XX. *Vna* veritas, quæ ad ſapientiam neceſſaria eſt, quæque ob *ſimplicitatem* [a]) ſuam non

a) Huc pertinet dictum *Eccleſ. VII, 30. Deus rectum fecit hominem, ſed quaſiuerunt plurimas ratiocinationes,* (viel Künſte / λογισμοὺς πολλοὺς, *chiſſbonoth rabbim*) *Quis tam ſapiens eſt, & poſſit hæc interpretari?* Ubi bene notandum, quod non ſine cauſa Lutherus hæc vltima verba poſt parentheſin iungat capiti ſeptimo, cum Biblia Ebræa & Græca ab his verbis incipiant caput octauum. Quid vetat, quo minus τὸ chiſsbonoth rabbim, reddatur *cogitationes magiſtrorum* ſeu *Rabbinorum*? Senſus tunc eſſet optimus: GOTT hat den Menſchen

non opus habet, vt in formam artis aut diſciplinæ redigatur, *clauis* tamen ſimul *omnium artium* & ſcientiarum eſt, in ſcholis tantum abeſt, vt doceatur, vt potius vix, ac ne vix quidem toleretur. Quænam iſta? *Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas.* [b] Hoc eſt: *Homo*, [c]) qua corpus & animam, ſiue qua σαρκικὸς & qua ψυχηκὸς [d]] *eſt creatura miſerrima & ſtultiſ-*

ſchlecht und recht gemacht (*recti cordis*) aber ſie haben geſucht die Gedancken groſſer Leute / (*quæſiuerunt felicitatem ſuam in cogitatis, ratiocinationibus diſciplinis &c. aliorum hominum.*)

b) Ματαιότης καὶ προαίρεσις πνεύματος. *Eccleſ. I. 2, 14.* וּרְעוּת רוּחַ Lutherus Jammer / ſecutus Chaldæum i.e. *contritionem ſpiritus*, à radice רעע. Septuaginta reſpexerunt aliam radicem רעה. Vide Buxtorff. in רעע & רעה. Unde malè Garthius in προαίρεσις *p.* 57. quaſi προαίρεσις denotet hic afflictionem. Mallem ſequi verſionem τῶν ſeptuaginta, & deducere ורעות a רעה, ac reddere, *cogitatio, voluntas, deſiderium, ſpiritus*, vel etiam *amica* (*vid. Buxtorff. in d. radice.*) item *proxima venti.* Es iſt alles eitel und Grillen / vergebene Gedancken die der Wind verwehet / vergebens und vergängliches dichten und trachten. &c.

c) Dictum enim hoc non ad alias creaturas, ſed ad humanas actiones, & ſapientiam potiſſimum humanam pertinere oſtenditur *Eccleſ.* 1.14. *& per totum librum.* Huc pertinet etiam dictum 1. *Cor. III. 20.* διαλογισμοὶ τῶν σοφῶν εἰσὶ μάταιοι. *Pſ. XCIV.* 11 quanquam creaturæ reliquæ etiam per peccatum hominis ſint in vanitatem deiectæ. *Rom. IIX.* 20.

d) Hinc in toto nouo fœdere homo σαρκικὸς & ψυχικὸς

tiſſima. Siue enim *intellectum* ſpectes & philoſophiam rationalem ſeu *Logicam*, præiudicia autoritatis & præcipitantiæ ſemper eum impediunt, vt veritatem ſibi vtilem cognoſcere nequeat, [e]) ſiue *voluntatem* & philoſophiam morum ſeu *Ethicam*, præiudicia impatientiæ & amoris irrationalis, eum inſtigant, vt omne ſibi noxium amet & omne bonum abhorreat: [f]) ſiue denique *corpus*, & Philoſophiam naturalem, ſeu *phyſicam*, eſſe illud minus durabile ac pluribus imbecillitatibus obnoxium, cum contra reliquæ creaturæ fere omnes & diutius durent, & prudentius in bonum ſuum ferantur, ac voluntatem Dei ſine impedimento intrinſeco impleant. [g]) Accedere hic etiam craſſiſſimam ignorantiam de eſſentia ac vſu creaturarum, ſub larva hiſtrionicarum imaginationum & ſpeculationum pro vera ſapientia ſe venditantem. [h])

§. XXI. Hoc vero probe cognito ad diſciplinas omnes *ingreſſum* deprehendit ſtudioſus

in deteriorem partem vſurpantur, & opponitur vterque τῷ πνευματικῷ. Vt adeò vel exinde tres partes hominis illuſtrari poſſint.

e) *Vide* Einleitung zur Vernunfft-Lehre/ *cap. ult.*
f) *Vide* Ausübung der Sitten-Lehre/ *cap. 1.*
g) *Vid.* Verſuch vom Weſen des Geiſtes/ *cap. 7. potiſſimum th. 72. ſeq.* Grund-Lehren *cap. 1. th. 45. ſeqq.*
h) *conf.* Grund-Lehren *P. I. cap. 13.*

oſus ſapientiæ *facilem*, & non multis definitionibus, axiomatibus aut formulis artis opus habentē. Nouit, *Linguas* [a]) ex vſu magis diſcendas, quā ex multis regulis nullo fundamento, niſi vſu ſubnixis, & ſapientem magis de rebus quam verbis eſſe ſollicitū. Nouit, *Poëtas* & *Oratores* [b]) naſci, non fieri ex regulis, ac veritatem fictione & perſuaſione non habere opus apud ſapientiæ ſtudioſos, inſipientibus vero eam nullis demonſtrationibus, multo minus fucis & coloribus cum fructu poſſe perſuaderi, ſed iis potius occultandam eſſe, ne margaritæ proiiciantur ſuibus. Nouit, *Matheſin* [c]) eam ſaltem vtilem eſſe, quæ a teneris etiam pueris capi poteſt, imo in hac etiam multa eſſe, quibus carere ſapiens poſſit. Novit, Veritatem, ſepoſitis præiudiciis, ſine *ſyllogiſmis* [d]) ſine *inuentione medii termini*, ſuapte ſponte inueniri. Nouit, viribus propriis ſe ad *bonum* [e]) peruenire non poſſe, & ſe omni ad illud carere *libero* arbitrio. Nouit, mundum *regi ſtultitia hominum* [f]) & ſapientia

a) Habes hic clauem ad Grammaticam. *Conf.* Grund-Lehren/ *cap.7.*

b) Clauis ad Poëſin & Oratoriam. *Conf.* Grund-Lehren *cap. 8. & 9.*

c) Clauis ad Matheſin. *Conf.* Grund-Lehren *c.12.*

d) Clauis ad Logicam. *Conf.* Grund-Lehren/ *c. 10.*

e) Clauis ad Ethicam. *Conf.* Ausübung der Sitten-Lehre/ *cap. ult.*

f) g) Clauis ad Politicam & Oeconomiam. *Adde Eccleſ.*

tia Dei. Nouit, ſapientem non curare ſigna temporum, ſed *ſeminare* g) quocunque tempore, ac fiduciam ſolum ponere in benedictione diuina. Nouit, hominem ignorare cauſas & *eſſentias omnium creaturarum* h) vti ignorat cauſas, quomodo ſpiritus conficiat corpus & oſſa in vtero. Nouit, animalem hominem non percipere ea, quæ ſunt *ſpiritus Dei*, i) eſſe hoc ei ſtultitiam, nec cognoſci, quia omnia carnaliter, corporaliter ac mechanice diiudicat.

§. XXII. Simul tamen ſe conſolatur, quod probe ſciat: *Solum Deum dirigere cogitationes ad ſapientiam, eumque regere ſapientes, atque in viam veritatis ducere: in manu eius eſſe non ſolum nos ipſos, ſed & ſermonem* (circa quem occupata eſt, Grammatica, Poëſis, Oratoria) *ac ratiocinationem* (obiectum Logices) *noſtram, item noſtram prudentiam* (Philoſ. Practicam) *&* *omnes artes* (Matheſin) *ac ſcientias*

XI. 4. 6. & conf. Grund⸗Lehren/*c. 17.*

h) Clauis ad Phyſicam. *Adde Eccles. XI. 5.* Lutherus reddidit: Gleichwie du nicht weiſſeſt den Weg des Windes/und wie die Gebeine in Mutter⸗Leibe bereitet werden; alſo kanſt du auch GOTtes Wercke nicht wiſſen/ die er thut überall. Sed mallem *ventum* hic omittere, quamuis de eo agatur *in vers. praeced.* & loco eius ponere *ſpiritum* in utero operantem, ſcilicet ſpiritum plaſtem. Septuaginta hic etiam non adhibent vocem ἄνεμος ſed πνεῦμα.

i) Clauis ad Pneumaticam. *Adde 1. Cor. II. 14.*

tias. (Philoſ. Theoreticam) *Ab ipſo erudiri ſapientes, vt ſciant, quomodo mundus ſit factus* (en! Phyſicam) *& vires elementorum, initium medium & finem temporis* en! Chronologiam) *viciſſitudines temporum anni,* (Oeconom.) *motus ſolis & ſtellarum,* (Aſtronom.) *naturam & inclinationes beſtiarum, eſſentias ſpirituum* [a]) (Pneumaticam) *cogitationes hominum,* (Politicam & Iurisprudentiam) *differentias plantarum & virtutes herbarum* (Medicinam), *ac denique omnia, quæ aliis ſunt abſcondita.* (Magiam veram)

§. XXIII.. Ita vero nec difficile eſt ſtudioſo ſapientiæ progredi, ſi opus fuerit, ad facultates, quæ vocantur ſuperiores. Nouit, [a]) ad *conſeruandam ſanitatem* panaceam unicam eſſe temperantiam pane & aqua contentam; ad eam *reſtituendam*, famem & moderationem affectuum; ex valde ſimplicibus vero & vbiuis obuiis rebus ſapientem parare *medicinam* vtiliſſimam, ac multa hic edoctos fuiſſe homines a ſapientiore beſtiarum ſpiritu. *Curam autem affectuum* nullam eſſe, niſi Chriſtum. Hanc ſi quis obtinuerit, ei nec venenata nocere &c.

§. XXIV. Nouit: Iuſto non eſſe *legem* poſitam:

a) *πνευμάτων βίας. Sap. Salom. c. 7.* (Unde totus hic paragraphus deſumtus eſt) v. 20. Lutherus: wie der Wind ſo ſtürmet. Vulgata: *vim ventorum.*

a) Clauis ad Medicinam.

tam:[a]) iniuſtis non ſufficere mille leges: eam eſſe conſtitutam optime Remp. vbi plus valent boni mores, quam alibi mille leges, & vbi Legislator exemplo ſuo magis præit ciuibus, quam vbi terrore pœnarum aut propoſitione præmiorum bonos efficere ſtudet. Nouit: ea *conſilia*[b]) eſſe optima, quæ ſimplicisſima ſunt, ac facillima, quæque magis reſpiciunt vires ac aptitudinem eius, cui conſilium datur, quam eius, qui dat. Nouit: id *iudicium*[c]) eſſe tutiſſimum, cum quis ita de alio iudicat, vti ipſe ab alio iudicari vellet. Denique nouit: eam legum *interpretationem*[d]) eſſe optimam, quæ amore caret atque odio.

§. XXV. Nouit etiam:[a]) tum demum beatum ſe fore ſi in corde ſuo unitas ſentiat gratiam Patris, amorem Filii, & cohabitationem Spiritus ſancti, h. e. *Trinitatem in vnitate*, ſique non ſolum alios ſapientes amet, ſed & *inſipientium miſereatur*, eosque vt errantes *toleret*, ac iis *benefaciat*, neque *ſalutem poſt hanc vitam* aliam eſſe ſperandam, quam tranquillitatem mentis cum Deo unitæ, cuius, vt *in hac vita prægustum* ſentiat, omnibus viribus cordis ſui, à Deo per Chriſtum quotidie inflammati *deſiderat*, & annititur, *fiducia* vero corroboratus acquirit.

§. XXXVI.

a) *b*) *c*) *d*) Clauis ad Iurisprudentiam legislatoriam, conſultatoriam, iudicialem & interpretatiuam.

a) Clauis ad Theologiam.

§. XXVI. Has veritates & hæc axiomata ſapientiæ *ignorari*, ac *vix tolerari in ſcholis* quotidiana docet experientia. Nam omnium, quæ hactenus dicta ſunt contraria principia in ſcholis vbique regnant & inculcantur, veritates autem iſtæ velut ſtultitia ridentur, vel vt Atheismus aut Hæreſis traducuntur. Et qui aliter fieri poſſet, cum *fons harum veritatum* in ſcholis ignoretur. Crepant enim omnes ſcholæ *arcana arcanorum*, artes artium, ſcientias ſcientiarum. In omnibus ſcholis docetur: *Hominem eſſe adhuc creaturam nobilisſimam, & ſapientisſimam, recta ratione & libero arbitrio gaudentem, atque natura ſua ad Dei amorem,* [a]) *& ad religionem & cultum Dei,* [b]) *præ reliquis creaturis inclinantem.* Unde non poſſunt non & in omnibus diſciplinis ac facultatibus oppoſita præcepta propullulare.

§. XXVII. Porro quod 4. in ſcholis *certo tempore* congregatis, ac *ſedentibus* exponantur doctrinæ, nec ad ſapientiam acquirendam

 ne-

a) Iam tempore *Clementis Alexandrini* fons hic ſapientiæ amiſſus erat. Ille enim *Pædagogi lib.* 1 *cap.* 8. *f.* 113. *Cum Deus nihil odio habeat, omnia amet, maxime vero hominem, vt pulcherrimum & religione præditum animal &c.* φιλόθεον ζῶον.

b) Stoicum hoc eſt, qui religione differre hominem à beſtiis docebant, cuius fragmentum etiam eſt in legibus Romanis *l. de J. & J.*

neceſſarium, nec multum *vtile* eſt. Non eſt ita comparatus intellectus humanus vel etiam voluntas hominis, vt certis horis ad informationem deſtinatis, quietem & deſiderium ſapientiæ ſerium, tanquam requiſita ad ſapientiam acquirendam maxime neceſſaria, ſemper posſideat, nec ſola ſesſione auditores ea requiſita acquirere valent. Igitur genuinis ſapientiæ Doctoribus omnis omni tempore, & in quacunque converſatione quotidiana, (etiam cum v. g. cibus capitur) arripienda eſt occaſio, vt vel deſiderium illud in animis auditorum vivo diſcurſu accendant, vel quoties illud adeſſe ſentiunt, ſive ſedendo id fiat, ſive deambulando, famem illam in animis auditorum exortam, propoſitis ſapientiæ doctrinis ſedent. Obſeruabant hunc modum doctrinæ & *Chriſtus* & *Socrates*.

§. XXIIX. Deinde habet 5. aliquid *coactionis* iſta *congregatio* auditorum certo tempore facta, præprimis uti in ſcholis, qua ſuperioribus, qua inferioribus & triuialibus adhiberi ſolet. Omnis vero coactio tantum abeſt vt ad acquiſitionem ſapientiæ *neceſſaria* ſit, aut eam *promoueat*, vt potius euidens ſit, omne deſiderium coactione quacunque, ſi non tolli, ſaltem minui. Ita & *Socrates* neminem congregabat, ſed ſingulis, doctrinam ſapientiæ ſua ſponte ab eo petentibus, inſeruiebat.

Ita *Chriſtus* non legitur unquam iuſſiſſe congregari populum, ſed docebat eos, qui ſponte concurrerent, eumque ad docendum urgerent.

§. XXIX. Adde, quod iſta congregatio auditorum *numerum cumulet.* At quo plures ſunt auditores, eo minor eſt occaſio ſolidiorem ſapientiæ doctrinam proponendi. Qui plures docet, debet doctrinam ſuam applicare ad captum ſingulorum. Sed hoc ob diuerſisſimas diſpoſitiones animorum in auditoribus, item ob diuerſiſſima præiudicia intellectui auditorum inhærentia valde difficile eſt. Unde congregatis eiusmodi pluribus hominibus ferè *nonniſi prolegomena ſapientiæ* exponi poſſunt, & oſtenſio generalis propriæ ſtultitiæ, aut monſtratio ſapientiæ ſaltem e longinquo.

§. XXX. Ita *Chriſtus* populum in magna copia congregatum nonniſi *per ſimilitudines* docebat, atque ipſe de hac doctrina prædicabat, quod populus nihil diſtincti ac vivi de ea videret, atque intelligeret. *Selectis* vero ſuis diſcipulis exponebat *myſteria* regni Dei ſeu veræ ſapientiæ. Ita & communiter *Philoſophi* pagani, (præter *Socratem*, qui plures ſimul docuiſſe non legitur) ſelectum in auditoribus ſuis obſeruabant, unde communis diſtinctio in *ſcholas acroamaticas*, & *exotericas.*

§. XXXI. Apparet autem ex dictis *commune ſcholarum* vitium, in quibus *omnia omnibus* ſine delectu ingeniorum docentur, atque etiam communes & *uniuerſales* emendationum ac *viuendi regulæ* præſcribuntur. Eſt quidem, vt diximus §. *XIV*, una ad ſapientiam communis via, regreſſus a ſuperficie ad centrum. Sed uti a centro variæ & infinitæ ſunt aberrationes, ita & neceſſe eſt, vt & infinitæ ſint ſpeciales viæ ad centrum in emendatione vitæ remeandi, unde neceſſe eſt, vt v. g. alia via in emendatione utantur *ambitioſi*, alia *auari*, alia *voluptatibus* immerſi.

§. XXXII. Ita *Daniel* Nabuchodonoſori regi ſobrio, ſed *crudeli* & *auaro*, conſiliũ dabat iſtos affectus *iuſtitia* & *liberalitate* erga pauperes emendandi,[a]) haud dubie alias viuendi vias præſcripturus Balthaſari filio eius, principi liberali & magnifico ac miti,[b]) ſed *luxuriæ* dedito.

a) *Dan. IV. 24.*

b) *vid. Dan. V. 16. & 29. iunct. Dan. II. 6. 12. 46.* & nota: *Nebucadnezar* promittit dona multa. *Dan. II. v. 6.* & ignorantiam crudeliter punire vult. *ibid. v. 8. & 12.* & Danieli nonniſi grata narranti præter cultum inanem donaria magnifica quidem exhibet, *ibid. v. 46.* At cum Daniel *cap. IV.* ei parum grata narraret, nihil donat, & tota oratio Danielis ad Regem *v. 16. ſeq.* ſubmisſisſimis verbis concepta eſt, haud dubie vt crudelitatem eius mitigaret. At *Belſazar* nec iraſcitur Magis, interpretationem facere neſcientibus, *Dan. V. 8. 9.* nec ipſi Danieli, quamuis duriter eum alloquenti. *Dan. V. 17. ſeq.* Quin potius etiam duriſ-

to.[c]) Ita *Seruator* quidem *generalem* ac *unicam* ſalutis viam oſtendit, ſeruationem præceptorum, & *abnegationem ſui*,[d]) *ſpecialia* autem conſilia longè alia dat iuueni *auaro*,[e]) alia *ambitioſis* diſcipulis ſuis, [f]) item ſuperbienti Theologo, g) atque ſpirituali ac ſubtili ſuperbia in via pietatis laborantibus, [h]) alia denique *luxurianti* adulteræ. i)

§. XXXIII. *Cauſa* communis *erroris*, qui in ſcholis regnat, eſt, quod *eſſentiam* hominis & *animæ* humanæ in *cerebro* ponant, & ita *homines eiusdem ſpeciei infimæ* eſſe communiter doceant, de quo alibi[a]) dictum pluribus.

§. XXXIV. Porro quod 6. *diſcurſum continuum* præceptorum in ſcholis, aut 7. eorum *dictata in calamum* vel 8. examina & *recitationes rerum memoriæ mandatarum* attinet, vbi nihil horũ à *Socrate* & *Chriſto* factũ eſſe iam ſupra *obs*. 2.

ſima narranti promiſſa liberaliter ſeruat. *Ibid*. 6. 29.

c) *Dan. V*. 1. 2. 3. 4.

d) *Matth. XIX*. 16. *Marc. X*. 21. *Luc. IX*. 27. *X*. 26. 37. *XIV*. 26.

e) *Matth. XIX*. 21.

f) *Marc. X*. 41. *ſeq*.

g) *Luc. X*. 29. 37.

h) *Luc. XIIX*. 9. *ſeq. XIX*. 8. 9. ubi non taxatur *Zachæus*, quod loquatur de bonis operibus ſuis, quia id non fiebat cum acquieſcentia in ſeipſo, vti faciebat Phariſæus.

i) *Joh. IIX*. 11.

a) Von Weſen des Geiſtes *cap. ult. & in prioribus capitibus* der Grund-Lehren.

§. 6. & 7. monuimus, ita non melior in doctrina ſapientiæ & *vtilior methodus* adhiberi poteſt, quam ſi *quærat auditor*, reſpondeat docens, aut, ſi vel maxime informationis gratia *quærat docens*, vt non memoriæ mandata iubeat recitari, ſed auditorem patiatur *loqui quæ velit*, ad meliorem eius vel conuictionem vel in veritate confirmationem. Ita *Socrates* & *Chriſtus* docuerunt.

§. XXXV. *Diſcurſus continuus*, præprimis *diuturnus* ac more oratorio, voce elata, propoſitus, vel *tædio* afficit auditores, vel eos ad *otium* ſubtile adſuefacit, ac a meditando, neceſſario ad inquiſitionem veritatis medio, abducit. Tantum igitur abeſt, vt eiusmodi diſcurſus diuturnus, præprimis, ſi contra leges fiat, pro *motu Spiritus ſancti* venditari poſſit, vt potius hæc aſſertio & ſacris literis, & ſanæ rationi, vt alibi [a]) oſtenſum, euidenter repugnet.

§. XXXVI. Efficacius autem viva vox corda auditorum excitat, quam ſi verba doctrinæ iis *dictentur in calamum*, ac ita viuacitas eius dictando intermoriatur. Accedit, quod Auditores, & dum dictata ſcribunt, non apti ſint ad iuſtam rei perceptionem, multo minus ad meditationem, & poſtquam dictata poſſident, vel otioſi ſoleant eſſe, putantes, ſibi ſuffice-

a) *in programm. ad diſput. inaug. de Iure principis circa hæreticos.*

ficere, quod theſaurum in charta ſcriptum, poſſideant, vel nimis ſubtiliter de verbis Doctoris & conceptibus, ac ſæpiſſime quidem cũ cauillatione, ſint ſolliciti, neglecto plane doctrinæ ſcopo atque vtilitate.

§. XXXVII. Nihil unquam de doctrina ſua ſcripſerunt *Socrates* aut *Chriſtus*, item ſapientiſſimus Regum *Salomo*, tantum abeſt, vt dictauerint in calamum. Corde enim percipi debet ſapientia, non cerebro. Si domini ſeruis iuſſa darent in ſcriptis, non viua voce, maior hoc pacto daretur iis occaſio cauillandi vti videmus hunc cauillandi pruritum eo magis creſcere, quo plures, etiam a principibus, publicantur leges ſcriptæ.

§. XXXIIX. Uti vero res intellectæ non õpus habent, vt *verbis conceptis memoriæ* mandentur, ita putare, quod recitatione verborum, rariſſime antea intellectorum, ſed ſoli memoriæ impreſſorum, perficiatur intellectus aut voluntas, vel aliquis ad ſapientiam duci poſſit, ab omni prorſus ratione abſonum eſt. *Pſittacos* efficit iſta methodus loquentes, aut *vanos homines*, in ſumma ſtoliditate, ſe ſapientes eſſe ſibi perſuadentes, non ſapientes genuinos.

§. XXXIX. *Aliorum* denique 9. hominum doctrinas exponere, ita ad ſapientiam non eſt *neceſſarium* aut *vtile*, vt communiter hæc methodus indicium ſit vel *tyrannidis*, docen-

tes ad aliorum cogitata & verba alligantis, vel *ineptitudinis in docente*, dilaceratione conceptuum & verborum alienorum mortuam doctrinam & inſipidam proponente, cum ipſe in theſauro cordis ſui, quod proponat, non habeat. Quare & *Chriſtus* non docebat, vt reliqui Theologi Scripturarii, die Schrifftgelehrten / ſed cum emphaſi & commotione auditorum. *Marc. I. v. 22. conf. Luc. IV. 24. ſeqq.*

OBSERVATIO XI.

SCHOLÆ AD QVEM STATVM ET BONORVM HOMINIS CLASSEM PERTINEANT? ATQVE DE OFFICIO SAPIENTIS IN TOLERANDIS SCHOLARVM NÆVIS.

SVMMARIA.

Scholæ pertinent ad ſtatum corruptum, non ad integrum, nec ad vitam æternam. §. I. *Scholæ tamen cum earum defectu non violenter extirpandæ ſunt, ſed amice toleratis næuis earum, emendandæ*, §. II. *Exemplo Chriſti*, §. III. *Informatio alienorum liberorum quomodo inſtituenda?* §. IV. *Variarum diſciplinarum vanitas eſt oſtendenda*, §. V. *Congregatis certo tempore ac ſedentibus quid inſtillandum, ac quo modo?* §. VI. *Næui recitationum, diſcurſus continui, dictatorum, quomodo temperandi?* §. VII.

§.VII. *Officium ſapientis in explicandis aliorum cogitatis & proponendis propriis.* §.IIX. *Scholæ pertinent ad infimam claſſem bonorum extraordinariorum ſtatus corrupti,* §.IX.

§. I.

QVæ dicta ſunt *obſeru. præced.* vti ſatis euidenter oſtenderunt, ſcholas ad ſapientiam, nec neceſſarias eſſe, nec utiles, ita ſimul patet, quid reſpondendũ ſit ad quæſtionẽ ſecundã *obſ. præced.* §.7. propoſitã. Nempe ſcholas pertinere ad defectus *ſtatus corrupti.* Status *integer* non ſolum tam imperfectos & inconuenientes modos ſapientiã docendi ex natura ſua reſpuit, ſed & methodo vlla ſapientiam docendi non habuit opus, vtpote in quo omnes homines natura ſapientes fuiſſent. Eadem dicenda ſunt de *vita æterna.* Modus vero vulgaris loquendi de Academia cœleſti, de quo *obſeru. præced.* §.*III.* ortum ducit ex doctrina pagana de hominis eſſentia in ſpeculatione conſiſtente, & inde deducto errore capitali, de præſtantia ſummi boni theoretici præ practico,[a]) ac ſimili, quo viſio Dei beatifica, vt ſpeculatio intellectus actiui concipi ſolet.

§. II. Quid igitur? An Scholæ *exterminan-*
dæ

a) *dixi in Inſtit. Iuriſpr. diu. lib. 1. c. 1.*

dæ erunt? An docentes in Academiis *extirpandi?* Abſit. [a]) Erunt defectus donec homines. Multi defectus etiam ita firmas radices in genere humano egerunt, vt absque periculo ipſorum hominum, & turbandæ pacis humanæ, viribus & conſiliis humanis *tolli* aut ſtatim *mutari* nequeant. *Oſtendit ſapiens* defectus, & oſtenſione iſta contentus non reformat *violenter*, non exterminat, non expellit, non vrit, non ſecat, ſed curam ab ope diuina expectare iubet, quæ omnia ſuo tempore optime emendare nouit. Omnis doctrinæ *ſapientiæ finis* eſt, vt quilibet errantium *ſeipſum emendet*, non vt emendet properanter *alios*, niſi ipſe iam emendatus ſit, neque tum mediis violentis emendationem tentet, ſed *conſulendo*, *adhortando*, *exemplum præbendo* præeat. Interim genuinus doctor ſapientiæ omnia fit omnibus, & etiam *imbecillitatibus & defectibus hominum ſe accommodat*, [b]) vt multos lucretur.

§. III. Eſt ſchola ſocietas *arbitraria* ab hominibus non ex bona intentione inuenta, vt docebunt *obſeruationes aliæ de origine ſcholarum*. Interim ſapiens *Chriſtum* imitatur, qui non iubebat, vt Iudæi tollerent ſcholas, neque

a) Ita tranſeo ad quæſtionis tertiæ *obſ. præced.* §. *VII. propoſitæ* deciſionem.

b) *Vid.* Grund-Lehren / *P. I. c. 2. n.* 118. *ſeq.*

que eas plane fugiebat, ſed ſæpe introibat, ritibus docendi ibidem receptis ſe accommodabat, ac ſic arrepta occaſione viua ſua doctrina multos lucrabatur [a])

§. IV. Deberent vtique ſinguli patresfamilias apti eſſe ad *proprios liberos* inſtruendos. Sed deberent. Iam cum plerique ad id ſint ineptisſimi, non poterit ſapiens, etiamſi Princeps ſit, ſtatim *abolere ſcholas*, ſed neceſſe eſt, vt antea in ſcholis futuri Patresfamilias apti reddantur ad doctrinam. Igitur ſapiens in id incumbit, vt hunc defectum oſtendendo cum potentia & emphaſi *doctrinam veram* in ſcholis inculcet, iterum *Chriſtum* imitando, qui non docebat traditiones Iudaicas, vt Theologi ſcripturarii, (die Schrifft-Gelehrten) ſed Euangelium, & Regni Dei, quod eſt intra homines, aduentum. [a])

§. V. Ortam eſſe ex vanitate Gentiliſmi doctrinam vanam variarum diſciplinarum, oſtendimus *obſeru. præced.* & fuſius id docebunt *obſernationes de origine ſcholarum.* Vt ergo homines ad vnam & ſalutarem ſapientiam traducat ſapiens, occaſione doctrinæ *variarum diſciplinarum*, iſtam *vanitatem* ad oculum demonſtrat, & neceſſarium ſapientiæ fundamentum, agnitionem ſcilicet *miſeriæ humanæ*, & ge-

a) *Matth. IV. 23. IX. 35. XII. 9. Marc. I. 21. III. 1. VI. 2. Luc. IV. 15. & omnino 16. ſeqq.*

a) *dd. ll. & Luc. XVII.* 21,

&genuinam *eſſentiæ hominis cognitionem* ſerio inculcat.

§. VI. Sic corrupta eſt vbique iuuentus Scholaſtica, & Academica, vt ſi *congregatis certo tempore, ac ſedentibus* doctrinam ſapientiæ impertire nollet ſapiens, id faciendi occaſionem aliam vix ſit inuenturus. Ergo & hanc frequentisſime ſe offerentem occaſionem arripit, vt ſaltem *prolegomena ſapientiæ* & *generalem ſtultitiæ communis agnitionem* certo tempore ſic congregatis ac ſedentibus, absque omni tamen vel *umbra coactionis* inſtillet & ſimul eos doceat, non *vniuerſalibus viuendi regulis*, multo minus *legibus* ſapientiam acquiri, ſed ſingulis ſingula viuendi & ſapientiam acquirendi conſilia eſſe danda, & ad eorum inquiſitionem non ſolum vniuerſos adhortatur, ſed & priuatim de ſalute ſua ſollicitis ſui copiam facit, ac ſe ad iſtud beneficium offert, nullamque id expediendi occaſionem omittit.

§. VII. Porro ſi leges vel mores, etſi corrupti, velint, vt auditores *res memoriæ mandatas recitare*, aut docentes *diſcurſu continuo* vti debeant, ac imbecillitas diſcentium *dictata* quædam poſtulet, ſapiens operam dat, vt auditores res memoriæ mandatas *intelligant*, neque tam ad verba, quam ad mentem rerum memoriæ mandatarum reſpiciant, vtque diſcur-

ſu

ſu ad captum omnium inſtituto, *vtilia* magis, quam ſubtilia, adhibitis ſubinde perſpicuis *exemplis* atque *parabolis*, attentionem auditorum excitet, & *dictatis diſcurſui intermixtis*, tædium ex alterutro oriundum, ſubleuet. Vbique vero adhortatur auditores, vt ipſi *meditatione* priuata veritatem dictorum examinent, atque operam dent, vt a præiudiciis qua intellectus qua voluntatis, vacui ſapientiam magis in *voluntatis*, quam ſolius intellectus emendatione quærant. Simul vero priuatim occaſiones ipſis ſuppeditat, vt experiantur, conuerſatione amica, & mutuis interrogationibus ac liberioribus diſcurſibus plus addiſci, quam otioſa illa cultura memoriæ, aut ruminatione diſcurſuum aut dictatorum.

§. VIII. Denique, ſi leges Academiarum aut ſcholarum velint, vt *aliorum cogitata* auditoribus explicentur, mediam hic viam ſapiens doctor obſeruans neque fruſtranea renitentia maiori potentiæ obſiſtit, neque in ſeruitutem alienarum cogitationum, multo minus verborum, ſe adigi patitur, ſed præmiſſa perſpicua autoris præſcripti explicatione, cordata libertate vbique cum modeſtia temperata diſſenſum ſuum, vbi opus eſt, declarat, operam ſimul dans, vt auditores magis rationum ponderibus, quam autoritate ſua, aut vllis

vllis aliis modis, ſpeciem coactionis habentibus, in ſuam ſententiam ducat. Quodſi vero deprehendat libertatem *propria cogitata* proponendi ſibi legibus & moribus publicis relictam eſſe, ea cum gaudio fruitur, nec occaſionem hanc elabi, negligenter patitur, ſed meditationes ſuas in ordinem redigit, ita tamen, vt ſemper ſentiant auditores, animum eius non eſſe, vt meditationes illæ in normam vel formulam ſeruitii vertantur, ſed potius, vt iis exemplum ac normam præbeant ingenuæ libertatis. Quare nunquam iraſcitur diſſentientibus, aut alio modo diſſenſum ſupprimere mediis violentis ſtudet, ſed eos in proponendis dubiis adiuuat, & reſolutione amica ſubſecuta, partim auditores in veritate confirmat, partim declaratione hac ſinceri amoris, amorem eorum reciprocum elicit.

§. IX. Ex dictis vero facile iam patet, ſcholas & Academias nequaquam in hoc ſtatu corrupto ad bona eius ordinaria pertinere, ſed potius inter *bona extraordinaria infimam claſſem* obtinere, atque ſic, ſi accurate loqui velimus, ad *mala* potius *neceſſaria*, quam ad bona vere dicta referendas eſſe. Quod vt ſimili declaremus, finge ægrotos quosdam ita vini aut dulciorum ciborum continuo vſu ſtomachum & ſanguinem corrupiſſe, vt graves exinde morbi ſecuturi timeantur, ægrotos

tos tamen continuo illo vſu effeciſſe, vt ab omni vini & dulcium vſu ſtatim abſtinere plane absque periculo nequeant. Hic ſane ſapiens medicus operam dat, vt vini & dulcium rerum vſum aliquem permittat ægrotis, illisque perſuadeat, vt vſum illarum rerum paulatim minuant, ac ita pedetentim deſueſiant. Interim medicamenta ipſi vino ac dulcibus rebus admiſcet, atque ope eorum ſemina morbi debilitat &c.

OBSERVATIO XII.

RESPONDETVR SCHOLARVM PANEGYRISTIS. NÆVI CRASSIORES SCHOLARVM. PRIVATÆ SCHOLÆ PVBLICIS PRÆFERENDÆ.

SVMMARIA.

Reſpondetur ad Beſoldi elogia, quibus Scholas mactat, §. I. *item ad autoritatem Imperatoris Friderici & Eberhardi Ducis Wurtenbergici ab eo adductam*, §. II. *& quod aſſerat, orbem terrarum ſcholis nunquam carere potuiſſe.* §. III. *Limnæi rationes pro neceſſitate & vtilitate ſcholarum referuntur, ac paucis refelluntur. Monzambani iudicium de Limnæo.* §. IV. *Præcipua capita næuorum craſſiorum in ſcholis & Academiis* §. V. *Scholas priuatas præferendas eſſe publicis.* §. VI.

§. I.

DIcta in obſeruationibus modo præcedentibus, vti palpabiliter oſtendunt, *tolerandas* quidem eſſe ſcholas, non autem *laudandas* eſſe, aut earum neceſſitatem atque vtilitatem eſſe deprædicandas, ita ſimul *reſponſionem abunde ſuppeditant* aduerſus eos, qui contrariam ſententiam defendere ſuſtinent. Atque vt *ſpecimen* aliquod demus eiuſmodi reſponſionum, lubet iam afferre, quæ *Chriſtophorus Beſoldus diſſert. de Iure Acad. cap. 2. quod extat in ipſius opere Politico lib. 5. p. 157. ſeq.* pro neceſſitate Academiarum adduxit. *In Academiis*, inquit, *cuſtoditur ſcientiæ & doctrinæ clauis.* Utinam etiam ibi cuſtodiretur clauis ſapientiæ & pietatis. *Conſ. Obſ. XII. th 17. & 26.* At ait Beſoldus, *inibi oſtenditur via ſalutis*, ſcilicet via hominem inflans, & ab agnitione miſeriæ ſuæ abducens, & ad rixas ac diſſidia reddens aptiſſimos. *Conſ. dictas theſes. Hinc prodeunt*, ita pergit Beſoldus, *quorum ſcientia totus illuminatur orbis Auth. Habita Cod. ne filius pro patre.* Verius dixiſſet, quorum ſcientia totus orbis *incenditur.* Neque teſtimonium Friderici Imperatoris in medio Papatu viuentis admittent, tanquam omni exceptione maius, eruditi eccleſiarum pro-

proteſtantium. Ita quidem eſt, quod, vti Beſoldus continuat, *quales exhibeat ſchola, tales habitura ſit Eccleſia & Reſpublica Moderatores & ciues.* Sed quales illi ſint moderatores & Ciues à Scholis exhibiti, triſtis docet & deplorat experientia.

§. II. Neque adeo nouæ reſponſiones addendæ ſunt ſequentibus argumentis Beſoldi ad *teſtimonium eiusdem Imperatoris* Friderici prouocantis, qui *cum ſcholares ad ſtudium Neapolitanum inuitaret*, inter alia dixerit, ſe *deſiderare multos prudentes & prouidos fieri per ſcientiarum hauſtum & ſeminarium doctrinarum: qui facti diſcreti per ſtudium & per obſeruationem iuſti Deo ſeruiant &c.* Nam aperte papismum ſapit, quod dicit, per ſtudium & doctrinas Academiarum homines euadere iuſtos, vbi ſcilicet non Chriſtus regnat, ſed Ariſtoteles, aut alius quispiam Philoſophus ethnicus. Eadem eſt ratio conſtitutionis *Eberhardi primi* fundatoris Academiæ Tubingenſis, à Beſoldo allatæ. Daß S. Fürſtl. Gnaden guter Meinung habe wollen helffen graben den Brunnen des Lebens/ daraus von allen Enden der Welt ohnerſichtlich geſchöpfft mag werden tröſtlich und heilſame Weißheit zu Erlöſchung des verderblichen Feuers menſchlicher Vernunfft und Blindheit. Nam & Eberhardum vel *in medio Papatu* erexiſ-

ſe Academiam Tubigenſem, vel ex ipſo Be-ſoldo conſtat, referente, Academiam hanc fundatam eſſe Anno 1577. *d. lib.5.p.75.* & re-cenſente orationem funebrem Duci Eberhar-do à Conrado Summenhurt, Theologo Catho-lico, habitam *d.l.5.p.55.ſeq.* qui *p. 68.* teſtatur, Ducem Eberhardum in fide Catholica deceſ-ſiſſe. Et quis Chriſtianorum, *Chriſtum vnicum vitæ fontem* agnoſcentium, æquo animo feret, *Academias appellari fontes ſalutis*?

§.III. Sed inquit Beſoldus, *d. l. §. 2. eiuſmodi Collegiis Academiæ habentibus aliqualem formam, nunquã fere carere potuit orbis terrarũ.* At hæc aſ-ſertio petit id quod eſt in principio, & contra-riũ oſtendet obſeruatio alia de origine ſcho-larum. Atque iſta quidem in Beſoldo mirari adeo non debemus, vel iam tum cum iſta ſcri-beret, ex Lutherano Papiſta vel certe iam Pa-pizante. Magis mirum quod *Limnæus Vir Lutheranus argumenta* non fortiora, ſed & multo *imbecilliora* pro vtilitate ſcholarum af-ferat, quæ adeo vel ſola recenſione refutantur.

§. IV. Ita vero differit *Iuris Publici Lib. VIII. cap.1.n.27. ſeqq.* I. Academias facere ad glo-riam Dei & conſeruationem verbi Dei *per litt. Statut. Jenenſ. Acad.p.4.iunct. cap. cum ex eo de elect. in 6. Concil. Trident. ſeſſ.23. cap 18.* Reddere homines cupidos efficiendi ſe aptos & faci-les ad timorem Dei, obſeruantiam erga Prin-cipem

cipem & conſeruationem Eccleſiæ in candida ſua dignitate. II. Extingere ignorantiæ ignem *per verba Eberhardi* §. 2. *allata*. III. Ex illis maximum ad Principem redire vtilitatem *per teſtimonia multorum Autorum*. IV, Emollire mores nec ſinere eſſe feros. *Middend. Lib.* 1. *c.* 4. *p.* 16. & huius rei non illuſtrius eſſe quam Germanorum exemplum. *Lanſ. de princip. prouinc. Eur. p.* 28 V. Eſſe ornamenta totius prouinciæ ſiue ditionis. *Phil. Mel. Part.* 2. *Conſil. Theol. p.* 431. VI. Prodeſſe ad corradendas diuitias. *Sagitt. de ſumm. vrb. felic. in quib. Acad. erectæ ſunt. theſ.* 76. & denique VII. pluribus aliis bonis mactare harum vrbium incolas in quibus erectæ ſint. Scilicet hæc omnia nihil niſi nudæ *aſſertiones* ſunt, magnam partem *nihil ad rem pertinentes*, & nullis rationibus ſed ſolum *autoritatibus* vel virorum Catholicorum, vel etiam magnorum eruditorum ex noſtris quidem, ſed hominum tamen, ſubnixæ. Et iam notauit de *Limnæo* Monzamb. *in epiſt. dedic. p. m.* 11. *quod, quicquid uspiam legiſſet audiſſetque, absque iudicio compingere ſoleat, quodque nihil in eius libro deprehendatur, quod vel mediocrem Politicæ ſolidioris ſcientiam ſapiat.*

§. V. Adhibuimus vero nos in argumentis adverſus neceſſitatem & vtilitatem ſcholarum, ſolum *rationes* ex ipſa *ſcholarum definiti-*

one & quatenus communiter ſcholæ, ab aliis *commendari* ſolent. Quodſi inſuper adhærentes ſcholis *næuos plurimos*, puta *ruſticos & impios* docentium pariter ac diſcentium *mores*, irritamenta varia *gulæ*, *libidinis*, *ambitionis*, *ritus gentiles* pro ſacris venditatos, *depoſitionū* ſcurrilitatem, *promotionum* vanitatem, *diſputantium* rixas, *adulantium* blanditias, *ſtyli* Ethniciſmū, *diſciplinæ* ludibrium, gratiam & iuſtitiam docentium *venalem*, inanem *priuilegiorum* faſtum &c. argumenti loco voluiſſem adducere, proh! quantum extendi potuiſſet diſcurſus iſtius capitis. Sed abſtinere ab his malui, partim ne obiiciatur, iſta omnia non pertinere ad ſcholarum *eſſentiam*, (quamuis næui iſti ita ſint hodie communes & radicati etiam in ſcholis Proteſtantium, vt iure optimo pro eſſentialibus ſcholarum haberi poſſint, *conf. obſ.* 2. § 3.) ſed ſolum accidentium locum obtinere, partim ne *actum agam*, cum hoc argumentum iam à plurimis ſit tractatum. *Vide varia Lutheri loca exhibita* in der Hiſtorie der Weißheit und Thorheit *Menſe. I. Beſold. d. l. c. 2. §. 6. p. 163. Ioh. Valentin. Andreæ in Menippo c. 25. Ioh. Matth. Meyfartum* von Erbauung und Fortſetzung der *Academiſchen diſciplin* auff den Evangeliſchen hohen Schulen in Teutſchland. *Weigelium* in Wurtzelzug der Laſter in Schulen. *Menſem Nouembrem*

brem der freymüthigen und ernſthafften Gedancken *Anni 88. Gottfr. Arnoldi* Kirchen-Hiſtorie *Part. II. lib. XVI. c. 10. &c.*

§. VI. Et quamuis plurimi in comparandis inter ſe ſcholis *priuatis* & *publicis*, communiter has pro illis *extollere* ſoleant, (*Confer. Quintil. Inſtit. Orat. l. 1. c. 2.*) tamen cur & hic diſſentiam, cauſas non ſolum dixi *in dicto Menſe Nouembr* : ſed & eæ partim ex dictis *Obſ. X. n. 10. ſeq.* partim ex iis, quæ ſuo loco de vitioſa origine ſcholarum publicarum dicemus, pateſcent.

OBSERVATIO XIII.

APPLICATIO DICTORVM DE NECESSITATE ET VTILITATE SCHOLARVM AD CONCIONES.

SVMMARIA.

Argumenta contra neceſſitatem & vtilitatem Scholarum allata applicantur ad Conciones. §. I. *Neui craſſiores concionum.* §. II. *Conciones pertinere ad defectus ſtatus corrupti, eiusque bona extraordinaria.* §. III. *Officium ſapientis circa defectus Concionum.* §. IV.

§. I.

Nec illud omittendum, cum *obſeru.* 3. oſtenderimus conciones à ſcholis parum differre, & conciones revera

ſcholarum ſpecies eſſe, hinc facile patet, ea quæ de neceſſitate & vtilitate ſcholarum hactenus diximus, etiam ſuo modo ad *conciones* applicari poſſe. Nam & *hic* deplorandum, quod cura ſalutis *propriorum* liberorum a parentibus fere negligatur, & hi ad conciones ablegentur, (*vid. Obs. X.* §. *10. 11.* 12. *13.* quod illa *diſciplinarum Academicarum*, ſummam felicitatem fere impedientium, *varietate* præparentur animi ſtudioſorum ad conciones, quodque illæ ſæpius, etiam apud Proteſtantes in concionibus magis proponantur, quam verbum Dei, item quod *clauis ſapientiæ & notitia ſui ipſius* ac miſeriæ humanæ vel *negligatur* plane in concionibus, vel *frigide proponatur*, vel etiam iſtud cognoſcendi genuinum principium plane pro *fanatico* traducatur, [a]) (*vid. d. Obſ. X.* §. *14. -- ad 25.*) quod ex *congregatione certo tempore* fiat opus operatum, (*vid. d. l.* §. *27.*) quod *coactio* regnet in concionibus, (*vid. ibid.* §. *28.*) quod in concionibus non niſi *generalia* & *remota ſapientiæ præcepta* poſſint proponi, (*vid.* §. *29. 30.*) quod generales & *communes viuendi regulæ* omnibus ſine diſcrimine proponantur (*vid.* §. *31. 32. 33.*) quod non relinquatur *libertas* auditoribus *quærendi* vel opponendi, (*vid.* §. *34.*) quod *diſcurſus continuus* vel

tædio

a) *Vide quæ diſſerui de Colbergii* Platoniſchen Chriſtenthum/ *Menſe Decembr.* 1699. der Monatlichen Gedancken.

tædio afficiat auditores vel eos ad otiũ ſubtile adſuefaciat, &, ſi etiam contra leges continuetur, pro inſtinctu Spiritus Sancti venditetur, (quamuis hic inſtinctus communiter ad leges collegiorum homileticorum, & ita ad inuenta pure humana ſe adſtringi patiatur, atque ſe poſtea cenſuræ humanæ ſubiiciat) (*vid.* §. *34.*) quod, etſi hic non dictentur verba in calamum, tamen frequenter hic commendetur ſtudioſis, vt quantum fieri poteſt, etiam inuentis artificiis *omnia verba loquentium calamo excipiantur* (*vid.* §. *36.*) quod in catechiſationibus & ſimilibus examinibus plerumque audiantur *Pſittaci loquentes*, vel certe homines tumidi efficiantur vana ſapientia, (*vid.* §. *38.*) denique, quod hic maxime docentes pariter ac diſcentes ad *aliorum hominum cogitata & verba* etiam per leges pœnales adigantur. (*vid.* §. *39.*)

§. II. Apparet vero iterum ex dictis, quod de concionibus hic ſaltem ea *argumenta* attulerim, quæ ex *eſſentialibus ſcholarum* requiſitis deſumta ſunt, & quatenus intuitu ſi non omnium, certe plerorumque, conciones hodiernæ valde *laudari* ac *commendari* ſolent. *Enormes alios abuſus* concionum, etſi non infrequentes & non raros, puta *mixturam ethnicæ doctrinæ cum Chriſtiana*, ineptam *recenſionem fabularum poeticarum*, turgidam *vaniloquentiam*

am, defenſionem aut *excuſationem ſcandalorum publicorum*, conuitia ac *calumnias aduerſus diſſentientes*, excitationem *plebis ad tumultus & rebellionem*, ex rationibus *obſ. præced.* §. 5. dictis, ſtudio omiſi.

§. III. Vti autem hæc omnia oſtendunt, etiam *conciones*, quatenus communi ſcholarum definitioni ſubiacent (*vid. obſ. 3.*) pro *neceſſariis* ad ſtudium ſapientiæ venditari vix poſſe & non adeo multum *prodeſſe* ad acquirendam ſapientiam, (*conf.* §. 7, *obſ. 10.*) ita ſimul conſtabit, etiam conciones pertinere ad *defectus ſtatus poſt lapſum*, prout latius oſtendet diſpectio de origine ſcholarum, (*conf. obſ. XI.* §. 1.) & quidem ad bona huius ſtatus *extraordinaria* claſſis infimæ (*conf.* §. *vlt. d. obſ. XI.*)

§. IV. Cæterum tamen, vti ſupra diximus, *d. Obſ. XI.* §. 2. *ſeqq.* ſapientem mediam viam circa defectus ſcholarum eligere, vt nec *laudando* aut *defendendo* eosdem argumenta vanæ ſapientiæ promoueat, nec *violenta emendatione* turbas moueat, atque officium doctoris cum officio Magiſtratus miſceat; vti vlterius ſapiens etiam circa *defectus ſcholarum craſſiores Obſ. præced.* §. 5. notatos ita ſe gerit, vt partim *tolerantia ſine approbatione* eorundem errantibus amicum & beneuolum erga eos animum declaret, partim vt *exemplo ſuo* abſ-

absque vlla violentia errantibus præeat, atque ſic pedetentim & amice a via lata eos ad ſemitam virtutis arctam deducat; ita & circa *defectus concionum*, etiam *craſſiores* illos §. 2. recenſitos *pari modo ſapientem ſe gerere æquum eſt.* Iidem enim morbi, etſi diuerſis gaudeant nominibus, iisdem medicinis curari debent.

OBSERVATIO XIV.

DE VEROSIMILLIMA CAVSA MOTUS MERCVRII IN TVBO TORRICELLIANO SEV BAROMETRO.

SYNOPSIS.

Motus huius Theoria §. I, *ponderi aëris adſcribitur* §. II. *terreis halitibus in ſpecie, à Ramazzino* §. III. *Hydroſtaticæ proportioni à Schelhammero* §. IV. V. *Noſtra opinio* §. VI. *Eſſe à preſſione Elaſtica* §. VII. *aqueorum præcipue corpuſculorum* §. IIX. *ſuppoſitiones* §. IX. *Meteorum gregis nubium* §. X. *naſcenti ſerenitati familiare,* §. XI. *in alta aeris regione hæres* §. XII. *Aſcenſus Barometri reſpondet huic* §. XIII. *magis, quam alteri ſerenitatis prodromo* §. XIV. *imo nubilo potius, modo ſicco, cælo* §. XV. *Exemplum* §. XVI. *Ventorum habitus ad ſerenitatem* §. XVII. *Specialiores ſuppoſitiones* §. XIIX. *Elaterem promptiorem eſſe pondere* §. XIX. *Terram non niſi expanſam exhalare,*

lare, neque tunc valde grauitare, §. XX. *Expanſionem elaſticorum corpuſculorum augere huius proprium elaterem* §. XXI. *Aquam tam frigore, quam calore exhalare, ſub certa tamen circumſtantia* §. XXII. *Halitus aqueos denſatos coaleſcere in guttas* §. XXIII. *Motus halituum aqueorum à Ventis* §. XXIV. *poſſent rationibus determinari*, §. XXV. *Phænomena Baroſcopii communia* §. XXVI. *num. I. ad VI. Singularia magis num.* VII. IX. XI. XIII. *Connexio. Aer ſerenus humeſcit* §. XXVII. *particulis aqueis elaſtice intertextis*, §. XXIIX. *quarum elater aëris proprium intendit* §. XXIX. *Subtractus, hunc laxat*, §. XXX. *Gradus dari expanſionis, tam in aqueis, quam aëreis corpuſculis*, §. XXXI. *Frigidus ſtrictus aer humidus, calore cito expanditur & premit* §. XXXII. *Orientalis aura, expanſa iam, auget dilatationem illius cui accedit: & ſiccat ſimul, halitus aqueos in ſublime rapiendo* §. XXXIII. *Differentia Boreæ & Euri* §. XXXIV. *Auſter nimis aquoſus, concretionem, atque ita exonerationem inſignem elaſticarum aquearum, infert* §. XXXV. *Zephyri apud nos longe minus humidi auſtris, ſed frigidi* §. XXXVI. *præcipue ſicciores hyeme* §. XXXVII. *Exemplum obſervationis Barometrico- Meteoricæ.*

I. Cu-

§. I.

Curioſum hoc experimentum, quod vulgo hodie *Barometrum* ſeu *Baroſcopium* dictum, conſtituit, neque parum vtile eſt ad illuſtrationem Scientiæ Phyſicæ circa varios *Meteororum humidorum* ſucceſſus, poſteaquam à *Torricello* inuentum, ſenſim imitationem ſubiit ſolertium virorum, exercuit hactenus varie curioſorum ſpeculatorum ingenia, ſi forte *cauſas* eius penitiores peruestigare, & perſpicue euoluere integrum eſſet.

§. II. Adſcripſerunt hunc effectum uno ore *ponderi aëris*, adeoque *ponderoſæ* illius *preſſioni*, quæ ſuperficiei Mercurii incumbendo, eundem *ſurſum premat*, quando ipſamet *aëris* hæc *grauitas* increbeſcat; aut ſi *pondus* aeris remittat, Mercurii quoque ponderi *deſcendendi* libertatem concedat. Quomodo vero, & unde, aër *pondus* hoc nanciſcatur, nouæ quæſtionis materiam exhibuit.

§. III. Suſceperunt hanc ſpartam velut ex profeſſo, Viri perſpicaciſſimi, Dominus *Ra-mazzinus* in Italia, & huius propemodum occaſione, Dominus *Schelhammerus* in noſtra Germania: quorum vtrorumque ſententiæ, placita, & mutua dubia, eorumque de-

declinationes, in nuper edito *Celeb. Schelhammeri* de hac re opuſculo, vno intuitu perluſtrari poſſunt.

Summa ſententiæ *Ramazzini* eo redit, ut ſtatuat, pure *materialem ponderis* huius ſubeſſe cauſam; nempe corpuſculorum *terreorum* diſſeminationem per aërem, & quidem præcipue per infimam huius, terræ proximam regionem. Hæc corpuſcula, cum ipſis *aqueis* notabiliter grauiora reputet, adeoque aqueis in vaporem reſolutis, & ſimiliter in aërem ſublatis, locum longe *altiorem* aſſignet; putat inde fieri, ut tempore ſereno quidem, magna copia huiusmodi *terreorum grauiſſimorum* corpuſculorum in aërem ſublata, tantam *grauitatem* ibidem conſtituat, quæ presſioni illi Mercurii in tubo noſtro ſufficiat. Contra vero, ſi ex ſuperiore ſua regione delabens *aqua*, pluuiam formet, deturbare hanc ipſam ſecum, magnam *terræ* huius volaticæ quantitatem, qua deinde exoneratus aër, adeoque amiſſo ſuo illo *pondere*, Mercurii *deſcenſum* notabilem admittat. Tribuit vero inter hæc *terrea* corpora longe plurimum *nitroſis* effluviis, quorum vberrimum prouentum e *ſeptentrione* proficiſci ſupponit: vt nimirum ſatisfiat inſigni illi phænomeno, quod ex *Arctois* regionibus ſpirante vento, *promptiſſime* incre-

crebeſcat Mercurii *aſcenſus*, nempe ex Autoris hypotheſi, citisſime aucta aëris *grauitate* per inſignem copiam *terrearum* illarum, *nitroſarum*, exhalationum.

IV. E contra Celeb. *Schelhammeri* opinio in eo verſatur, quod effectum hunc ex *Hydroſtatica* deducere ſatagat, dum videlicet corpora *grauia*, in fluidis plus aut minus *crasſis*, notabilem talem diuerſitatem *ponderis* ſubire ſolent. Quale quid hic quidem *Halis* vix non apud quemlibet *ſalis coctorem* ſpectare licet, in globulis illis aquarum ſalſarum *docimaſiæ* deſtinatis & magis artificioſo *ſenſibilisſimo* huius generis experimento allegato in *Act. Erudit. Lipſ. ſupplementorum Tom. II. ſect. 9. pag. 434. è Transact. Angl. an. 1693. p. 627.*

V. Ex hoc fundamento concipit ſibi, ſubnaſci hoc Mercurii in aëre, *humidis* particulis, tanquam multo *crasſioribus*, referto, quaſi *minus pondus:* Vt ille hac ratione propterea in tubo Baroſcopii *deſcendat*, quia in liberum aërem, tanquam iam craſſiorem, altius *aſcendat*, ſeu multo minus in eodem *ponderet*.

VI. Quid vterque Celeberr. horum Virorum in alterius opinione adhuc deſideret, fas eſt in allegata illa a Dno. *Schelhammero* edita Epiſtolicarum harum disquiſitionum ſylloge, perſpicere. Nobis in præſentia non placet, dubiis, vel iam vtrinque allatis, vel vlte-

rio

rioribus vtramlibet opinionem adhuc prementibus, inſiſtere; ſed aliam potius hypotheſin, quæ nobis *veriſimillima* apparet, & *omnes*, qui hactenus circa Baroſcopium innotuerunt, *effectus*, luculenter *explicet*, in medium proferre.

§. VII. Tribuendam videlicet putamus, *motus* Mercurii in tubo noſtro *viciſſitudinem*, omnino quidem *aëris preſſioni*; ſed non tam pure *corporali*, id eſt, *grauitati*: quam *virtuali, elaſticæ* nempe eiusdem *expanſioni*.

§. VIII. Hanc vero *elaſticæ expanſionis acceſſionem*, aut contra, *diminutionem*, vnice, aut certe potisſimum, plane arceſſimus ab *aquearum particularum*, *ſublimiore*, & *intimiore* in aërem *calidiorem* inſinuatione, vel ex eodem *deturbatione*.

§. IX. Huius aſſerti elucidationem ſequentibus partim ſuppoſitionibus, partim ſubſumtionibus, præſtare ſperamus.

§. X. *Primo* minime negligendum putamus ſatis frequens illud phænomenon meteoricum, quod non ita raro locuples numerus nubium *candidarum*, *luculentarum*, *paruarum*, ſed tamen inter ſe mutuo valde propinquarum, *gregis ouium* inſtar, viſui occurrat.

§. XI. Ex hoc nubium ſtatu præſagire ſolent plebeji *Ventos*: ſed fallit reuera valde frequenter augurium. Quæ enim nubes hoc ha-

habitu, *gregatim*, ſeſe offerunt *poſt pluvias*, aut *nubilas* tempeſtates; illæ non tam certo *ventos*, quam ipſam ſucceſſuram *ſerenitatem* pollicentur. Et hoc quidem tanto certius, ſi comites habeant longos veluti *tractus candidos*, vel intercurrentes, vel alias in aëre, ſub iſthæc eadem tempora, extenſos.

§.XII. Utræque vero, nempe tam hæ, quæ *poſt* pluuias ita incedere incipiunt, quam illæ, quæ extra pluuias ſeſe exſerunt, habent fere hoc commune, quod non modo ipſo ſenſu viſus iudice, *altius* in aërem ſublatæ appareant; ſed etiam *tardisſimo* plane progreſſu, inſignem *altitudinem* loci, per quem provehuntur, indicare videantur.

§.XIII. Phænomeno huic ſubiungimus, ſecundo loco, alterum, in ipſo Baroſcopio, huic modo dicto in genere reſpondens; nempe quod inſignis *aſcenſus* Baroſcopii, *repentinus* præcipue, non ita æque indifferenter, quamlibet pluuiæ tempeſtati ſuccedentem, *ſerenitatem* ſubſequatur, ſed illam demum præcipue, quando poſt pluuias atque nubila, cœlum *huiusmodi* ſplendidis exiguis, tarde incedentibus, & ſucceſſiue demum euaneſcentibus *nubibus* conſperſum, ſenſim ad limpiditatem tranſit. Cum contra paruæ ſatis mutationes Baroſcopii tunc obſerventur, quando pluuium tempus, obſcuris craſſis nu-

bibus, veluti *ſubſidentibus*, (quaſi aulæo quodam per inferiorem aëris regionem deducto,) ad puritatem atque ſerenitatem redire apparet.

§.XIV. Hoc enim poſtremo aëris, vel potius nubium, ſtatu, manet Mercurius in tubo non modo ſatis depreſſus, neque tollitur, niſi per pauciſſimos tantum gradus: ſed & ipſa talis tempeſtas, vix diu ſeruat fidem, quin frequentibus nebulis, aut ſane uvido illo tempore, quem vulgo Geſchwül appellamus, in nouas pluuias transmigret.

§.XV. Cum è contra, in regionibus planioribus, & præcipue paulo profundioris, late tamen diffuſi & expanſi, ſitus, ſæpe per plures dies nubilum cœlum, æquali tamen & ſatis tenui obſcuritate, veluti nebula quadam leuiter imbutum & obtectum, per aliquot ſæpe dies ita duret, ſine *pluuia*, aut ad ſummum leviſſima, volaticarum potius, quam ruentium, guttularum adſpergine, ſummam ſuperficiem lapidum tingat, & tamen nullum in Baroſcopio *deſcenſum*, ſed potius haud raro *aſcenſum* poſt ſeſe trahat.

§.XVI. Fuit huius generis conſtitutio apud nos hic *Halis*, diebus 21, 22, 23, 24, *Decembris* anni proxime elapſi 1699. Et diebus 7. 8. 9. 10. 11. menſis *Januarii* præſentis; quibus cunctis diebus, altitudo Mercurii, fuit ab 28. ad 30.

gra-

graduum. Quamuis vniuerſis illis diebus, excepto præcedente 20. *Decembris*, vix unquam vllus radius *Solis* comparuerit: ſed potius, præcipue omnibus enumeratis *Januarii* diebus, ſubtiliſſima *pluuia*, & conſtans ſemper cœli *obnubilatio*, cum aura leuiter ab *occaſu* ad *ſeptentrionem* declinante, e *Meſocori*, aut ad ſummum *Cori* terminis, perſtitiſſet.

§. XVII. Quorſum quidem, *tertio*, ulterius referri meretur, quod nullus propemodum ventus magis repentinos Mercurii *aſcenſus* poſt ſeſe trahat, quam ipſe *Boreas*: cum tamen aërem vix unquam *limpidum* atque nubibus vacuum reddat; ſed tantum dictum modo effectum edere obſeruetur, vt *nubes* ita velut in altum proiiciat, & quaſi *ſuſpendat*: cum contra, venti ex *Orientalibus* plagis profecti, aërem quidem facile efficaciter depurent, tam promptas vero viciſſitudines in Baroſcopii *aſcenſu*, minime machinentur.

§. XIIX. Quibus in genere ita notatis, tranſeo ad paulo ſpecialiora, partim circa *aëris expanſionem* elaſticam, partim *ventorum* eorumque conſectariorum, circa tempeſtatis mutationes, hiſtoriam: partim denique *Barometri* phænomena, tum *communia*, tum *circumſpectius*, iuxta variorum *ventorum* concurſum, obſeruata.

§. XIX. *Primo* omnium, certiſſimum eſſe

ſuppono, quod *elaſtica* aëris mutatio & *expanſio*, longe *citius* fieri atque efformari poſſit, quam vera *coaceruatio* variorum *ponderoſorum* effluuiorum in aërem.

§. XX. Vbi ſimul notandum certe eſt, quod nulla corpuſcula *terrea* aut *ſalina* in aërem euaporent, aut diu in eodem hærere poſſint, niſi ſumme attenuata, & veluti *elaſtica* reddita; aut *elaſtica*, re ipſa, & *actu*, *talia*. Sub quo quidem ſtatu, non *decies millies*, ſed ſæpe vix *decies*, aëreis grauiora eſſe, uno aut altero experimento adumbrari poſſet.

§. XXI. *Secundo*, conſentaneum eſt rationi, quo magis corpuſcula illa *elaſtica*, e ſtatu ſui *minus* tali, in *expanſionem* elaſticam præcipiti quaſi tranſitu ruunt, eo citius contingere inſignem illam, & velocem, aëreæ quoque expanſionis *acceſſionem* atque incrementum.

§. XX. *Tertio*, docet autem Experientia, (*rationi* argumenta ſuppeditare procliue quidem ſatis, ſed nimis prolixum, iam foret) quod corpuſcula *aquea*, non minus ſub ſummo *frigore*, quam magno aëris *calore*, cito & copioſe in aërem diſſipentur, & præcipue e *terreis poroſis* concretis, ad horum *ſiccitatem* usque educantur. Vbi quidem ſumme notanda eſt circumſtantia illa hoc loco *communis*, quæ hanc exhalationem tam ſub frigore, quam æſtu, vnice promouet, adeò, vt citra illam

illam ne quidem medius *æſtiuus calor*, ſole, quin etiam liquido effulgente, humiditatis talem *divaporationem*, niſi longe tardiſſime, perficere valeat.

§. XXIII. At vero, *quarto*, quando *humidæ* particulæ copioſisſimæ, impetu quodam inter ſe *colliduntur*, præcipue e calidioribus locis in *frigidiora*, aut e diffuſiori ſpatio & liberiore, in *arctius* atque denſius contruduntur: coaleſcunt vtique facilius, vt *aggregatione* denuo ſuſcepta, primo quidem in nubes, mox plane in guttas, colligantur.

§. XXIV. Vbi denuo, & apprime quidem, notandum, quod venti quidem *orientales*, magis a ſuperficie terræ veluti *ſurſum* ferri ſive deflectere ſentiantur: *Boreales* vero magis *fluctibus* quaſi quibusdam decumanis, & *globis*, volutari: cum *meridionales* presſius terræ ſuperficiem radant, & communiter ratione impetus omnium *lenisſimi*, & *halituoſi* magis, lenibusque velut *undulationibus*, progrediantur: cum interim *Zephyri* magis æquali, & ſatis fere forti impetu, modo ſuperficiem terræ ſtringant, modo nonnihil ſurſum prouolare videantur.

§. XXV. Quarum quidem rerum ſatis probabiles rationes proferre non adeo difficile arbitramur, ſepoſitis tamen, de quibus etiam hic nullus eſt ſermo, quæſtionibus,

vndenam, & *quamobrem* præcipue hoc vel illo tempore, venti ſuſcitentur.

§. XXVI. His etiam ſpecialius ita ſuppoſitis, ſubiicimus phænomena *Baroſcopii*, ſive *motus* Mercurii in ipſo tubo, quemadmodum illos quanta licuit attentione atque circumſpectione, obſeruare potuimus, partim etiam in vulgus iam innotuerunt. Sunt vero ſequentia.

I. Non *calidiore* aut *frigidiore* tempeſtate, (ad quas bonum Barometrum prope inſenſile eſſe debet) ſed *humidiore* aut *ſicciore* aëris ſtatu, variat *aſcenſus* aut *deſcenſus* Mercurii in tubo.

II. Et quidem *aſcendit* ſiccescente, & ad *ſerenitatem* tendente aëris ſtatu: *deſcendit* vero valde *humido*, & *pluuio* tempore.

III. Si verò *roſcida* magis, *uvida*, *nebuloſa* ſit tempeſtatis conditio, & ſegnis quidam *torpor* aëris humidi, ſine *vento* aut notabili aura coniuncta, *non deſcendit* Mercurius adeo prompte & potenter: neque *aſcendit* inſigniter, quando *ſerenitas* talis cum aëris *pigritie* coniuncta, pluviis ſuccedit.

IV. *Aſcendit* autem & *deſcendit* valde notabiliter, quando mutationes tales humiditatis aut ſiccitatis in aëre; *ventos* comites habent: præcipue tamen *lenius*, ſed ſimul paulo *conſtantius* ſpirantes.

V. Fit

V. Fit tamen hoc præcipue, quando *cardinales* venti, aut ad ſummum *proximi* horum *παραστάται*, conſurgunt: cum reliquorum *intermediorum*, in noſtris vtique regionibus, minus ſtabiles, ſed magis tranſitoriæ, obſerventur mutationes.

VI. Ex his, citisſimam quidem *aſcenſionem* inducit Mercurio, *Septentrio*, & *Aquilo*, ſeu *Boreas* Græcorum.

VII. Eſt tamen hæc ita nata elatio Mercurii, ordinarie minus ſtabilis: cum fere mox *Auſtri*, *Noto-Libyci*, aut *Aphrici* ſuccedant, qui *ſiccitatem* ab ante dictis, communiter non usquequaque *ſerenam*, ſed adhuc ſatis *nubilam*, denuo in *pluuiam* transforment.

VIII. *Aſcendere* Mercurium compellit *Subſolanus* & *Eurus*, & quidem paulo, imo multo, *tardius*, quam ante dicti *Arctoi* venti:

IX. Servant vero longe *conſtantius* ita ſuspenſum, dum ipſos communiter magis firma atque fida *ſerenitas* excipit.

X. *Subſidere* facit Mercurium *Auſter*, idque *citiſſime*:

XI. *Profundiſſime* quoque & *conſtantiſſime*.

XII. Ab *occaſu* directo proficiſcens *Zephyrus*, *tardius* deprimit Mercurium, neque adeo plane *profunde*:

XIII. Neque detinet etiam ita conſtanter, quia veluti fluctuante motu, facile modo

pauxillum rurſus *aſſurgat*, modo *ſubſideat*.

§. XXVII. Hæ ſunt illæ theſes, e quibus *Hypotheſin* ita formamus. Aërem in ſtatu tranquilliore & *ſereno*, particulis *aqueis* tenuiſſimis non modo repletum eſſe, ſed etiam quotidianis exhalationibus magis repleri, docet ſuppoſitio *ſecunda claſſis*, *tertia*, ab experientia;

§. XXVIII. Aquea hæc corpuſcula aëri ita inſinuata, minime nudam ſuam nativam *denſitatem* ſeruant; ſed ſunt reuera *expanſione* tali *elaſtica* affecta, quæ aëris *expanſionem* ſub hoc ſtatu proxime æmuletur.

XXIX. Hoc ipſo augent vtique *preſſionem* aëris *elaſticam*; quæ certe nudæ & ſimplici *grauitati* ſeu *ponderi* eiusdem, non tam æquipollet, quam innumeris gradibus *antecit*.

XXX. Quando vero inſignis portio *aqueorum* horum corpuſculorum, ex hac elaſtica ſui *expanſione*, rurſus in *aggregationem* fluidam, & *arctum* adeo ſpatium coaleſcit, tunc inſigni mole *expanſionis* deſtitutus aër, longe minus vtique *premit tenſione* ſua, corpora fluida alia, & præcipuum huius generis ſpecimen, *Mercurium*.

§. XXXI. Quemadmodum vero nullum forte ſubeſt dubium, quin *elaſtica expanſio* admittat *magis* & *minus*; adeoque etiam *aqueæ* illæ particulæ, quæ aëri valde *frigido* intertextæ

tæ ſunt, longe minore *gradu* expanſionis gaudeant, quam illæ quæ *calidiori* aëri ſociantur: Ita ipſum omnino *aërem*, in locis *frigidioribus*, paruum quoque gradum *extenſionis elaſtica* habere, qui valde augeatur, quando *calori* admouetur, teſtantur abunde *Thermoſcopia.*

§. XXXII. Quando itaque *gelidus*, parum expanſus, ſed potius *conſtrictus*, aër, & aliquo quidem, ſed *leuiſſimo*, *elatere* affectus *humor*, e regionibus *Arctois* ad *meridionalia* Climata deuoluitur, neceſſum vtique eſt, illum non modo valde *expandi*; ſed & eo ipſo illius loci aërem, in quem hic advena irrupit, acceſſione hac longe magis *extendi*, adeoque *preſſionem* illam in alia corpora, & *Mercurium* quoque noſtrum, exſerere vi multiplicata.

§. XXXIII. Ab *ortu Solis* qui terræ noſtræ occurrunt *Venti*, partim magis iam *expanſum* aërem (perpetua ſolis præſentia) aëri noſtro ingerentes, augent huius *tenſionem*: partim globo noſtro *Terreo* obuiam ipſis *volutato*, alliſi, ad acutos magis angulos, e ſuperficie huius mox oblique in *altum* reſiliunt, adeoque halitus *aqueos* craſſiores valde in *ſublime* rapiendo, obiiciunt eos ibidem faciliori & maiori *expanſioni*; Quæ ſimiliter mox in vniuerſam illam aëris regionem redundans, affert *expanſionis* aëreæ incrementum, paulo quidem

ſegnius, ſed alte *ſublatis*, adeoque late *diſſipatis* aqueis halitibus, *durabilius*.

XXXIV. Vbi vtique fas erit adhuc notare, quod *Orientales* venti, tunc demum inſignem aëris & Baroſcopii mutationem inferant, quando ſic ſatis *fortiter*, aut *diu* plane, ſpirant: *Auræ* vero lenioris huius generis, terram quidem *ſiccent*, at valde languide mutent *Barometrum*. *Septentrionales* autem Venti, quo vehementius furunt, eo certius turbant mox tempeſtatem, & aërem noſtrum nimia copia *humiditatis* obruendo, inducunt *pluuias*, ipſiusque noſtri aëris *elaterem*, *frigida* intemperie prægrauando, nihil magnopere augent: *Auræ* vero *Boreales* mediocres, faciunt contrarium, & conciliant potius aëri noſtro *elateris* augendi materiam, vt paulo ante dictum.

§. XXXV. *Meridionales* Venti, offerunt noſtris regionibus halitus illos e *mari mediterraneo*, *aqueos* copioſos: Hi, per inſignem *calorem* valde rarefacti, denſantur prompte in noſtris *frigidioribus* Climatibus; & ipſa nimia copia, cum illis *aqueis* halitibus, qui iam ante in noſtro quoque aëre hærent, mutuo impliciti, *nubes* & *pluuias* promptis ſucceſſibus formant.

XXXVI. *Occidentales* Venti, conueniunt quidem cum modo dictis in eo, quod *aqueos* hali-

halitus, maiore copia ex *Oceano* ad nos congerant; differt vero maxime horum quantitas. Cum enim venti, quos nos *occidentales* appellamus, *cum æquatore paralleli* eſſe debeant; hic vero maris tractus, imenſum quantum parciorem prouentum exhalationum aquearum gignat, propter *frigoris* iam ſatis inſignem gradum: non poteſt vtique hoc intuitu *Auſtrinis* locis æquiparari horum *Oceani* tractuum *atmosphæra*: cum *mediterraneum* mare, ipſo ſitu *calidiore*, exhalationibus copioſis formandis aptum ſit: concurrente vero denique tandem *feruido* aëre, ex ipſius *Æquatoris* vicinia, per arenas Libyæ ad mare hoc exſpirato, tanto maiore omnino copia in *vaporem* reſolvuntur *maris* huius aquæ, & poſthac in loca noſtra *frigidiora* proiectæ, denuo denſatæ *pluuias* præbent.

§.XXXVII. Inde vero eſt, quod quidem *Zephyrus* nunquam tam profunde deprimat *Baroſcopium*, neque adeo intime *humeſcat*, quam *Auſter*. Sed potius *hyeme*, apud nos quidem ſatis raro *pluviarum* notabiliter ferax ſit, neque niſi forte *nubilum* tantum, & mediocriter modo *humidum*, reddat noſtrum aërem. Vnde quidem & longe *languidius*, quam *Auſtri*, inſignem expanſionẽ humiditatis ex aëre ſubducit; neque ratione quantitatis,

tis, vnquam fere tam inſignem *molem* aquæ ſubtrahit, quam quidem *Auſter*.

§. XXXVIII. Exemplar huius rei poteſt nobis ſuppeditare, præſentis adhuc *Januarii* M D C C. conſtitutio; cuius quidem notabiliorum mutationum tabulam exhibeo, in Baroſcopio, quantum poteſt bene aptato, inſtituta obſeruatione.

Die Januarii	5.6	7. grad. 30.	Ventus W N W.
- -	8	29	W z N.
- -	9	28	W.
- -	10	27	W.
- -	11	29	W z N.
- -	12	27	W z S.
- -	13	19	W z S.
- -	14	17	dito.
- -	15	16	dito.
D. Jan.	16.	grad. Baroſc. 22.	Ventus W.
- -	17.	24	dito.
- -	18.	20. 18. 16. 10.	W S W.
- -	19.	8	S. W.

Hic incidit poſt meridiem hor. 2. raptus quidam *Borealis*, cum effuſione grandinoſæ nivis, ad mediam horam durans: ſtatim incepit *aſcendere* Mercurius, vt vix vna hora elapſa grad. 10. attingeret, ſub mediam noctem vero 16. gradus acceſſiſſet:

D. Jan.

D. Jan. 20.	grad.	18.19. 20. Vent.	W.
- - -21.	- -	17 - - - -	W z S.
Diebus 22.23.24.	-	18 - - - -	W & W z S
- - - 25.	- -	17,16. - - -	W z S.
- - - 26.	- -	13. - - - -	W E W.
- - - 27.	- -	18.ad 23. - -	W N W.

Hodierno die 28. attigit grad. 24. ad 25. Cum aura, nunc quidem ab hora pomerid. 1. ad 4. *Hypafrica* ſive Weſt zum Süden: quæ quidem *nivem* leuem demiſit.

Hæc quidem pro confirmatione noſtræ ſententiæ de *Elaſtica aëris & humidi vaporis expanſione varie mutata, cauſa Motus Mercurii in Tubo Barometrico ſeu Torricelliano*, hæc vice in medium proferre placuit, alia occaſione, ſi res poſcere videatur, vlterius confirmanda.

OBSERVATIO XV.

DE HÆRESIBVS EX PHILOSOPHIA ARISTOTELICO-SCHOLASTICA ORTIS.

Σύνοψις.

EX *philoſophia Ariſtotelica nullas ortas eſſe hæreſes nonnulli [illegible]erunt*, §. I. *Quod ſi verum eſſet, poſſent variæ huius rei afferri cauſæ, neglectus ſcilicet philoſophiæ Peripateticæ in veteri Eccleſia*, §. II. *& mox orta Pontifi-*

cum

cum Romanorum tyrannis. §.III. *Contrarium tamen euinci poteſt exemplis: & primo quidem forte Theodotianorum*, §.IV. *deinde Johannis Philoponi, auctoris Tritheitarum*, §.V. *& Themiſtii, auctoris Agnoetarum.* §.VI.VII. VIII.IX. *Arabum philoſophorum, qui Ariſtotelem ſectati ſunt, impietas*, §.X. *Errores Roſcelini*, §.XI. *Abelardi*, §.XII. *qui tamen excuſatur*, §.XIII. *Arnaldi Brixienſis, qui itidem excuſatur*, §.XIV. *Gilberti Porretani*, §.XV. *Almarici*, §.XVI.XVII. *Dauidis de Dinanto* §.XVIII. *ac denique Joachimi Abbatis*, §.XIX.

§.I.

CVm multa alia ad Ariſtotelicæ philoſophiæ commendationem afferri ſoleant, tum hoc maximam illi conciliare laudem nonnulli putant, quod nullæ ex ea ortæ ſint hæreſes. Hoc enim non ſemel ab iis affirmatum memini, qui ad concelebrandam Ariſtotelicæ philoſophiæ præſtantiam, omnes ingenii ſui explicarunt dotes. Id vero cum ſtatim mihi mirum videretur, operæ pretium duxi, paullo accuratius hanc in rem inquirere.

§.II. Et primo quidem, ſi vel maxime res ita ſe haberet, vti iſti homines cenſent, nul-

iam hæreſin ex hac philoſophia ortam eſſe, non tamen id præſtantiæ aut veritati huius philoſophiæ tribuendum eſſet, cum aliæ eius rei facile afferri poſſint cauſæ. Namque in primitiua eccleſia, cum per Romanorum Pontificum tyrannidem ſentiendi, & cogitata ſua proferendi libertas nondum oppreſſa eſſet, plerique, qui ex Chriſtianis, litteris imbuti erant, & philoſophiæ operabantur, Platonis ſequebantur caſtra. Ariſtoteles contra paucos admodum habebat Sectatores, vt adeo mirandum non ſit, paucos quoque extitiſſe, qui eius philoſophia, ad corrumpenda doctrinæ cœleſtis capita, abuterentur. Accedebat, quod Chriſtiani vel ex hoc capite non probarunt Ariſtotelis philoſophandi rationem, quod exiſtimarent, tempus quod ſectæ huius alumnis in ſubtilitatibus & tricis dialecticis, ſine vllo emolumento conſumendum eſt, rectius in erudiendo ad iuſtitiam, temperantiam & pietatem animo, poni. Quorſum ſpectat illud Athenagoræ: *illine, qui ſyllogiſmos reſoluunt, & ambiguitates expediunt, & vocum origines explicant, aut illi, qui æquivoca & Synonyma, & probationes & pronunciata, & quid ſubiectum, & quid prædicatum ſit, explicant, & ſeſe his & huiusmodi documentis diſcipulos ſuos beatos reddituros promittunt, adeo expurgatum habent animum, vt pro odio amorem*

in

in hoſtes, pro maledictis, quod modeſtiſſimum fuerat, in eos, qui prius conuitiari coeperant, benedicta regerant? In Apol. pro Chriſtianis, p. 91.

§. III. Occupauit quidem deinceps cathedras in ſcholis & Academiis, Ariſtoteles, eliminato & eiecto Platone, ſed eodem fere tempore vires & incrementa ſumſit auctoritas Romanorum Præſulum, qua omnes, qui noua proferre dogmata cœperunt, facile oppreſſerunt, quanquam ne hac quidem ratione impedire potuerunt, vt non variis opinionibus nouis, ex Ariſtotelica etiam, vt deinceps demonſtrabitur, philoſophia natis, eccleſia turbaretur. Aſt ſi vel nulla enata tum eſſet ex ea hæreſis, philoſophiæ tamen huius inde nullo modo euinci poſſet, præſtantia, cum mortis ſuppliciorumque crudeliſſimorum, noua promentibus tum deſtinatorum longe maior efficacia eſſe ſoleat, quam cupiditatis, quæ mortales agit, inuenta ſua proferendi in lucem, & cum aliis communicandi. Sed quicquid huius ſit: ego nunc alia ratione demonſtrabo, turpiter ſententiæ, quam impugnamus, patronos falli, euincamque multas easque grauiſſimas hæreſes ex Ariſtotelica philoſophia, fuiſſe prognatas.

§. IV. Poſſem ſane huc reuocare omnes iſtas hæreſes quas ex Dialectices intempeſtiuo ſtudio enatas eſſe, aut robur etiam ac firmamen-

mentum accepiſſe, annalium eccleſiaſticorum conditores nos condocent. Sic de *Theodotianis*, ut nunc alios taceam, Euſebius: *Sacras ſcripturas audacter depravarunt, veteris fidei canonem abrogarunt, Chriſtum ignorarunt, neque quid ſacræ & diuinæ litteræ de illo dicant, conquiſiuerunt, ſed quænam ſyllogiſmi figura ad ſuam impietatem confirmandam reperiretur, ſtudioſe indagarunt. Quodſi quiſquam illis forte aliquod diuini eloquii teſtimonium proferat, quærunt, utrum conjunctam aut diſiunctam ſyllogiſmi figuram posſit efficere.* Sane qui expenderit, facile in eam ingredietur ſententiam, nõ tam Theodotianos, quam Ariſtotelicos aut Scholaſticos de rebus theologicis diſputantes ab Euſebio hic depingi: Sed ad ipſos Theodotianos quod attinet, a Theodoto quodam diuinitatis Chriſti acerrimo impugnatore, qui ſub Victore Romano Epiſcopo, ac Seuero Imp. circa annum a Chriſto paſſo 170. floruiſſe dicitur, eos vel hoc nomine recte huc referri, cenſere quis poſſet, quod Dialecticæ artes Ariſtotelicis ſemper fere propriæ fuerint, per quas Theodotianos hoſce ſibi ipſis maximopere nocuiſſe, teſtatur Euſebius. Quia tamen apertiora luculentioraque nobis præſto ſunt exempla hæreticorum, qui ex Ariſtotelica Philoſophia errorum ſuorum acceperunt occaſionem, non neceſſe eſt, ut utamur ambagibus.

§. V.

§. V. Seculo ſexto vixit *Johannes Grammaticus*, cognomento *Philoponus*, Philoſophus Peripateticus, magnæ celebritatis. Is tum alios grauiſſimos in theologia fouit errores, tum nouæ quoque hæreſeos auctor extitit, cuius aſſeclæ dicti ſunt *Tritheitæ*. Juvat occaſionem hæreſeos ex *Leontio Byzantino* paulo accuratius recenſere, ut inde manifeſtum fiat, Ariſtotelica philoſophia deceptum hunc, præcipitatumque in hunc errorem fuiſſe. Erat *Johannes* iſte Eutychianis addictus, cumque contra orthodoxos diſputaret, eo tandem ab aduerſariis ſuis adductus eſt, vt tres in diuinitate naturas, ſicut tres hypoſtaſes ineſſe aſſereret. Ita enim rationes ſubducebat Philoponus: Si duæ in Chriſto ſunt naturæ, ſequitur duas eſſe in eodem hypoſtaſes. Reſpondebant orthodoxi, non recte ita colligi, cum non idem ſint omnino natura & hypoſtaſis, alioqui tres fore in Diuinitate naturas, quemadmodum tres hypoſtaſes. Sed Philoponus regerebat, omnino ita ſe rem habere, unum idemque eſſe naturam & hypoſtaſin, adeoque & tres naturas in diuinitate eſſe admittendas. Addit porro Leontius, hunc errorem hauſiſſe Philoponum ex philoſophia Ariſtotelis. Docere namque Ariſtotelem, individuorum & particulares eſſe ſubſtantias & unam communem. Hinc & di-

& dixiſſe Philoponum, tres particulares eſſe in Trinitate ſubſtantias & unam communem. Hæc Leontius *lib. de Sectis Art. V.* Addi hac de re ex recentioribus præter multos alios poſſunt *Kortholtus in Hiſtor. Eccleſ. Sec. VI. Sect. II. cap. 11. p. 220. Natalis Alexander H. E. Sec. VI. c. III. artic. III. §. III. Tom. V. pag. 400.* it. *Iurieu in libro, cui titulus: La religion du Latitudinaire, part. II cap. V. §. 215. ſqq.* Plures autem hac in re habuit Sectatores, qui errorem grauiſſimum ſane & ad Ethnicorum πολυθεότητα proxime accedentem longe lateque propagarunt. Inſimulatur præterea idem Philoponus & aliorum errorum, quod ſcilicet negauerit reſurrectionem corporum, &c. de quibus plura addere non attinet, cum ad noſtram ſententiam comprobandam, quæ hactenus attulimus, ſufficiant. Interim vid. *Nicephorus lib. XVIII. H. E. cap. XLVII.* & ex recentioribus *Natalis Alexander*, itemque *Kortholtus ll. cc.*

§. VI. Philopono nec celebritate nec eruditione inferior eſt, qui eodem longe eſt antiquior, *Themiſtius*, inſigne ſcholæ Peripateticæ ornamentum, quem Juliani & Valentis aetate floruiſſe conſtat. Sed idem quoque nouæ hæreſeos conditor extitit, parensque fuit Agnoetarum, quorum multa apud hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores fit mentio. Equidem

ſcio eſſe nonnullos, qui non hunc *Themiſtium Philoſophum*, ſed alium eiusdem nominis eumque iuniorem, *Timothei Epiſcopi Alexandrini* Diaconum, auctorem huius hæreſeos eſſe contendunt. Sed ad illum tamen, Philoſophum Peripateticum, hæreſeos originem refert diſerte Nicephorus Calliſtus. *Themiſtius*, inquit, *Philoſophus ſub Valente primum Agnoëtarum ſectæ præiit. Quæ ſecta tempore quidem ipſo extincta fuit: tum autem ſub Seueritis reuiuiſcens, plebem maxime eſt depaſta. Eam Seuerus Acephalus in apertum rurſus produxit: Sectatores huius non ſolum Agnoëtæ, ſed & Seueritæ dicti fuerunt. Hi dicunt, Deum quidem Verbum omnia noſſe, humanitatem autem ſecundum ſubſiſtentiam ei unitam, multa ignorare.* Et paucis adhuc interiectis, quæ ad dogmata Agnoëtarum ſpectant, pergit: *Itaque cum huiusmodi vocibus primum Arius, & Aëtius, & Eunomius hæreſiarchæ & deinceps alii progreſſi, imperite ſimul & impie prolocuti ſunt, alterius eſſe naturæ Patrem, alterius Filium, & illum quidem principio carentem, hunc autem creaturam, qui tempore principium ſumſerit, minus per omnia Patri æqualem: Id vero per manus acceptum Themiſtius philoſophus, magis etiam confirmauit, ac defendit. H. E. lib. XVIII. cap. 11.* Attuli autem eo libentius ipſa verba Nicephori, vt mens eius eo rectius omnibus innoteſceret.

Nam-

Namque rebus omnibus probe expenſis atque circumſpectis, eum Themiſtio philoſopho originem hæreſeos huius tribuiſſe, vel inde patet, quod ei non ſufficiat ſemel hoc indicaſſe; ſed diſerte hoc repetit, atque ne cui forte dubium ſuboriri poſſit, ſemper addit philoſophum ſe intelligere, & illum quidem, qui ſub Valente vixerit. Quin vt tacite occurrat obiectioni illorum, qui alterum iſtum Themiſtium iuniorem cum philoſopho ab eo commutatum dicere queant, addit, exſpiraſſe poſt Themiſtii obitum hanc hæreſin, & deinde ſub Seueritis iterum fuisſe reſuſcitatam. Nihil poterat hac de re luculentius dici. Et tuentur quoque hanc Nicephori ſententiam plurimi ex recentioribus, quos inter paucos nominaſſe ſufficiat, ſcilicet *Lambertum Danæum* ad *Auguſtinum de Hæreſibus cap. XCIII. p. 254. Joh. Georgium Dorſcheum in Synopſi Theologiæ Zachariane, cap. IX. §. 238.* & *Iuſtum Feurbornium in Diſſert. de Agnoëtismo veteri & recentiori Cap. I. §. 48. Tom. VIII. diſputat. Gieſſenſium, p. 760.*

§. VII. Nihilo ſecius multi quoque diſſentiunt, cumque veteres unanimi conſenſu Themiſtium quendam Agnoëtarum parentem ſtatuant, non Philoſophum illum, ſed Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconum intelligunt. *Nicolaus Sanderus de viſib. Monarch. Ec-*

claſ. lib. VII. p. 377. redarguit Nicephorum, quod *Themiſtium ducem Agnoëtarum fuiſſe ſub Valente Imperatore* affirmauerit, & rectius ait *aſſeruiſſe Liberatum, qui in Breuiario cap. XIX. eum ait fuiſſe Diaconum Alexandrinum. De Agnoetis enim*, addit, *ſub Valente nihil unquam legi.* Huic & *Gretſerus* ſuffragatur in *Defenſ. Bellarmini Tom. II p. 340.* & plures alii, vt ex recentioribus *Natalis Alexander in H. E. ſec. VI. Diſſert. VII. T. V. p. 529.* quos omnes recenſere nimis longum foret. Plane hoc quoque exploratum videtur Iohanni Ionſio: *diſtinguendus*, inquit, *ab hoc* (Philoſopho) *eſt Themiſtius ille καλώνυμος Iunior Secta Agnoëtarum caput, a quo Agnoetæ Themiſtiani juxta Damaſcenum lib. de Hæreſibus ſunt appellati. Vix t hic poſt Concilium Chalcedonenſe, A. C. CDLI. habitum, teſte Photio. Eccl. XXIII. Seuerianus fuit, teſte Photio Eccl. CVIII. Seuerus iſte hæreticus A. C. DXIII. ſub Anaſtaſio Imp. Antiochenam Eccleſiam regebat. Gnauiter itaque errant, quicunque hos Themiſtios confundunt, inter quos numerandi etiam antiqui, Nicephorus H. E. lib. XVIII. c. V. aliique innumeri. De ſcriptoribus Hiſtor. Philoſ. libr. III. c. XVII. p. 269.* Nec tamen hiſce, qui Nicephoro contradicunt, ſtatim annumerandi ſunt, qui Themiſtii philoſophi nulla facta mentione a Themiſtio Alexandrino hæreſeos Agnoëtarum originem arceſſunt, uti *Leontius*

tius Byzantinus in *Action. V. contra Sectas*, *Liberatus Diaconus Carthaginienſis in Breuiario Cauſæ Neſtor. & Eutychianæ cap. xix. Gregorius Magnus in Regiſtro lib. VII. indict. III. ep. XLII. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus* in *Ep. ad Sextam Synod. quæ extat Tom. II. Concil. edit. Crab.* & ipſe quoque *Damaſcenus de Hæreſibus. p. 558.* aliique tum veterum, tum recentiorum. Si enim res ita ſe habet, vti docet Nicephorus, poſt Themiſtii Senioris obitum errorem iſtum extinctum atque intermortuum eſſe, maiori autem ſtrepitu a Themiſtio Iuniori reſuſcitatum iterum & longe lateq; propagatum, cauſam vtique habuerunt, vt ad Iuniorem Themiſtium potius, quam Seniorem hæreſeos huius originem referrent, quo ipſo tamen non ſtatim negarunt, ante hunc quendam extitiſſe, qui eodem errore fuerit infectus.

§. VIII. Videamus, num rationes illis ſuppetant, qui Nicephoro adhibere fidem detrectant. *Gretſerus* in *defenſione Bellarmini loco ſupra citato*, *Themiſtius*, inquit, *Ethnicus fuit*, *quomodo igitur hæreticus*, *aut Hæreſiarcha.* Sed fruſtra & illud, & nulla addita ratione, affirmatur. Etenim quo minus eum fuiſſe ethnicum, mihi perſuadere queam, multa obſtant. Magnis eum ſubinde laudibus efferunt Patres Eccleſiæque Doctores, quod an facturi

M 4 fuiſ-

fuiſſent, ſi fuiſſet Ethnicus, neſcio. Scripſit ad eum epiſtolam *Gregorius Nazianzenus*, in qua ita de eo loquitur: *Spartiatas ut lancea, ut Pelopidas humerus, ita magnum Themiſtium erudita prodit facundia:* & rurſus: *Sapientiae ac eloquentiæ ſtudia nunc periclitantur, quæ tu contra noſtri temporis iniurias vendicas, quia in utroque genere coryphæus haberis.* Mitto cetera eiusdem commatis quæ afferri poſſent. Novum autem argumentum pro Chriſtianiſmo Themiſtii ſuppeditat *Euſebius.* Refert namque, cum Valens Imperator valde offenderetur variis Chriſtianorum Sectis, opinionumque diuerſitate, & inde in eorum odium raperetur, Themiſtium, vt placaret Imperatoris animum, & ad mitiora conſilia flecteret, compoſuiſſe librum de *variis iisque contrariis Philoſophorum opinionibus*, eo demonſtraturus, mirum non eſſe, diſſentire in multis capitibus Chriſtianos, cum longe maior ſit Philoſophorum ſuper ſuis ſententiis controuerſia & rixa. Digna Euſebii verba ſunt, quæ legantur, & expendantur: extant autem *lib. IV. H. E. c. XXXII.* Nec obſtat, quod iam Libanii Sophiſtæ & Iuliani Imperatoris tempore floruerit: quid enim inde? Nonne & eo tempore alii viri eruditi inter Chriſtianos floruerunt? Quin, cum philoſophos in pretio habuerit Iulianus,

potuit

potuit præ ceteris Chriſtianis, quos odio acerrimo proſequebatur, fauere Themiſtio, magis forte in lectione Ariſtotelis, quam Scripturæ S. verſato. Unde & rationem reddere liceat, quod pauca, aut forte nulla Chriſtianiſmi veſtigia in ſcriptis Themiſtii occurrant. Sane ſi gentilibus ſtatim annumerandi eſſent, in quorum ſcriptis nulla Chriſtianismi veſtigia deprehēduntur, plurimi ſane recentiorum philoſophorum, ex orbe Chriſtiano eſſent proſcribendi. Forte tamen & illorum non contemnenda eſt plane coniectura, qui Themiſtium initio gentilium ſuperſtitioni addictum, ad Chriſtianorum poſtea tranſiiſſe caſtra opinantur. vid. *Dorſcheus l. c.*

§. IX. Vnicum tamen adhuc ſupereſt, & id quidem maioris momenti dubium, quod, ſcilicet, ipſius Nicephori tanta non ſit auctoritas, vt ea ſtandum atque cadendum ſit. Nota ſunt eruditorum de hoc ſcriptore iudicia, viderique præter multos alios fidem atque iudicium in Nicephoro requirentes, poterit *Guilielmus Caue in Scriptorum Eccleſiaſticorum hiſtoria litteraria ad A. 1333.* Sed tamen illud quoque ſcio, nonnullis peculiarē cauſam eſſe, cur infenſi ſint Nicephoro. Græcæ namque Eccleſiæ opiniones contra Romanenſes acriter defendit. Præterea ſi

in quibusdam errauit, non ſtatim ſequitur, ergo errauit in omnibus. Potuit hæc, quæ de Themiſtio philoſopho refert, ex eiuſmodi haurire monumentis, quæ hodie non amplius extant. Si quis autem contendit, eum erraſſe, eius eſt, luculentis hoc demonſtrare rationibus.

§. X. Cum litterarum artiumque bonarum ſtudia in Græcia pariter ac Italia ob gentium barbararum incurſiones proſtrata iacerent, Arabes exceperunt philoſophiam hoſpitio, & cumprimis Ariſtoteli inter philoſophos, primum detulerunt locum. Sed Mahumedanam ſimul ſuperſtitionem admiſcuerunt philoſophiæ Peripateticæ; vnde quid tandem præclare in religione ab hiſce philoſophis expectandum ſit, quiuis facile conjectura aſſequi poterit. *Auerrois doctrina*, inquit Ludouicus Viues, *& Metaphyſica Auicennæ, omnia denique illa Arabica m hi videntur reſipere deliramenta Alcorani. Lib. V. de cauſis Corrup. Art.* Et de Auerroe *Philippus Mornæus: Ariſtoteles vulgo habetur parum religioſus: Auerroës vero eius interpres impius plane*, de *Verit. Rel. Chriſt. c. XX.* Idem Eraſmo *vir impius & auctor execrabilis* vocatur, *epiſt. L. X. ep. XXIX.* Atque ab hiſce denique magiſtris ad ſcholaſticos propagata eſt doctrina Peripatetica: quam dum religi-

religionis Chriſtianæ ſcitis admiſcuerunt, qualis inde illorum & philoſophia & theologia euaſerit, quiuis facile coniectura aſſequi poterit.

§. XI. Et eſt ſane theologia iſta ſcholaſticorum tota quanta quanta eſt, corrupta & erroribus infinitis referta, vti iam alii ex inſtituto comprobarunt. Idque inde potiſſimum ortum eſſe, quod Ariſtotelicam philoſophiam diuinarum litterarum ſtudio iungerent, in confeſſo eſt apud multos. Nihiloſecius vti iſtud, quod probandum ſuſcepimus, eò fiat manifeſtius, iuuabit eiusmodi errorũ ac hæreſium exempla in principibus ſcholaſticorum notare, quæ ab illis quoque, qui ſcholaſticorum filii & ſucceſſores ſunt, non ſolent defendi aut excuſari. Tritheiſmo occaſionem præbuiſſe philoſophiam Ariſtotelis, ſupra in Johanne Philopono demonſtrauimus. Sed idem niſi me omnia fallunt, fuit error *Roſcelini*, Scholaſticorum parentis auctorisque præcipui: docuit namque *in Deo tres perſonas eſſe tres res ab inuicem ſeparatas, ſicut ſunt tres angeli: ita tamen ut una ſit voluntas & poteſtas: aut Patrem & Spiritum S. eſſe incarnatum: & tres deos vere poſſe dici, ſi vſus admitteret.* Damnatus fuit hic *Roſcelini* error in Concilio Sueſſionenſi, Anno Chriſti milleſimo nonageſi-

nageſimo ſecundo, diciturque eum coram hocce concilio eiuraſſe. Sunt tamen qui autumant, ad priorem poſtea eum rediiſſe ſententiam, denuoque eam defendendam ſuſcepiſſe. Diſputauit eo tempore contra *Roſcelinum* præcipue *Anſelmus*, cuius hodienum hac de re extant epiſtolæ, *trigeſima quinta*, ſcilicet, & *quadrageſima prima libri II.* Et in priori quidem Roſcelinum ita aggreditur, vt concludat, aut neceſſario illi tres admittendos eſſe Deos, aut ſententiam eius ita explicandam eſſe, vt a recepta opinione non diſcedat, quod fieri commode nequeat, aut denique ipſum Roſcelinum neſcire quid dicat. Quæ ſi accurate expendantur, facile eo aliquem adducunt, vt intelligat, quid de tota hacce lite ſit ſentiendum. Nimirum vt Philoponus, ita Roſcelinus quoque philoſophia Ariſtotelis deceptus, in Tritheiſmum lapſus eſt. Aſt cum aperte ſuam ſententiam profiteri non auderet, tribus iſtis diuinis ſubſtantiis vnam tamen voluntatem, & vnam poteſtatem tribuit. Eoque ipſo merito aduerſariis ſuis talia proloqui viſus eſt, quæ ſecum conſiſtere non poſſent. Refutauit quoque Roſcelinum *Theobaldus Stampenſis in epiſtola ad ipſum ſcripta*, quæ extat in *Dacherii Spicilegio Tom. III. p. 142.* add. *Iuo Carnotenſis epiſtola XXVII.*

XXVII, & *Petrus Abalardus, epiſtola XXI. ad Epiſcopum Pariſienſem.*

§. XII. Roſcelini diſcipulus, ſed magiſtro neutiquam conſentiens fuit *Petrus Abalardus*, quem vt hæreticis plurimi annumerant, ita eius quoque exemplo, noſtra confirmari ſententia poſſet, ſi horum ſtandum eſſet placitis. Ingentem errorum ab eo admiſſorum catalogum texunt e ueteribus *Bernhardus ep. CXC. ad Innocentium I. Guilielmus Abbas S. Theodorici in diſputatione aduerſus ipſum Abælardum, & Anonymus quidam in diſputatione aduerſus eundem tribus libris comprehenſa*: ex quibus eos repetunt recentiores interque plures alios *Lud. Elias du Pin in Bibliotheca ſcriptorum Eccleſiaſticorum, Tom. IX. c. VII.* & *Natalis Alexander in Diſſert. VII, ad Sec. XI. & XII. Artic. V.* Dura ſane eſt ſententia Bernhardi, qua Abælardum de Trinitate vt Arium, de gratia vt Pelagium, de perſona Chriſti vt Neſtorium docuiſſe, contendit in *ep. CXCII.* Præcipue de Trinitate non recte exiſtimaſſe creditur, cum dixiſſe perhibetur: *vt eadem oratio eſt propoſitio, aſſumtio & concluſio, ita eadem eſſentia eſt Pater, Filius & Spiritus S.* Quo ipſo ad Sabellianiſmum accedere proxime exiſtimatus eſt. Obiectum quoque illi fuit, quod ſtatuerit Patrem eſſe plenam potentiam, Filium quan-

quandam potentiam, Spiritum S. nullam potentiam, item Spiritum S. non eſſe de ſubſtantia Patris, porro Spiritum S. eſſe animam mundi, Chriſtum non aſſumſiſſe carnem, vt nos a iugo Diaboli liberaret, & quæ ſunt alia id genus. Nec a priuatis tantum, hi aliique errores obiecti Abælardo fuerunt, ſed in duobus quoque Conciliis *Sveſſionenſi A.M.C.XXXVI.* & *Senonenſi A. M. C. XL.* condemnatus, hæreſeosque adeo nota illi inuſta fuit.

§. XIII. Sed quemadmodum edita Apologia contra Synodi Senonenſis decretum ſtrenue ſe defendit, demonſtrauitque ſententias eiusmodi ab aduerſariis ſuis ſibi obtrudi, quas nunquam pro ſuis agnouerit, ita non defuerunt ex recentioribus, qui patrocinium eius ſuſciperent, innocentiamque demonſtrarent: id quod ex recentioribus etiam fecerunt *Lud. Elias du Pin* & *Nat. Alexander. ll. cc.* Et certe patet, verba ex ſcriptis eius depromta, ab aduerſariis eius in ſequiorem ſenſum, maximam partem, detorta eſſe, ut elicerent inde errores, quos illi imputabant. Sic nunquam docuit Abælardus, quod filius Dei tantum ſit ſemipotentia, Spiritus autem S. plane non ſit omnipotens: quin contrarium diſerte profeſſus eſt, tres perſonas eadem omnipotentia

tia æqualiter præditas eſſe: quamuis potentia Patri ſpeciatim attribuatur, ſicut ſapientia Filio, & bonitas Spiritui S. Quam Abælardi mentem eſſe, patet ex *introductione ad Theologiam lib. I. p. 989.* Sed mittimus cetera, & id ſaltem addimus, jam ab *Ottone Friſingenſi* inconſultum & intempeſtiuum *Bernhardi* zelum notatum eſſe, quo abreptus fuerit ad condemnandum Abælardum, & hæreſeos notam illi inurendam. Digna ſunt hiſtorici verba, quæ hic legantur: *Erat autem Abbas* (Bernhardus) *tam ex Chriſtianæ religionis feruore Zelotypus, quam ex habitudinali manſvetudine quodammodo credulus, vt & magiſtros, qui humanis rationibus, ſeculari ſapientia confiſi nimium inhærebant, abhorreret: & ſi quicquam ei Chriſtianæ fidei abſonum de talibus diceretur, facile aurem præberet.* Recte in Bernhardo & nimium zelum, & nimiam credulitatem notat. Poſſem autem plura pro innocentia Abælardi hic afferre in medium, niſi conſtitutum nobis eſſet, alibi ex inſtituto Abælardi cauſam agere. Interim illud certum eſt, ſi errauit Abælardus, ex abuſu philoſophiæ Ariſtotelicæ errauit. Et ſane ſi vel maxime ſententia eius ab errore liberetur, formulæ tamen loquendi non æque omnes excuſari poſſunt: quorſum & ſimilitudines quædam, quibus in my-

myſterio Trinitatis adumbrando vſus eſt, pertinent. Sed addendum vnicum adhuc eſt, quod obſeruare noſtra magnopere intereſt. Occaſionem errandi illi præbuit quoque *Roſcelinus*, quem oppugnabat. Dum ergo euitare *Tritheiſmum* voluit, prope ad *Sabellianiſmum* acceſſit. Ecce ergo fructus Ariſtotelicæ philoſophiæ. Per eam dum nonnulli ad *tritheiſmum* ducuntur, contingit, vt qui eos oppugnant, ad *Sabellianiſmum* accedant, certe Sabellianiſmi ſuſpicionem vix euitare queant. Vterque autem error forte declinari poſſet, ſi cautius Ariſtotelica & ſcholaſtica philoſophia in rebus diuinis vteremur. Sed de Abælardo ſatis.

§. XIV. Diſcipulus & ſectator Abælardi fuiſſe dicitur *Arnaldus Brixienſis*, quem itidem hæreſiarchis huius ſeculi annumerare ſolent annales Eccleſiaſtici. Acerrimum is hoſtem expertus eſt *Bernhardum*, æque ac Abælardus ipſe. Et is quidem auctor eſt, Arnaldum hunc omnes Abælardi errores approbaſſe: *Exſecratus quippe*, inquit, *a Petro Apoſtolo, adhæſerat Petro Abelardo, cuius omnes errores, ab eccleſia iam deprehenſos atque damnatos, cum illo etiam & ſine illo defendere acriter & pertinaciter conabatur. Ep. CXCV.* Sed dubito, an fides hic habenda ſit Bernhardo. Non nego amicum Abælardi fuiſſe

Ar-

Arnaldum, ſed ideo non ſtatim omnes eius opiniones approbauit. Præterea cum ab obiecto hæreſeos crimine jam purgatus ſit Abælardus, hoc ipſo etiam vindicata eſt innocentia Arnaldi. Plerique autem ſcriptorum veterum innuunt, non aliam ob cauſam hæreſeos damnatum fuiſſe Arnaldum, quam quod ambitionem Romanorum Pontificum ceterorumque Epiſcoporum perſtringeret. Hoc inter alios nos docet Otto Friſingenſis. Is enim eius hæreſin ita deſcribit: *Dicebat, nec clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec monachos poſſesſiones habentes, aliqua ratione poſſe ſaluari, cunctaque hæc Principis eſſe, ab eiusque beneficentia in uſum tantum Laicorum cedere oportere, de rebus geſtis Friderici Imp. Lib. II. c. XX.* Addit quidem idem Otto, eum *de ſacramento altaris & baptiſmo parvulorum non recte ſenſiſſe*, ſed hos aliosque errores illi ab aduerſariis eius affictos fuiſſe, nemo dubitauerit, cui indoles horum temporum cognita fuerit atque perſpecta. add. *Guntherus*, quem vulgo, ſed perperam *Ligurinum* vocant, *p. 322. & ſqq.* edit. *Juſti Reuberi.*

§. XV. Eadem ætas tulit quoque *Gilbertum Porretanum*, Epiſcopum Pictauienſem, Philoſophum acutiſſimum, qui, ut Otto Friſingenſis loquitur, ex ingenii *ſubtilis magnitudine ac rationum acumine, multa præter communem*

N *ho-*

hominum morem dicere ſolitus eſt, de geſtis Friderici I. Lib. I. c. XLVI. Unde patet, errores eius, ſi quos habuit, ex philoſophia, cui addictus fuit, ſcilicet Ariſtotelico-Scholaſtica fluxiſſe. Atque conſtat idem ex ipſis erroribus, qui illi obiecti fuerunt, quos idem Otto Friſingenſis commemorat, ſcilicet quod aſſeruerit, diuinam eſſentiam non eſſe Deum, quod proprietates Perſonarum non eſſent ipſæ Perſonæ, quod theologicæ perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione, quod divina natura non eſſet incarnata &c. Ecce termini iſti philoſophici *eſſentia, natura, perſona*, hic utramque faciebant paginam. Præcipuum tamen eius errorem hunc fuiſſe nonnulli contendunt, quod divinitatem Deique proprietates, tum abſolutas, tum relatiuas, Deum non eſſe docuerit, ſed diuinitatem eſſe formam, qua Deus eſt, magnitudinem qua magnus eſt, bonitatem, qua bonus, paternitatem, qua pater: vid. *Nat. Alexander in H. E. Sec. XI. & XII. Cap. IV. artic. IX.* Refellit hanc *Gilberti* ſententiam *Bernhardus, Serm. LXXX. in Cantic. Recedant*, inquit ibi inter alia, *a nobis, chariſſimi, recedant nouelli, non Dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem qua magnus eſt Deus, & bonitatem, qua bonus, ſed & ſapientiam, qua ſapiens, & juſtitiam, qua juſtus, poſtremo diuinitatem qua Deus eſt, Deum non eſſe impi*[illegible]-

ſpu-

ſputant. Diuinitate, inquiunt, Deus eſt, ſed diuinitas non eſt Deus. &c. Obſeruat autem probe *Otto Friſingenſis*, multa de Deo ſubtiliter ita diſputaſſe Gilbertum, vt eius ſententia ad errorem Sabellii prope accedere videretur, *lib. I. de geſt. Frider. Cap. LVI.* Unde confirmatur, quod antea obſeruauimus, Ariſtotelicos Philoſophos, ſua placita myſterio Trinitatis admiſcentes, aut ad *tritheiſmum* aut ad *Sabellianiſmum* deflexiſſe, & hos quidem plerumque craſſis eorum cogitationibus, qui *tritheiſmo* fauere videbantur, offenſos, ad alterum extremum excurriſſe. Sed quicquid hujus ſit, erraſſe Gilbertum certum eſt, certum quoque ex philoſophia Ariſtotelico-Scholaſtica errorem eius fluxiſſe. Cauſa autem eius diſceptata primum fuit in *Synodo Pariſienſi A. 1147.* In qua cum aduerſariorum argumentis urgeretur, dixiſſe traditur: *Audacter confiteor, Patrem alio eſſe Patrem, alio Deum, nec tamen eſſe hoc & hoc.* In eadem Synodo tres diuinitatis perſonas, *tria ſingularia* vocaſſe perhibetur. Quam ſuam aſſertionem explicaturus, addidit, per *ſingularia* non *perſonas theologicas*, ſed *ipſarum excellentiam* ſe intellexiſſe. Cum itaque lis iſta in hoc concilio componi non poſſet, Eugenius III. Pontifex, usque ad generalem ſynodum *Rhemis* celebrandam, illam differendam eſſe judica-

 uit.

uit. Coacta itaque *Synodus Rhemenſis* fuit, *A. 1148.* in qua licet nonnulli Cardinales a partibus Gilberti ſtarent, auctoritate tamen maxime *Bernhardi* condemnatus eſt. Et ipſe quoque Gilbertus ſua ſponte errores ſuos eiurauit, id quod, præter alios, docet *Gaufredus, Monachus Claraevallenſis*, cuius verba *Natali* quoque *Alexandro l. c.* allegata, digna ſunt quæ hic legantur: *Interrogatus Epiſcopus Pictauienſis, capitulis ſingulis libere renunciauit, hæc eadem verba locutus: ſi vos aliter creditis & ego, ſi aliter ſcribitis, & ego, ſi aliter dicitis, & ego.* Unde ſeruile hominis ingenium Pontificis auctoritati plane ſe ſubmittentis intelligere licet. Mirumque adeo non eſt, quod longe mitius habitus ſit, quam ceteri, quos vocant, hæretici, qui mores & vitia Epiſcoporum perſtringebant. Ad imperium enim ſacrum ſtabiliendum, intererat Pontificis, coërcere acriter eos qui contra iſtam tyrannidem inſurgerent, ceteri quantumvis abſurda & impia docerent, tolerari poterant, modo auctoritati Romanæ ſedis ſe ſubmitterent. Vid. quoque *Lud. Elias du Pin* in *Noua Bibliotheca ſcriptorum Eccleſiaſticorum Tom. IX. c. VIII.* Prolixe quoque de erroribus Gilberti diſputat Petauius dogmatum Theolog. *Lib. I. c. VIII.* & *Lib. II. c. VII.* quem tamen miror docuiſſe, quod ex Bernhardo potius, quam

quam ex Ottone Friſingenſi ſententia Gilberti haurienda ſit,quod hic partibus eius fauere videretur ; cum tamen non uno documento conſtet, Bernhardum aduerſariis ſuis aut errores affingere, aut ſi quæ forte perperam ab iis dicta ſunt, mirifice omnia exaggerare, ut eo majori deinceps omnium applauſu, contra illos declamare poſſit.

§. XVI. Seculo decimo tertio poſt Chriſtum Natum,prodiit *Almaricus* philoſophus, idemque nouorum dogmatum in theologia inuentor, ſi annalibus eccleſiaſticis credimꝰ, quibꝰ eccleſiã turbauit. Qui, cum *in arte Logica* verbis Rigordi ſcriptoris coævi hæc ediſſerere placet, *peritus eſſet, & ſcholas de arte illa & de aliis artibus liberalibus diu rexiſſet, tranſtulit ſe ad ſacram paginam excolendam. Semper tamen ſuum per ſe modum docendi & diſcendi habuit, & opinionem priuatam, & iudicium quaſi ſectum, & ab aliis ſeparatum*; ad *A. 1209.* Cauſas certe nouæ hæreſeos non male indicauit Rigordus, eas ex Logica & Ariſtotelis philoſophia repetens. Hanc enim intelligit per reliquas artes liberales , cum ea ſola tum in ſcholis & academiis regnaret. Sed demonſtrabitur hoc in ſequentibus uberius. Ad errores eius quod attinet, ſequentes præcipui ſunt, qui vulgo afferuntur, quod aſſeruerit poteſtatem Patris duraſſe, quamdiu viguerit lex Moſaica : legem nouam a Chriſto condi-

tam ad ſua usque tempora vim habuiſſe, ipſam deinceps cum omnibus ſuis ſacramentis antiquatam & regnum Sancti Spiritus incepiſſe, quo baptiſmus, confeſſio & euchariſtia, & alia ſacramenta & ſalutis adminicula neceſſaria non eſſent, ſed ſola gratia interim Spiritus S. absque ullis externis operibus unumquemque ſaluari poſſe. Dicitur porro negaſſe reſurrectionem mortuorum, paradiſum quoque atque infernum, eo quod jam paradiſum in ſe haberet, qui vera cognitione Dei eſſet præditus; qui vero peccatis delectaretur, eum infernum ſecum circumgeſtare. Sed multi alii commemorantur Almarici hujus errores, interque eos nonnulli tam abſurdi, ut eiusmodi opiniones vix in ſanæ mentis hominem cadere poſſe videantur. vid. *Cæſarius Heiſterbacenſis, lib. V. Dialog. c. XXII. 2. Centuriatores Magdeburg. Cent. XIII. cap. V.* Condemnatus eſt, hæreſeosque nota illi inuſta in Concilio Lateranenſi ab Innocentio III. *A. 1215.* congregato. Cæterum dubitat *B. Kortholtus*, utrum Almarico viro docto & litteris probe imbuto jure adſcribantur tam abſurda dogmata, quæ ipſa Synodus Lateranenſis non tam hæretica quam delira iudicauerit. *Hiſt. Eccl. Sec. XIII. Sect. I. cap. II. §. V.* Cui lubens equidem ſuffragor. Sed tamen hoc ſimul obſeruari velim,

lim, ab erroribus ipſius Almarici diſcernendos eſſe errores & placita ſectatorum eius. Habuit enim plurimos ſectatores, maximam partē plebeios quidem, ſed nonnullos ferui-di ingenii homines, qui opinionibus a magiſtro hauſtis monſtroſas quasdam addebant. Facile ergo fieri potuit, vt errores ſectatorum eius ipſi Almarico imputarentur. Deinde lubens quoq; concedo, idē & Almaricum expertum eſſe fatum, quod multi alii, ut varii illi affecti ſint errores, aut quæ certe ab eo dicta ſunt, in prauum detorta ſint ſenſum. Nihilo-ſecius hæc omnia non ſufficiunt ad eum ab omnibus erroribus liberandum. Id certum, judicatum fuiſſe ea ætate, qua vixit, eum ex Ariſtotelis philoſophia hæreſin ſuam hauſiſſe. Namque juſſu & auctoritate concilii Pariſienſis, quod damnauit Almaricum, flammis quoq; traditi ſunt libri Ariſtotelis. Qua de re juvat audire Rigordū: *In diebus illis legebantur Pariſiis libelli quidam ab Ariſtotele, vt dicebantur compoſiti, qui docebant Metaphyſicam, delati de novo a Conſtantinopoli, & a Græco in Latinū translati. Qui quoniam nō tantum prædictæ hæreſi, ſententiis ſubtilibus, occaſionem præbebant, imo & aliis nondum inuentis præbere poterant, juſſi ſunt omnes comburi: & ſub pœna excommunicationis cautum eſt, ne quis de cetero eos ſcribere, legere præſumeret, vel quocunque modo habere.* l. c. Recitat

quoque hoc Rigordi teſtimonium *Natalis Alexander*, qui addit, juxta *Robertum Antiſſiodorenſem* monachum, & Cæſarium Heiſterbacenſem libros naturales ſiue Phyſicam Ariſtotelis ex Academia Pariſienſi eliminatas, vel potius eorum lectionem ad triennium ſuſpenſam fuiſſe, confirmaſſeque hoc *Gregorium IX. Pontificem* in Bulla ad magiſtros & ſcholares Pariſienſes data A. C. 1233. Cumque auctores varient, aliis phyſicam, aliis metaphyſicam Ariſtotelis in Synodo iſta Pariſienſi damnatam aſſerentibus, Alexandro veriſimillimum videtur, utramque damnatam fuiſſe, maxime cum Legatus Apoſtolicus, qui *A. 1218.* id eſt annis ſex poſt iſtam ſynodum Pariſienſem Academiam reformauit, metaphyſicæ & phyſicæ lectioni ſimul interdixerit: *non legantur libri Ariſtotelis de metaphyſica & philoſophia naturali. Hiſt. Eccl. Tom. VII. cap. III. Artic. II. p. 76.* Accuratius ſine dubio hæc omnia ediſſeruit *Launoius*, in libro de varia fortuna Ariſtotelis. Sed hic non ad manus eſt, ut eum conſulere queam.

§. XVII. Sed diſcutiendum tamen nobis hic eſt dubium, quod hac de re alicui ſuboriri poſſit, priusquam ab Almarico diſcedamus. Videntur namque errores ejus ſupra indicati, ita comparati, ut quo pacto ex philoſophia Ariſtotelica, aut ejus abuſu oriri potuerint, in-

intelligi nullo modo queat: cum contra errorum a Jo. Philopono, Themiſtio ceteriſq; hactenus enumeratis commiſſorum, cum philoſophia Ariſtotelica connexio, omnibus paulo accuratius hæc conſiderantibus, pateat. Aſt licet prima fronte hæc ita ſe habere videantur, facile tamen, qui paulo accuratius hæc conſiderant, in Almarici quoque placitis connexionem quandam cum hypotheſibus philoſophiæ Ariſtotelicæ deprehendent. Quod ut demonſtrem, obſeruandum præcipuum errorem ceterorumque fere fontem eum fuiſſe, quem Almaricus cautius quidem propoſuit, ſed diſcipulus eius *Dauid de Dinanto* apertius profeſſus eſt, *Deum eſſe materiam primam.* Certe Almarico idem perſuaſum fuiſſe, conſtat ex Gerſone, qui hæc eius dogmata refert: *omnia ſunt Deus; Deus eſt omnia. Creator & creatura idem. Ideæ creant & creantur. Deus ideo dicitur finis omnium, quod omnia reuerſura ſint in ipſum, ut in Deo immutabiliter conquieſcant, & vnum indiuiduum atque incommutabile permanebunt. Et ſicut alterius naturæ non eſt Abraham, alterius Iſaac, ſed vnius atque eiusdem. Sic dixit omnia eſſe vnum, & omnia eſſe Deum. Dixit enim Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum.* Hæc de Almarico *Gerſon. tract. de concord. metaphyſ. cum Log. part. IV. ex Hoſtienſi &*

Odone Tuſculano allegante *B. Jacobo Thomaſio de Exuſtione mundi Stoica diſſertat. XIV. §. XCIX.* Erudite quoque obſeruat idem *Thomaſius*, Almaricum aſſerendo Deum eſſe finem omnium, & quod omnia reuerſura ſint in ipſum, ut in Deo immutabiliter conquieſcant & vnum indiuiduum atque incommutabile permaneant, idem ſibi voluiſſe, ac *Dauidem de Diuanto*, qui docuit, Deum eſſe materiam primam. Almaricum quoque dogmatis inſolentiam reueritum, temperaſſe ſibi a vocabulo *materiæ*, & pro materia *finem* dixiſſe. Nouerat vtique veriſſime Deum vniuerſi huius finem appellari, hoc eſt, *cauſam finalem*. Sed ſenſum vocis innoxiæ detorſit, ideo *finem* omnium haberi Deum aſſerens, quod in eum ſint omnia, tanquam in indiuiduum incommutabile reuerſura. v. *B. Jac. Thomaſius, l.c. §. CXV. CXVI.* Ita ergo cum de Deo diſſereret Almaricus, mirum non eſt, quod etiam reſurrectionem negauerit mortuorum, paradiſum quoque atque infernum. Si enim omnia, ipſaque adeo anima tandem in eſſentiam diuinam abſorbentur, & in eam commutantur, neceſſe eſt, ut ſimul homines pereant: qui ergo reſurgerent, aut in infernum aut paradiſum transferri poſſent? Atque fuit ſane, inter præcipuos Almarici errores, reſurrectionis, inferni, & paradiſi abnegatio, ut ſupra notauimus.

mus. Vid. B. *Jac. Thomaſius in ſchediaſm. Hiſtor. §. LII. lit. d. p. 59.* Atque hæc ita quidem ſe habent. Sed nouum tamen ſimul hinc exurgit dubium, an error iſte fundamentalis Almarici, quod Deus ſit materia prima, Ariſtotelicæ philoſophiæ natales ſuos debeat? Certe de materia prima multus apud Peripateticos ſermo eſt: potuitque Almaricus, cum meditationibus ſuis hoc argumentum ex ſcholæ Ariſtotelicæ conſuetudine pertractaret, occaſionem hinc accipere, in iſtos errores ſe præcipitandi. Deinde ſupra quoque demonſtrauimus, Concilii Pariſienſis patres ita iudicaſſe, quod ex Ariſtotele ſua depromſerit. Nihiloſecius, ne quid disſimulem, ſunt adhuc quædam, quæ huic ſententiæ opponi poſſunt. Præſertim vero illud, quod obſeruante *Hoſtienſi*, Almaricus errores ſuos libro cuiusdam *Johannis Scoti* debeat, illius ſcilicet, qui alias *Erigena* dicitur, & ſeculo nono vixit, myſticæque theologiæ ex *Dionyſio Areopagita* hauſtæ, propagator audit. Jam autem Dionyſium iſtum quisquis fuerit, ex Platonis riuis ſua irrigaſſe arua conſtat, Scotumque Erigenam eius veſtigiis inſiſtentem, Platonicis potius quam Ariſtotelicis annumerandum eſſe, inde conſequitur. Ex hoc itaque ſi Almaricus ſua hauſit, Platonis potius, quam Ariſtotelis philoſophiæ huncce erro-

rem

rem ſuum debuit. v. d. *Jacobus Thomaſius de Exuſt. mundi Stoica, diſſ. XIII.* §. *CII.* Accedit, quod philoſophia quoq; Platonis propius ad ſententiam Almarici iam relatam accedere, videatur, quam philoſophia Ariſtotelis. Equidem Ariſtoteles Deum vinculo neceſſario & indiſſolubili, ſed vt formam aſſiſtentem, materiæ adiungit: Plato autem maiorem illi concedit libertatem. Sed dum Plato ex ſubſtantia diuina naturas ſpirituales eduxit, quin & corporeas, iuxta *Leonem Hebræum Dial. III. de amore*, exemplum præiuit Almarico ſimile quid de omnibus creaturis ſentandi, & Deum pro materia prima venditandi. *Vid. Jac. Thomaſ. l. c.* Quæ ſane rationes tanti apud me ſunt, vt fere dubitem, num defendi ſententia concilii Pariſienſis poſſit, Ariſtotelem errandi anſam Almarico præbuiſſe. Niſi forte & alios adhuc errores indigitauerint, quos ex Ariſtotele hauſerit, ſicut illum de materia prima a Platone accepit.

§. XVIII. Almarici diſcipulum fuiſſe *Dauidem de Dinanto*, ex dictis iam conſtat, ſimulque quid de eius ſententia, qua ſtatuit, Deum eſſe materiam primam exiſtimandum ſit, nemini obſcurum eſſe poteſt. Libros eius in eadem ſynodo Pariſienſi, quæ Almaricum hæreticis annumerauit, condemnatos & in perpetuum prohibitos eſſe,

ex

ex *Cæſario Heiſterbacenſi* refert *Natalis Alexander, in H. E. Sec. XIII. artic. II. p. 76.* Eum ex Ariſtotelicæ & ſcholaſticæ philoſophiæ ſubtilitatibus ſuum errorem hauſiſſe, innuere videntur haud obſcure *Thomas de Aquino lib. I. contra Gentiles, Cap. XVII. p. 309. & Pererius lib. V. Phyſ. cap. XII.* quos allegat *B. Jac. Thomaſius, l. c. §. CXXV.* Ex hiſce namque, vti & ex illis, quæ idem Thomaſius ex *Alberto Magno I. Phyſ. Tract. III. cap. XIII.* refert, facile intelligitur *Dauidem Dinantium*, cum videret ab Ariſtotele & Scholaſticis materiæ primæ ſimplicitatem & alia attributa aſſignari, quæ tantum Deo competerent; in eam ingreſſum eſſe ſententiam, materiam primam nihil aliud eſſe, quam ipſum Deum. Quæ cum valde ſint veroſimilia, facile me adducerent ad credendum, Ariſtotelicorum de materia prima placita huic errori cauſam præbuiſſe, niſi iam antea obſeruatum eſſet, Dinantium hunc Almarici fuiſſe diſcipulum, hunc autem forte ex Platonis potius, quam Ariſtotelis ſchola ſua accepiſſe. Putat itaque *Jacobus Thomaſius*, Dinantiū corradendo prædicata Deo materiæque primæ communia, qualemcunque colorem cauſæ cadau[illegible] κατ' ἄνθρωπον qu[illegible], [illegible] ὁδὸς fuiſſe abneg[illegible] creaturis p[illegible],

quam

quam ingenioſiſſimis, inquit, gentilium pater mendacii perſuaſerat. *l. c. §. CXXIX.* Interim cum unius rei plures poſſint eſſe cauſæ, non errauerimus forte, ſi dixerimus, ad utriusque, tum Almarici, tum Dinantii errorem ſi non progignendum, ſaltem confirmandum plurimum contuliſſe philoſophiam Ariſtotelico Scholaſticam.

§. XIX. Eodem ſeculo, quo Dinantius vixit, floruit quoque *Ioachimus Abbas*, qui etſi ipſe ſcholaſticæ philoſophiae, vt nonnulli referunt, non admodum peritus fuit, per aliorum tamen, maxime *Petri Lombardi* metaphyſicas & philoſophicas de Trinitatis myſterio diſputationes in errorem conjectus eſt, qui aut ad *tritheiſmum* aut *Arianiſmum* proxime accedere videtur. Effato namque hocce Petri Lombardi: *nec Pater diuinam eſſentiam genuit, nec diuina eſſentia genuit Filium, nec diuina eſſentia genuit eſſentiam*; offenſus docuit, in diuinis non eſſe aliquam rem unam, quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus S. ſiue illa res una dicatur ſubſtantia, ſiue eſſentia, ſiue natura. Concedebat quidem hanc propoſitionem: *Tres perſonæ ſunt una eſſentia*, ſed intelligebat eam de unitate collectiua, ſicut multi homines unus populus, & multi fideles una eccleſia dicuntur. vid. *Matth. Pariſ. ad A. 1179. Nat. Alex-*

an-

ander l. c. art. III. p. 77. Sed filum hic abrumpere inſtituti noſtri ratio iubet. Poſſem ceteroquin, tùm de hoc *Joachimo*, tum de *Petro Lombardo*, *Scoto*, ceteriſque doctoribus Scholaſticis, præſertim autem de recentioribus quibusdam Peripateticis, qui pro genuinis Ariſtotelis alumnis habentur, demonſtrare, eos grauiſſimos quandoque errores ex Peripateticæ philoſophiæ ad res ſacras applicatione ortas, propalaſſe. Interim ſi diſſentientibus hæc non ſufficiant, ea proferre in lucem paratus ſum, & proferam quoque aliquando.

OBSERVATIO XVI.

DEFENSIO CABBALÆ EBRÆORVM CONTRA AUCTORES QVOSDAM MODERNOS.

Σύνοψις.

Librorum Cabbaliſticorum, præſertim libri Zohar antiquitatem fruſtra in dubium vocari oſtenditur, §. I. *Quæ Burnetus generatim contra decem Sephiroth objicit, recenſentur,* §. II. *ad ea reſpondetur.* §. III. *Burneti obiectiones contra enumerationem primam* §. IV. *Eæ diluuntur,* §. V. *Quo pacto, quæ Cabbaliſtæ de prima enumeratione docent, Deo Patri conueniant, oſtenditur,* §. VI. *Concluſio Bur-*

Burneti de prima enumeratione refellitur, §. VII. *Sententia Auctoris, qui Spinoſismum cabbaliſtis obiicit, recenſetur*, §. IIX. *Illi Cabbalam veterem a Cabbala recentiori diſtingvendam fuiſſe, demonſtratur.* §. IX. X. *Dubium aliquod, quod hic oriri poſſet, diluitur*, §. XI. *per Adam Kadmon Cabbaliſtas ipſum Deum intelligere, probatur*, §. XII. *Quo ſenſu Cabbaliſtæ Adam Kadmon vocent ipſum mundum*, §. XIII. *Quo ſenſu idem ab illis dicatur creatura*, §. XIV. *Quo ſenſu Deus & mundus ab illis unum idemque dicatur*, §. XV. *Dictum aliquod R. Iriræ explicatur*, §. XVI. *Quo ſenſu Cabbaliſtæ doceant, hunc mundum a Deo eſſe per emanationem*, §. XVII. *Locus quidam ex libro Druſchim Auctori opponitur*, §. XVIII. *An ſententia Auctoris aliquid conferat ad conuerſionem Iudaeorum?* §. XIX.

§. I.

DOctrinam quam *Cabbaliſtæ* profitentur, non hodie demum aut nudius tertius ab iis fuiſſe excogitatam, ſed eam antiquisſimis temporibus in gente Ebræa fuiſſe uſitatam, apud omnes qui harum rerum periti ſunt, poſitum eſt extra dubium. Nec video, quid obiici fere poſſit, niſi quis forte librorum Cabbaliſticorum *antiquitatem* ſolicitet. Sed ſi vel maxime

xime hi tam antiqui non eſſent, ac vulgo creduntur, doctrinæ hoc non obeſſet antiquitati, quæ orali traditione ad librorum horum auctores potuiſſet propagari. Deinde & ab aliis jam probatum eſt, fruſtra horum antiquitatem in dubium vocari. Certe quae a *Joh. Buxtorfio in libro de Abbreviaturis*, voce רשבי contra antiquitatem libri זוהר afferuntur, nullius plane ſunt momenti. Fabuloſa ſunt, inquit, quæ in tractatu *Talmudico de Sabbatho cap. II. de R. Schimeone* libri huius auctore referuntur. Sed quid tum? eſto, fabuloſa ſint, quod & ego credo, exinde tamē non ſequitur, eum ſeculo primo poſt C. N. non vixiſſe, aut non eſſe auctorem libri Sohar. Sed pergit, & ideo hoc incredibile dicit, quod poſt mille demum annos & amplius, innoteſcere primū liber iſte cœperit. Aſt cur hoc incredibile ſit, non video. Cur non poſſet liber per mille & amplius deliteſcere annos, & tum demum in lucem protrahi? Sed quis unquam probauit delituiſſe tam diu librum Sohar. Potuit apud Judæos in oriente viuentes, ſaltem eos, qui doctrinæ Cabbaliſticæ pretium aliquod ſtatuerunt, notus eſſe, licet ignotus eſſet ceteris, aut Chriſtianis in Europa degentibus. Provocat porro ad auctorem libri *Iuchaſin R. Abraham Zachut*, R. Schimeoni librum hunc abiudicantem. Sed

O hu-

huius tanti apud nos non eſt auctoritas, vt eius ſtandum nobis ſit decreto. In rebus criticis etiam non auctoritatibus, ſed rationibus, aut teſtimoniis, ſi de facto lis ſit, fide dignis pugnandum eſt. Interim hoc pro nobis militat, quod ipſe *R. Abraham Zacuth* agnoſcat, *R. Schimeonem* non quidem quoad compoſitionem, ſed tamen quoad ſummam doctrinæ libri huius eſſe auctorem. Fateor ſcripta quædam Ebræa pſeudonyma eſſe, & nomina illorum, ad antiquitatis opinionem ſibi conciliandam, præ ſe ferre, a quibus minime ſunt compoſita: namque id quoque obiicitur. Sed noſtræ hoc non obeſt ſententiæ. Probandum enim fuiſſet rationibus, hiſce ſcriptis librum Sohar quoque eſſe annumerandum. Denique nec illud a noſtra nos dimouere ſententia poteſt, quod nec *R. Moſche bar Nachman*, nec *R. Aſcher* librum Sohar cognouerint: cum tamen *R. Aſcher* mortuus ſit A. 1248, teſte auctore *libri Juchaſin*. Etenim fatemur libenter, librum iſtum olim paucis fuiſſe cognitum, ab omnibus autem, qui doctrinæ cabbaliſticæ arcanis non fuerunt imbuti, plane neglectum. Qui ergo mirum, *Nachmanidi* atque *Aſchero* eum fuiſſe ignotum? Forte accuratius in antiquitatem libri huius inquirit *Julius Bartoloccius de Celleno* in magna ſua Bibliotheca Rabbinica: Sed hic

hic non ad manus eſt, vt conſuli nunc a nobis queat.

§. II. Ceterum non immerito quis mirabitur, quid induxerit doctiſſimum virum *Thomam Burnetum*, vt tam abiecte de hac Ebræorum doctrina ſentiret, eamque ſaltem in tantum laudaret, in quantum cum eius, quã adſtruendam ſibi ſumſit, hypotheſi conuenire illi viſa fuit. Et primo quidem obſcurum plane atque incertum eſſe putat, quid decem Cabbaliſtarum Sephiroth ſibi velint. *Prima enim*, inquit, *facie nihil præ ſe ferunt ſingulare aut eximium. Visne vt hæc ſint totidem rerum claſſes & ſumma genera, quas vulgo appellant categorias? ſed nimis recens eſt illa doctrina, neque ad hæc capita reuocari poſſunt rerum omnium cognitarum ordines & multitudo. Visne Platonicam Triadem, vel etiam Chriſtianam hic occultari? Sed non reſpondet numerus, neque illud dogma recipiunt Judaei. Vis denique alias naturas diuinas & numero plures hic intelligi? vel diuinas & humanas, ſimplices & compoſitas, ſuperiores & inferiores? Fac tantum, vt innoteſcat vis cujusque Sephiroth clare & diſtincte. &c.*

§. III. Sed ad hæc quid reſpondendum ſit, ex dictis unicuique facile conſtabit. Summam, ſcilicet, totius theologiæ Ebrææ decem iſtæ numerationes, ſiue Sephiroth, exhibent: & in iſta ſimul diuinam *Triadem*, quã

ab ipſis Ebræis Chriſtiani acceperunt. Et reſpondet ſane numerus, ſi ſupremas tres numerationes de diuinis perſonis, reliquas de attributis diuinis, quorum in œconomia regni diuini vis maxime conſpicitur, interpretemur, quemadmodum eas interpretandas eſſe docuimus. Faceſſat ergo illud: *non reſpondet numerus.* Aſt quod Burnetus addit, Iudæos iſtam Chriſtianorum Triadem non admittere: id ſi de modernis capiatur, facile concedo, ſin de veteribus, nego. His namque Trinitatis myſterium cognitum fuiſſe, ab aliis iam probatum eſt tam luculenter, vt quicquam hac de re addere, plane ſupervacaneum fuerit.

§. IV. Sed pergit *Burnetus*, & poſtquam iterum de decem Sephiroth generatim dixit, Iudæos tam confuſe & obſcure de iis loqui, vt non facile quid ſibi velint, quisquam perſpicere queat, quod interpretum tamen, præſertim recentiorum, non ipſius doctrinæ Cabbaliſticæ vitium eſt, ad ſingulas enumerationes, ſiue Sephiroth, deſcendit, & exemplo primæ ſiue τῆ *Kether* oſtendere annititur ἄτοπα eſſe, quæ Iudæi hic profiteantur, & pro magnis myſteriis venditent. Verba itaque ex lexico *Zohar*, & expoſitore tabulæ Sephirothicæ affert, quibus putat nihil omnino lucis primæ huic enumerationi intelli-

gen-

gendæ afferri. Tum ſubiungit varia cognomina, & ſubalternas notiones eiusdem Sephiroth, quas hic quoque apponere placet, cum de iis deinceps aliquid dicendum ſit. Sunt itaque cognomina & ſubordinata primæ enumerationis, ſequentia: 1. *Lux* : *nam* אין סוף *infinitum,& אור lux, numeris æqui pollent*: 2. *cauſa cauſarum*, 3. *color niger*, 4. *lorum phylacterii capitis dextrum*, 5. *Eieh*, 6. *fons ſine fundo*, 7. *miſericordiarum pater*, 8. *Aleph magnũ*, 9. *timor Domini*, 10. *lux in acceſſibilis*, 11. *dies æternitatis*, 12. *priuatio*, 13. *Mens*, 14. *tredecim oracula miſericordiæ*, 15. *hic, ille*, 16. *Nihil*, 17. *Oriens* 18 *Caput album*. His enumeratis ſubiungit Burnetus: *En octodecim notas & characteres primi Sephiroth ad illuſtrandam ipſius naturam & virtutes. Ego vero ingenue fateor, per haec additamenta aut appendices, me nihil plus ſcire aut ſapere.*

§. V. Aſt pace tua dixerim, mi *Burnete*, nihil hic aſſeri, quod non commodum ſenſum admittat, maximumque myſterium ita declaret, ut omnes eius doctrinæ peritos ſumma erga diuinum Numen veneratione repleat. Scio iam alios doctiſſimos viros, præſertim *Henricum Morum* id demonſtraſſe affatim: ſed eos quidem nunc conſulere non lubet, ne aliorum ſaltem repetere inuenta videamur. Dabo ergo explicationem, quæ mihi

in mentem venerit, vt intelligat *Burnetus*, non adeo magno ingenio opus eſſe ad ſenſum ſub hocce cortice latentem, eruendum. Recte & eleganter Deum *lucem* vocari manifeſtum eſt, fitque id præeunte ſcriptura ſacra, quippe quæ loquendi rationes in gente Ebræa tam vſitatas, nunquam fere non ſequitur. Recte etiam, ni fallor, vocatur *cauſa cauſarũ*. Atq; poterat hæc denominatio Cabbaliſtas a Spinoſismo illis obiecto liberare [de quo tamẽ deinceps ex inſtituto.] Namque qui Spinozæ diſciplinam ſequuntur, vti Deum quem vocant, cauſam immediatam omnium effectuum naturalium faciunt, ita non alias, quam Deum, ſeu naturam, agnoſcunt cauſam, quemadmodum vice verſa, qui Deum pro cauſa im̃ediata omnium effectuum venditant, non poſſunt non hoc ipſo ad Spinoſismum accedere. Cabbaliſticæ autem doctrinæ alumni, hoc ipſo, dum Deum cauſam cauſarum appellant, *ſecundas quoque cauſas* admittunt, longeque ab illis recedunt, qui eas cum Spinoſiſtis admittere nolunt. Sed vocatur porro Deus *color niger*, qui caliginis & tenebrarum ſymbolum eſt, ſimulque figura aptiſſima, Deum prout ante rerum a ſe conditarum productionem fuit, repræſentans. Quemadmodum enim Deus per res creatas ſe cognoſcendum præbet (inaſpecta-

bilia

bilia quippe Dei per opera eius perſpiciuntur, [*Rom.I. 20.*] ita ſi res creatas tollas, vel non ſimul conſideres, neceſſe eſt, vt intellectus veluti in abyſſum profundiſſimam immergatur, ibidemque velut abſorbeatur. Nec ſecum pugnant, quod Deus mox *lux*, mox *color niger*, vocetur, diuerſo namque conſiderandi modo ſpectari poteſt, & qui in ſe lux fulgentisſima eſt, ratione noſtræ cognitionis *color niger* recte appellari poteſt, ſi ſeorſim absque rebus a ſe conditis ſpectetur. Ridicula forte nonnullis videbitur, quæ ſequitur denominatio, qua corona, hoc eſt, Deus Pater audit: *lorum Phylacterii capitis dextrum*, ſed qui ſecum expenderit, quantum pretium *phylacteriis ſuis* ſtatuerint Ebræi, is non mirabitur, hæc quoque ſymbolum ad deſignandam primam Trinitatis perſonam illis præbuiſſe. Erant autem apud eos phylacteria duplicis generis, alia vocabant תפילין של ראש, *phylacteria capitis*, *vel frontalia*, alia תפלין של יד *phylacteria manus ſiue manualia*. Priora intelliguntur: quæ cum per *lorum* capiti alligare conſueuerint Iudæi, *dextram lori partem*, ſeu *lorum dextrum* iterum in ἐξοχῆς & præeminentiæ cuiusdam ſymbolum recte conuertunt. Adeoque vt paucis dicam, quod res eſt, *ſummitatem*, *excellentiam*, *ordinisque prioritatem* hac figura, ſiue hoc

ſym-

ſymbolo exprimere voluerunt Iudæi. Quinta denominatio Ehieh rurſ9 ex ipſa ſcriptura ſacra deſumta eſt, & nulla difficultate laborat. Sexta qua Deus *fons ſine fundo* audit,ad imenſitatem & infinitatẽ tum eſſentiæ, tum omniũ perfectionum deſignandam, comparata eſt. Amoris magnitudinem indicat denominatio ſepima: *Miſericordiarum Pater*, quæ rurſus diuinæ Scripturæ oraculis egregie reſpondet. conf. *Luc.I.78.* Octaua hoc innuit, quod Deus ſit *principium omnium rerum*, dum dicitur: *Aleph magnum*: quemadmodum *Apocalypſ.I.8.* Chriſtus quoque dicitur, *α & ω. Timor Domini* vocatur denominatione nona, ad potentiam æque ac juſtitiam Dei deſignandam, namque per effectum interdum adumbrari ac repræſentari cauſam, non eſt adeo infrequens. Porro *lux inacceſſibilis* vocatur in denominatione decima, itidem ea loquendi ratione,quam & Scriptura S. comprobat. *Dies* vero *æternitatis* dum audit in denominatione vndecima, ipſam *æternitatem Numinis* indigitari, vel me non monente, quilibet intelligit. Sequitur ergo duodecima denominatio: *Priuatio*, a qua non multum recedit decima ſexta: *Nihil*: vtraque prima fronte inepta, certe Deo parum digna videtur: ſed niſi me omnia fallunt,vtraque hominem ſuæ imbecillitatis admonet, & in

pro-

profundiſſimam diuinæ perfectionis admirationem coniicit. Hoc enim ſibi volunt Ebræi, tam ſupra mentis finitæ vim captumque poſitam eſſe Numinis diuini eſſentiam, tam ſublimem eam eſſe & incomprehenſibilem, vt ſi a creaturis, in quibus cognoſcendam ſe atque intelligendam præbet, cogitationes abducas, confundantur & euaneſcant veluti noſtræ cogitationes, plane ac ſi circa *nihil* aut *priuationem* occuparentur. Quo ſublimior enim diuina eſt eſſentia, quo magis ab omnibus hominum cogitationibus remota, eo minus cognoſci & finitæ mentis ambitu comprehendi poteſt. *Mens* cur audiat in denominatione decima tertia itidem patet: ſapientia enim & omniſcientia Numinis indigitatur; quemadmodum rurſus *theſauri miſericordiæ* expendendi hominibus proponuntur per *tredecim oracula miſericordiæ*, ſiue denominationem decimam quartam. *Hic ille*, in denominatione decima quinta, ſubſtantiæ ſingularis ſunt documenta: Deum autem modo eminentiſſimo pro *ſubſtantia ſingulari* habendum eſſe, conſtans eſt omnium & Philoſophorum & Theologorum ſententia. *Oriens* vocatur denominatione decima ſeptima, quia ſicut oriens lucis ac ſplendoris eſt initium, ita Deus quoque initium eſt omnium bonorum, luciſque

tum corporeæ, tum ſpiritualis. Hæc denominatio transfertur ad Meſſiam *Luc. I. 78.* vbi vocatur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *oriens ex alto.* Vltimo denique loco dicitur *caput album*, quod ſane *antiquo dierum*, hoc eſt, Deo Patri tribuitur, *Dan. VII, 9.* licet ad Meſſiam quoque hoc transferatur Apocal. I. 14. *eius autem caput & crines erant albi, vt alba lana & nix. Caput* interim eminentiæ & dignitatis, *albedo* puritatis, ſanctitatisque præbet argumentum.

§. VI. Et ita quidem demonſtrauimus, commode hæc agnomina de Deo generatim & quoad eſſentiam ſpectato explicari poſſe, vt nihil abſonum aut a ratione, vel Scriptura Sacra alienum Cabbaliſticæ doctrinæ interpretes hic aſſeruiſſe, inde palam ſit. Sed addendum nunc porro eſt, cum prima iſta *Sephirah* ſiue numeratio, *Corona* dicta, primam Trinitatis perſonam, ſiue Patrem, denotet, omnia hæc cognomina hactenus enumerata peculiari quoque quadam ratione de Deo Patre eſſe intelligenda. Conſtat namque ex Chriſtianorum quoue diſciplina, opera quæ vocari ſolent *ad extra*, omnibus quidem SS. Trinitatis perſonis eſſe communia, ſed cum vna præ reliquis in hoc aut alio opere ſe manifeſtauerit, fieri inde vt opus aliquod vni, per *appropriationem*, vt barbare in ſcholis theologicis loqui ſolent, tribu-

buatur. Atque idem de iſtis cognominibus *cabbaliſticis* eſt obſeruandum. Hæc ita comparata ſunt, vt tacite opus creationis reſpiciant, quod comprobari facile poſſet, niſi vnicuique vel leuiter hæc conſideranti hoc ſtatim pateret. In opere autem creationis, cum itidem, ex Chriſtianorum quoque diſciplina, Deus Pater ſe maxime manifeſtauerit, cauſa patet, cur & hæc cognomina præcipua quadam ratione, de *prima Trinitatis perſona*, ſiue τῷ כתר ſint intelligenda.

§. VII. Vellem itaque clariſſimo viro, quocum nobis nunc res eſt, hæc non excidiſſe: *hoc certe ſcio rem quampiam* (per hæc cognomina primæ numerationis) *male definiri, aut explicari per metaphoras, allegorias, aliasque locutiones figuratas, multo magis per rationes ſibi inuicem oppoſitas & repugnantes. Aiunt autem, vt vides, hoc primum Sephiroth eſſe album, nigrum, lucem, priuationem, nihil. Ecquisnam hinc inſtructior eſt a doctrina primi Sephiroth? aut certior factus, quid negat, quid affirmat, quid in ſe continet? vera ſint, an falſa, quæ nos docet aut docere videtur.* Vellem, inquam, hæc vt *Burneto* non excidiſſent. Per Metaphoras enim & allegorias ſummum myſterium non *male*, ſed ſatis *apte* definiri vidimus: nec vllas hic rationes oppoſitas aut repugnantes obſeruauimus, demonſtràui-

uimusque, vnam eandemque rem, ſed diuerſa ratione conſideratam, lucem, priuationem, colorem nigrum, caput album dici poſſe. Iam quæ idem Burnetus de ſecunda enumeratione diſputat, diluere eadem ratione in procliui eſſet, ſed nolo his immorari diutius, cum vnusquisque vel leuiter hiſce litteris tinctus, omnia commode explicare queat. Et ita ſua ſponte corruunt, quæ vir doctisſimus tam operoſe contra Cabbalam diſputat.

§. VIII. Grauius adhuc eſt *Spinoſismi* vel *Atheiſmi* crimen, quod non ita pridem Vir doctus Cabbalæ Ebræorum obiicere auſus eſt. Miratus ſum, fateor, illis iſtud obiici potuiſſe, qui de nulla alia re frequentius, quam de Deo rebusque diuinis verba faciunt. Rem autem omnem accuratius expendendo, deprehendi hoc fatum omnibus fere myſticæ & theoſophicæ philoſophiæ cultoribus ſubeundum fuiſſe, vt duo maxime contraria ſecumque pugnantia vitia, *enthuſiaſmus* & *Atheiſmus* illis obiicerentur. Quo iure, alibi forte exquiretur. Nunc a Caballiſtica doctrina illud amoliri noſtrarum partium eſt, eo quod plane perſuaſus ſum, veram Cabbalam cum *Spinoſismo* nihil commune habere. Tota autem demonſtratio, qua Auctor utitur, huc ni fallor, redit. Quod

Adam

Adam Kadmon hoc eſt creatura prima, vel potius complexus huiꝰ vniuerſi ſecundum Cabbaliſtarum ſententiam, a Deo non ſit diuerſus, ſed potius ipſe Deus, adeo ut mundus hic ſit ipſe Deus, quatenus viſibilis & aſpectabilis eſt, quæ ſit ſumma *ſpinoſiſmi*.

§. IX. Aſt varia ad hanc accuſationem pro Iudaeis reſponderi poſſunt. Namque primo nondum probauit Auctor, hanc eſſe ſententiam *veteris Cabbalæ*. Auctores ex quibus prolixe admodum hoc deducit, ſunt *R. Iizchach Loria* & R. *Irira*, vterq; recentior. Et ad illum quidem quod attinet, iam *Henricus Morus* in *Epiſtola ad Compilatorem Quæſtionibus in Tractatum libri Druſchim præmiſſa*, iudicauit, eum talia tradere quæ a vera & antiqua cabbala plane diſſentiant. *Equidem nunquam*, inquit, de hoc Auctore verba faciens, *adduci poſſum, vt credam iſtiusmodi commenta veros eſſe antiquæ cabbalæ theſauros. Rationes in iſtis annotatis ſubindicaui: Ita ſane Auctor philoſophatur, ac ſi Sephiroth numerationes non eſſent, ſed Spheroth ſiue Spharoth, id eſt Sphæræ. Pæneq; orbes Ariſtotelicos cum ſuis intelligentiis, pro antiq. Cabbalæ myſteriis reponere videtur.* Henrico Moro ſuffragatur Cabbalæ denudatæ Auctor doctiſſimꝰ *in Amica reſponſione ad conſiderationes & quæſtiones in Tractatum I. libri Druſchim: Duorum*

orum, inquit, *ſunt generum Iudæorum magiſtri, qui quoque periodis ac locorum varietate nec non ſtudiorum gradibus ſatis inuicem diſcreti. Nam qui vaſtationi vrbis fuere propiores, quique in terra ſancta ſuas habuere Scholas, & ad Cabbaliſticorum dogmatum culmen aſcendunt, puriores ſunt & a pollutionis Græcanicæ ſuſpicione liberiores. Poſtquam autem Saracenorum tempore, Ariſtotelis philoſophia Arabica lingua tradi cœpta eſt, Iudæorum quidam ejusdem linguæ periti, & inter eos quam maxime R. Moſes Maimonides, hæc amplexi ſunt ſtudia.* Equidem in ſequentibus idem Auctor, dum ad rationes Henrici Mori reſpondet, docet, hypotheſes circulorum iam in Zohar inueniri, qui liber cum conſcriptus ſit iis temporibus, cũ in Iudæa ſcholæ Iudaicæ adhuc eſſent celeberrimæ concludit inde ab Ariſtotele aut alio quodam gentilium philoſopho eos eiusmodi quid non accepiſſe, quin nec accipere potuiſſe, cum Iudæi maximopere eo tempore a pagana philoſophia abhorruerint, adeo ut ea ne cognita quidem apud illos fuerit, nedum admiſſa *Conſiderat, III in C. II. p. 91.* Sed regerit ad hæc *Henricus Morus*, perperam ab Auctore hæc omnia ſupponi, cum ſchola Iudaica etiam *Antiochi* temporibus philoſophia Ariſtotelica corrumpi potuerit. Idque inter alia exinde quoque probat, quod in *Sepher Ie-*

Iezirah, qui liber tamen omnium antiquiſſimus apud Iudæos reputetur, hypotheſis Ariſtotelica plane ſupponatur: *in vlteriori diſquiſitione de rebus in amica reſponſione contentis p.203.* Quæ omnia euincunt ſatis virum iſtum doctiſſimum, quocum nobis res eſt, perperam illud pro dogmate Cabbalæ Iudaicæ ſtatim venditare, quod ex *R. Izchac Loria R. Abraham Cohen Irira* ſimilibusque recentioribus Cabbaliſtis hauſit, ſeduloque hic ſemper diſtinguendum eſſe inter Cabbalam veterem ſiue puram, & Cabbalam recentiorem ſiue impuram.

§. X. Equidem docet ipſe Auctor *Hinckelmannum* in *detectione fundamenti Bohmiani* itidem inter Cabbalam *veterem* & *recentiorem* diſtinguere,& recte porro addit, Iudæis hinc nullum accedere præſidium, quippe qui hoc diſcrimen non agnoſcant, modernamque Cabbalam pro vera & genuina venditent,ſed dum ſimul hoc approbat,ſaltem approbare videtur, omnino rationes aſſerti tam audacis addere, atque probare debuiſſet, inter modernam & veterem Cabbalam nullum omnino intercedere diſcrimen. Sane ſi agnoſcit Auctor hoc diſcrimen, addere quoque hoc debuiſſet, & ſedulo monere,recentiorem non veterem Cabbalam in *ſpinoſiſmi* ſuſpicionem ſe adducere: ſi non agno-
ſcit

ſcit, in maximas ſe præcipitat difficultates, ex quibus quo pacto ſe expedire queat, non video. Demonſtrauimus enim alibi Chriſtum ipſum atque Apoſtolos Cabbalam Ebræam ſubinde ſecutos eſſe, adeoque eam tacite approbaſſe. Si ergo vetus Cabbala ad Spinoſiſmum ducit, vel potius ipſe Spinoſiſmus eſt, neceſſe eſt, vt concedat, Chriſtum atque Apoſtolos Spinoſismum ipſum quoque approbaſſe.

§. XI. Sed occurrit hic dubium, quod ne quemquam offendat, paucis ſubmonendum eſt. Poſſet enim facile aliquis in eam ingredi ſententiam, cum fateamur antiquisſimos libros Cabbaliſticos non puram, ſed corruptam Cabbalam exhibere, fruſtra omnino in Cabbaliſtica doctrina inveſtigandi omnem operam collocari, adeoque ſatius eſſe, ſi quis hoc labore ſuperſedeat. Aſt reſpondemus, in libris Cabbaliſticis mala intermixta eſſe bonis. Occurrunt etiam in recentiorum Iudæorum ſcriptis multa veræ Cabbalæ veſtigia, occurrunt quoque multa commenta, multique errores. Sed ob errores quosdam admixtos non ſtatim abiicienda aut damnanda eſt ipſa veritas. Quin potius veritatis cultor indefeſſus hoc ſibi datum credit, ut praua a bonis, vera a falſis diſcernat, & veræ Cabbalæ veſtigia vbique in-

inquirat, & detegat. Quod felici ſucceſſu illi demum ſuſcipiunt, qui Cabbaliſtarum placita cum veſtigiis huius doctrinæ in Scriptura S. & monumentis veterum philoſophorum occurrentibus diligenter contendunt. Quam viam qui non ingrediuntur, illi vix errores ac præcipitia euitabunt. Sed de his hactenus.

§.XII. Conſideranda nunc *ſecundo* eſt ipſa doctrina de *Adam Kadmon*, ex qua Auctor præcipue Cabbaliſtas *Atheiſmi* arguit. Et poſſent ſane hac de re multa afferri, ſi nobis liceret eſſe prolixis. Sed paucis rem conficiam. Quæ Auctor hac de re tradit, arguunt, eum exiſtimare, Iudæos per *Adam Kadmon Deum* & *creaturas* intelligere, in quo fallitur. Namque Iudæi nihil aliud, quam ipſum Deum per *Adam Kadmon* intelligunt. An autem ſpeciatim intelligant *ſecundam perſonam Trinitatis*, quæ eſt ſententia *Henrici Mori*, in *Quæſtionibus in Tractat. I. libri Draſchin, in cap. I. p. 63.* non diſquiram. Nec noſtra id magnopere refert. Quod autem Deus ipſe hac voce deſignetur, diſerte quoque docetur in *Lexico Cabbaliſtico, voce* אדם קדמן *p. 28*, vbi hoc legitur Rabbi Simeonis ben Iechai effatum in Tickunim: *Nulla datur Sephirah, quæ non vocatur Adam: ſed Adam ſupremus omnium eſt corona ſumma: huic nomen eſt Adam*

P Kad-

Kadmon, homo anterior, vocaturque קדמן *anterior, ſiue prior, quia eſt ante totam Aziluth, eaque prior.* Quorum verborum ſenſus hic eſt, quod quodlibet attributum diuinum ſub forma hominis exhibeatur, ſed & ipſe Deus, qui cum ſit, omnium attributorum diuinorum omniumque operationum diuinarum fons & ſcaturigo, vocetur ideo *Adam Kadmon.* Quod autem non abſurdum ſit, imo veteribus etiã Chriſtianis receptum, Deum reſque diuinas ſub forma hominis exhibere, docet *Auctor Cabbalæ denudatæ in amica reſponſione, Conſiderat. II. in Cap. I. p. 83.*

§. XIII. Iam cum conſtet, quid *Adam Kadmon* ſit ſcilicet ipſe Deus, quæritur an idem *Adam Kadmon* etiam ſit *creatura*, ſiue *mundus?* Ad quod vt rite reſpondeatur, repetendum eſt ex ſupra dictis, quæ de quatuor mundis Cabbaliſticis, *Aziluthico, Briathico, Ieziratbico* & *Aſiathico* diximus, per *Aziluthicum* ſcilicet ipſam claſſem attributorum & operationum diuinarum intelligi, per reliquas tres, ceteras res creatas. Proinde ſi quæſtio ſit de mundo *Aziluthico*, manifeſtum eſt, recte dici, quod mundus ille ſit ipſe Deus, ſaltem non aliter a Deo differat, quam quod interdum Deus ita concipi poſſit, prout hæc attributa nondum exeruerit, aliquando prout jam exeruerit. Atque hoc eſt, quod dicit *R. Schimeon*

meon ben Iochai, Deum vocari Adam Kadmon, quia eſt ante totam Aziluth, atque prior. Aſt ſi de reliquis mundis quæratur, dici non poteſt eos eſſe ipſum Deum, nec dixerunt hoc Cabbaliſtæ.

§. XIV. Sed obſtare nobis videtur, quod *Adam Kadmon creatura* vocetur. Patet id tum aliunde, tum in loco quem ex *R. Abraham Cohen Irira* ipſe Auctor producit: quem illuſtrabimus pauliſper, vt noſtra ſententia eo clarior evadat. *Hactenus*, inquit Irira, *dictum eſt, quod cauſa prima non niſi unum cauſatum produxerit, cui nomen Adam Kadmon: hoc autem mediante lumina & ſephiras & perſonas mundi Aenſophici & mundi Aziluthici, & tres ſequentes.* Hic primo obſeruandum, quod Adam Kadmon dicatur *productus*, id quod noſtræ ſententiæ, qua per Adam Kadmon intelligimus ipſum Deum, e diametro aduerſari videtur. Sed ſermo Cabbaliſticus recte intelligendus eſt. Nâmque quamuis *manifeſtationem* Cabbaliſtæ *productionem*, item *creationem* vocant. Ergo Adam Kadmon tum *productus* eſt, cum Deus attributa ſua & operationes exereret. Manifeſtatæ itaque ſunt perſonæ Diuinitatis & attributa diuina, quæ omnia per mùndum *Aenſophicum* & *Aziluthicum* intelliguntur. Et his mediantibus, producti ſunt reliqui mundi. Et ita ceteri quoque doctores

 Cab-

Cabbaliſtici intelligendi ſunt, quoties *Adam Kadmon* creaturam vocant.

§. XV. Sed obiici porro eiusmodi loca poſſunt, quibus aſſerere videntur, quod *Adam Kadmon* h. e. Deus & *mundus* unum idemque ſit. Qualia licet Auctor non produxerit, ſed tantum per ſequelam eiusmodi quid ex effatis Cabbaliſtarum collegerit, nemini tamen, qui hactenus dicta expenderit, ignotum erit, quo pacto ea ſint intelligenda. Aut enim loquuntur de mundo *Azilutbico* & ſic concedimus, hunc mundum & Deum eſſe unum idemque; aut loquuntur de reliquis mundis, & ſic quidem in tantum concedimus Deum & mundũ eſſe *vnum idemque*, in quantum *cauſa* & *effectus* coniunctim ſumi ad totum aliquod conſtituendum poſſunt: aſt quod ipſa *eſſentia mundi* ſit *eſſentia Dei*, hoc abnuimus. Cabbaliſtæ autem ſi tale quid aſſeruerunt, probandum incumbit Auctori, quod poſteriori modo, non autem priori hoc intellexerint.

§.XVI. Et poſſem ſane ſingula loca ab Auctore prolata reuocare ſub examen, ſi operæ hoc eſſet pretium. Sic quod ex R. Irira adducit: *Deum eſſe unum indiuiſum in omnibus, & totum in ſingulis*, de omnipræſentia diuina poteſt ſano ſenſu intelligi. Simile fere ratione de anima dixerunt Scholaſtici, quod una & indi-

indiuiſa ſit in toto corpore, & tota quoque in ſingulis corporis partibus, & nihilo ſecius tamen non admiſerunt, animam eſſe ipſum corpus. Potuit ergo Iudæus ille ſimile quid in animo habere, vt tamen non inde ſequatur eum poſuiſſe, quod mundus ſit ipſe Deus. Sed poteſt quoque Deus *vnus* & *multa* ſano ſenſu dici, ſi per multa ipſi *effectus* cauſæ primæ, & res ab eo conditæ intelligantur. Quae autem Auctor ex *Henrici Mori Theſibus Cabbaliſticis*, prouocando ad *theſin. 8.* producit, ea ibi non leguntur. Theſis enim octaua haec eſt: *Mundi enim non poterant prouenire ibidem ob nimiam tenuitatem & lucis copiam*, quæ huc non pertinet.

§. XVII. Præterea adhuc obiici poſſet, quod Cabbaliſtæ ſtatuant, mundum hunc *per emanationem* a Deo conditum eſſe. Sed cum eſſentia, a qua aliquid profluit atque emanat, diuerſa omnino eſſe poſſit ab ea quæ emanat, rurſus diſpiciendum, quo pacto Cabbaliſtæ hoc intellexerint: & ſi *Spinoſiſmi* rei agendi ſunt, probandum eſt inuictis argumentis, eos *talem emanationem* intellexiſſe, in qua res, ex qua aliquid emanat, & quæ emanat, eiusdem ſunt eſſentiæ.

§. XVIII. Ultimo loco non poſſum non illud addere, in *libro Druſchim*, Cap. IV. ex quo Auctor præcipua hauſit, *Adamum primum* ad

iſtud ſpatium relegari, quod concauo *Orbaenſoph* proxime adiacet. Unde *Henrico Moro* dubium enatum, qui *Adam iſte Kadmon* producere potuerit mundos, ad tam vaſtam a ſe ipſo diſtantiam? vid. *Quæſtiones in librum Druſchim, in Cap. IV. p. 98.* & *Mori ulterior disquiſitio in Cap. IV. p. 220.* Quæ licet a nobis non approbentur, demonſtrant tamen Cabbaliſtas talia docere, quæ ſententiae Auctoris e diametro repugnant.

§. XIX. Supereſſent multa adhuc, forte non ſine emolumento monenda, ſed conſtitutum nobis eſt breuitati ſtudere. Interim in eo quoque Auctori, cui hæc dubia noſtra oppoſuimus, non poſſumus ſuffragari, quod exiſtimat, ad conuertendos Iudæos gentem miſeram ſane, & cui meliorem ſortem omnes merito apprecantur, plurimum momenti allaturum, ſi demonſtretur, eorum Cabbalam nihil aliud eſſe, quam *Spinoſiſmum.* Nunquam ſane hoc ſibi perſuaderi patientur, quin grauius odium erga Chriſtianos tale quid illis obtrudere conantes, pectore concipient. Rectius itaque ni fallor, illi procedent, qui conſenſum Cabbalæ cum doctrina Chriſtiana demonſtrantes obſtaculum, quod maximopere eos impedit, remouent. Sed longe facilius res iſta procederet, ſi

con-

conſentientem doctrinæ ſuæ vitam agerent Chriſtiani: Sed hæc huius loci non ſunt.

OBSERVATIO XVII.
DE CORRUPTA PER LOCOS DIALECTICOS ELOQUENTIA.

CONSPECTUS.

§. I. *Mllti eloquentiam laudant, pauci ſciunt.* §. II. *Cauſa præcipua præcipientium inſcitia.* §. III. *Libri oratorii multi.* §. IV. *Sed qui vani.* §. V. VI. *Promiſſum authoris de non lædenda aliorum fama.* §. VII. *Spes eiusdem reciproca.* §. VIII. *Propoſitum.* §. IX. *Fons confuſæ eloquentiæ.* §. X. *Notantur, qui probationes in Rhetorica quæſiverunt, item dialectica.* §. XI. *Vnde Sophiſtæ.* §. XII. *Philoſophiæ contemtus.* §. XIII. *Veritatis neglectus* §. XIV. *Non apud Gentiles tantum ſed & Chriſtianos* §. XV. *Eccleſiæ Patres.* §. XVI. *Imitatio recentiorum.* §. XVII. *Canonum Topicorum futilitas.* §. XVIII. *Exemplum adducitur* §. XIX. *Refutatur.* §. XX. *1. Obiectio proponitur de veritate Canonum Def. Cauſæ Totius &c.* §. XXI. *Reſp. & incertitudo quoad applicationem oſtenditur.* §. XXII. *Analytica commendatur.* §. XXIII. & §. XXIV. *Cæterorum locorum infirmitas demonſtratur.* §.

XXV. 2. *Obiectio: ab auctoritate Ciceronis.* §. XXVI. *Refellitur exemplis aliorũ.* §. XXVII. *imo ipſius Ciceronis.* §. XXVIII. *Cur Topicen laudet Cicero.* §. XXIX. *Omnes probationes ad Locos referri poſſe conceditur.* §. XXX. *Sed naturam attendere, negatur.* §. XXXI. *Opera inanis locos Topicos in interpretatione Auctorum annotantium.* §. XXXII. *Freigius notatur.* §. XXXIII. *Qui Ciceronem locis alligauit.* §. XXXIV. & XXXV. *Eius ſententia reiicitur, ob orationis vehementiam.* §. XXXVI. *ob diſſenſum locos topicos eruentium.* §. XXXVII. 3. *Obiectio: ab argumentorum ac probationum copia.* §. XXXVIII. *Ea inuertitur.* §. XXXIX. *Morhofii exemplum.* §. XL. *Periculum ſi iuuentus ad illos ducatur.* §. XLI. *Dictum Ciceronis & Auguſtini.* §. XLII. *Genuina ad eloquentiam via: doctrina.* §. XLIII. *Petronius laudatur, Rapinus.* §. XLIV. *Aliæ viæ ſpernuntur.* §. XLV. *Declamatores deſcribuntur.* §. XLVI. *Cicero & Quintilianus citantur.* §. XLVII. *Locorum dialecticorum effectus.* §. XLVIII. *Collegia Oratoria & Homiletica.* §. XLIX. *Perorantium ac prædicantium ruditas.* §. L. *Imitatio Manutii commendatur.* §. LI. *Item ſapientiæ ac diſciplinarum ſtudium.* §. LII. *Vnum argumentum ad rem ſtabiliendam ſufficiens.* §. LIII. *quod vlterius deducendum.* §. LIV. *Genuini Oratoris requiſitum*

tum. §. LV. *Maſſilienſium Legatorum ſoloecismus.* §. LVI. *Qui ex topica.* §. LVII. *Vnde quorundam garrulitas.* §. LVIII. *eorum cum Veſtiariis comparatio.* §. LIX. *Prolixarum Concionum origo.* §. LX. *Prædicantium iræ.* §. LXI. *Quibus remedium ſuppeditatur, &c.*

§. I.

ETſi ſunt, qui ſuaui nominis ſono commoti de eloquentiæ dignitate magnifice admodum ſentiant; nec raro in laudes illius excurrentes, multum dicant, quod ad commendationem eruditæ orationis vergere videtur: ego tamen pauciſſimos eſſe arbitror, qui aut Eloquentiæ veræ leges obſeruent, aut genuinam eiusdem faciem cognoſcant.

§. II. Cuius quidem rei cauſæ cum multæ ſint; quarum Catalogum Viri eruditiſſimi, Creſollium puto, Caſelium, Morhofium, & Gallos inter præſtantiſſimum Rapinum, ſumma cura nobis exhibuerunt: neſcio tamen, an non primo loco præcipientium plerorumque inſcitia nominanda mihi ſit; quæ iam Ciceronis æuo, & adhuc magis noſtro eò rem deduxit, vt eloquentiæ nitor a veteri gloria deſciſceret, & modo hinc, modo illinc ſpurcitiem quandam contraheret.

§. III. Quod certè mirum cuiquam videri poſſet, dum tot politici, ac docti, ut loquuntur, Oratores, tot Rhetorica excerpta, tot Oratoriæ Inſtitutiones, tot diſſerendi ac dicendi artes in publicum prodeant, titulorum ſplendore ſuperbientes, fronte ſpecioſæ, nec ſine ſenſibili quadam affectatione miranda ac ſingularia promittentes.

§. IV. Sed deſinent forte mirari, quotquot frontiſpicii dulcedine pellecti ampliorem, quàm par erat, ſpem conceperant; ſi ad interiora deſcendentes ſtructuram videant, quæ antiquum illud chaos fundamenti loco ſubſternit, & locorum dialecticorum diſſipatas ac malè cohærentes partes oſtendit.

§. V. Quo ipſo quidem animus mihi non eſt publicam illorum Auctorum famam arodere, quippe quæ tanta eſt, ut inſignis ſequacium multitudo veſtigia eorum lambat, nomina adoret; & Collegiis ſuis Mſcriptis vltra modum ſibi placeat.

§. VI. En igitur dextram meam, fidemque. Per me gloria illorum illibata conſiſtat, ſine felle, ſine inuidia audiant, quæ lux veritatis, omniſque ſcientiæ Magiſtra, ſuppeditabit, dummodo eandem mihi benignitatem indulgeant, meque ab Hæreſeos

ſeos, aut violatæ Auctoritatis crimine abſoluant.

§. VII. Id quod non pietas tantum Celebratiſſimorum Virorum, ſed potiſſimum ſeculi huius felicitas me ſperare confidenter iubet, vbi nulla amplius in rebus ad ſanæ rationis ſenſum expendendis hæreſis committitur; nec vlla ſine ſufficienti ratione auctoritas ſufficit.

§. VIII. Itaque paulo liberius in locorum Topicorum vtilitate ad eloquentiam examinanda verſabor; vt, ſi non artis ineptæ futilitas, ſuperuacua tamen Inuentionis Rhetoricæ copia, omnium oculis ſecundum rei veritatem patere poſſit.

§. IX. Primus vero niſi totum me animus fallit, copioſæ confuſionis huius fons eſt, quod cum plerique viderent, non in verborum ſtrepitu, ſed in perſuaſione maxime eloquentiæ vires conſiſtere; perſuaſionem autem absque idoneis rationum momentis obtineri non poſſe; animum illi ad inuentionem ſtringentium argumentorum applicarint, quibus aures non ſolum ferire, ſed intima eorum præcordia commouere poſſint, quibus aut fides facienda foret, aut aſſentiendi quædam neceſſitas imponi deberet.

§. X. Hunc ergo finem cum præfixum ſibi

ſibi haberent multi, neſcio, quo caſu, ad infelicem illam opinionem delati ſunt, quaſi Rhetoricæ artis ſubſidia ſufficienti probationum abundantia cultores ſuos inſtruere; aut ſi præter omnem ſpem ei quidpiam deeſſet, dialectica id ſupplere poſſet; quippe quæ contraria concluderet, omnique armorum genere quærentes donaret.

§. XI. Bonum factum! Sic enim mutua quaſi æmulatione incenſi, certatim ad eloquentiæ ſtudia proruebant; isque præſtantiſſimus videbatur, qui cauſa inferior, dicendo ſuperior fieri poſſet; adeo quidem, ut iam ipſe Tullius *lib. I. de Orat. cap. 2.* de ſeculi ſui facundia conqueſtus affirmauerit; *vulgo hoc plurimos facere cepiſſe, hodieque facere, vt nulla ſit res, neque tanta, nec tam improuiſa, de qua ſe non omnia, quæ dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos.*

§. XII. Horum ergo ſcholis, exercitationibus atque declamationibus vndique efflorescentibus, non poterat non diſciplinarum omnium, ipſiusque ſanioris Philoſophiæ contemtus oriri, cui iam eo tantum fine operam nauabant iuuenes, vt Philoſophiæ *ſpoliis orationes exornarent*, apud *Iudicem* aut *apud populum habendas.* vid. *Ioh. Clerici Ars Crit. part. I. p. 477. add. præfatio eiusdem in Log. p. 2.*

§. XIII.

§. XIII. Hinc Dialecticae ingens pretium conſtitutum: Veritati nullum; quæ in profundo latere credebatur, a diis occultata, tecta, abſtruſa, vt vero ſimilitudini locus eſſet, hoc eſt: iis rebus, quæ perſpicuæ ac manifeſtæ veritati non eſſent contrariæ.

§. XIV. Et poſſemus forte hunc deficientis ingenii lapſum iis facile condonare, quos Ethnica ſuperſtitio conſtrictos tenebat; dummodo Chriſtianorum Cathedræ aut pulpita intacta manſiſſent, nec infirmæ dialecticorum ratiocinationes in ſcholas ac ipſas etiam Eccleſias irrepſiſſent.

§. XV. Eadem enim ratione, proh dolor! qua Græci aut Romani ſtudia ſua adornauerant, Eccleſiaſtici quoque Scriptores primorumque ſeculorum patres plerique ſua inſtituerunt, probabilia afferentes, incerta, dialectica; quibus negatis nullum remedium afferri potuiſſet, niſi aut Eccleſiæ auctoritas, aut Anathematis quoddam fulmen, aut rurſum veroſimilis aliqua diſceptatio diſſentientes deterruiſſet. vid. *Theodorus Parrhaſius in Parrhaſianis p.78. ſeq.*

§. XVI. Quos cum ſequiorum temporum homines feliciter imitari tentarent, conſcriptisque infinitis propemodum in Ariſtotelis Topica Commentariis, hanc egregiam, ſi Diis placet, methodum amplius deducerent;

quis

quis miraretur nunc, quæſo, eandem adhuc corruptæ eloquentiæ faciem ſupereſſe, dum lineamenta eadem, dum fontes iidem ſunt; & turbida illa vocabula Etymologiæ, Homonymiæ, Generis, Speciéi, Adiunctorum, &c. in Gymnaſiis, Academiis, Templis, libris, ſingulisque ferè paginis conſpiciuntur ac audiuntur.

§. XVII. Iam vèro licet dialecticæ probabilitatis defenſoribus iſtud facile largiri queam; ex vocibus tantum incommodi in Rempublicam literariam redundare non poſſe; ignoſcent tamen iidem mihi, ſi vniverſos Canones, qui ſub ſonis illis nobis obtruduntur, vanos dixerim, ad perſuadendum invtiles, particulares, ex quibus maiorem nullam formare tuto poſſis; niſi deridendum te aliis propinare, aut veritatem, quam firmius aliunde defendere poſſes, publicis ſannis exponere velis.

§. XIIX. Quod ipſum vtut infinita exemplorum farragine, ex variis ſcriptoribus, qui artificii huius regulas vltra modum extulerunt; demonſtrari poſſit; nolo tamen in re tàm aperta, atque perſpicua prolixius exſpatiari, ne eodem vitio obiecto, Topica me conſuluiſſe aduerſarii clamitent. Igitur vnum nobis ſpecimen ſufficiat, quod non nemo dum Topicæ exercitium in proban-

dis

dis ſententiis ſtrenuè Adoleſcentibus commendauerat, legentibus conſiderandum reliquit, Is enim ex notiſſimo illo Ariſtotelis dicto: *Turpe eſt ignorare quod omnibus ſcire conuenit*, rationes probandi ſecundum locorum Topicorum ductum eruens, ſic tandem ex loco generis inuictiſſimè ſe concluſiſſe arbitratur: *Omnis Ignorantia eſt turpis. Ergo multo magis rerum eorum, quæ ſciri quam maximè debent.*

§. XIX. Attende Lector, quisquis huc animum atque oculos coniicis! Hic Topicæ fructus eſt, hæc pondera, quibus non niſi ignarisſimis perſvadebunt ἔνδοξοι Patron. Nam ſi omnis Ignorantia cum turpitudine quadam coniuncta eſt; quid ſtatuendum erit, quæſo, de Ignorantia theologorum docta? quid de erudito Philoſophorum ſilentio in rerum eſſentiis cognoſcendis? niſi quidem fatuos hos omnes pronunciaveris, eosque ſolos ſapere, aut honeſtos Viros dixeris, qui minutias, quas infrunita populi fex, aut ruſticorum incondita turba in panariis, aut alibi geſtat, ad vnguem enarrare norunt. Sed ita eſt! Inter incerta, & ambigua vagantur, qui incertis principiis innixi vmbram pro corpore, ſcorias pro auro arripiunt. Non enim niſi decepti credunt, & ad meliorem mentem redeunt.

§. XX.

§. XX. Age tamen, & quo me ariete impetant ſophiſtæ, vide? Quid, inquiunt, an Tu omnes Topicæ noſtræ canones alto ſupercilio deſpicere, ac pro incertis venditare auſis, cum nonnulli illorum firmisſime concludant, iique qui a definitione, cauſa, toto, &c. petiti, non niſi ab imperitisſimo in dubium vocari poſſint?

§. XXI. At enim bene eſt, ſeipſos vexant, non me, dum nihil præter inſcitiam habent, quod afferant. Nam ponamus dari quasdam, vt vulgo aiunt, Maximas, de quarum veritate, ſi generatim ita enuncientur, non niſi inſulſus, aut obſtinatisſimi animi ſcepticus ſcrupulum injicere queat; in eo tamen adhuc dubium hærebit, an applicatio ad quæſtionem rite peracta fuerit, aut an ei, quam Dialecticus propoſuit, veritati conſentanea definitio ſit; an cauſa, an effectum, an totum, an pars; quod ex rei ipſius conſideratione, ac intimæ naturæ viſceribus educendum erit, ſi vltro aſſentiri nolit adverſarius, ac victas manus porrigere. vid. *Logica Claubergii part. II. c. 17. §. 134.*

§. XXII. Hoc autem ſi effectum dare posſis, quid opus eſt, amabo te, inani illa ac generali regula? aut cur nugando te torquebis ex loco communi diſputaturus; vbi accuratæ demonſtrationis principia in ſubſidium

tibi

tibi veniunt, certa, indubitata, non neganda? add. *Præfatio Joh. Clerici in Log. p. 8.*

§. XXIII. Iam vero ſi tales iſtæ regulæ, quarum tamen paucæ ſunt, tam parvi, cum ad rem ventum eſt, roboris deprehendantur, quid de reliquis tandem fiet, quæ pleræque contingentes videntur, lubricæ, tot dubitationibus atque objectionibus obnoxiæ, quæ vel ab accidenti aliquo, vel a relatione externa, vel a voce aut notione ab hominibus ad arbitrium conficta dependent, nec argumenta ſunt, ſed ipſæ, vt ille loquitur, argumentis egent.

§. XXIV. Ex quo profecto luculentisſime conſequitur, omnia, aut ſi mavis plurima, quæ ex locorum illorum externa inſpectione petuntur, inepta eſſe, futilia, puerilibus crepundiis conſentanea, Viro ad ſeria nato, ac inconcuſſæ Veritatis amante indigna, ridenda, ſi in honeſta converſatione proferrentur; ac multo magis abſurda, ſi in Amplisſimòrum Virorum conſeſſu pro Cathedra ac concione dicantur; niſi quidem ridicule cum Fabio lib. 5. cap. 12. affirmare auſis; *Si nō poſſunt valere, quia magna ſunt, valebunt, quia multa ſunt, quæ ad eiusdem rei probationem omnia ſpectant.* Sed de his deinceps erit dicendi locus.

§. XXV. Nunc cum iis mihi negotium eſt,

qui Tullii ſuadam nobis obuertunt, cui ſacra adeo hæc methodus fuit, ut illam ipſam integræ Stoicorum Dialecticæ prætulerit, quod apud illos altum de locis ſilentium erat. Ita enim ille lib. Top. cap. I. *Cum omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes; unam inueniendi, alteram iudicandi; vtriusque Princeps, vt mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit: Stoici autem in altera elaborauerunt. Iudicandi enim vias diligenter perſecuti ſunt, ea ſcientia, quam dialecticem appellant. Inueniendi vero artem, quæ topice dicitur, quæque ad uſum potior erat, & ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in vtraque ſumma vtilitas eſt; & utramque, ſi erit otium, perſequi cogitamus, ab ea quæ prior eſt ordiemur.*

§. XXVI. Quæ quidem fateor, mouere me aliquantum poſſent, ſi in Ciceronis auctoritatem iuraſſem, aut ipſius placita cæco impetu ſequi conſtituiſſem. At me non percellet hic Auſter. Nam ut dixi, præter nomen Tullii nihil eſt quod me moretur; cui vero tot teſtes in contrarium opponere poſſem, quot exquiſiti fere Oratores orbem illuſtrarunt; quibus ne per ſomnium quidem loci nominis, adiunctorum, effectuum, in elaboratione Thematis, aut orationis in mentem venerunt.

§. XXVII.

§. XXVII. Neque mihi dubium hæret, quin Cicero eadem arte nunquam vſus ſit, cuius animus cognitione rerum, ac moralis Philoſophiæ principiis imbutus, non indigebat, vt locorum oſtia pulſans ſtipem emendicaret, & ficulneo adeo inventionis modo eloquentiæ ſuæ copias amplificaret.

§. XXVIII. Itaque ea, quæ in Topicis ſuis defendit Tullius, non eo pertinent, ac ſi ſine Topices ope, nihil ſapidi, nihil exquiſiti ſcribi vel dici poſſit; ſed niſi totus fallor, eo omnia collimant, vt C. Trebatii petitis velificaret, cui, vt ex initio Libri pateſcit, ſententiam ſuam de Ariſtotelis Topica requirenti ſic tandem aperuit, ne Stagiritæ auctoritas labaſceret, aut celebratiſſimum Peripateticorum artificium detrimenti quidpiam caperet.

§. XXIX. Non equidem negauerim præfracte, probationes omnes, quas cuilibet ſtabiliendo adhibemus, ad hæc generalia capita referri poſſe; ſed tamen inventionem illarum methodo huic deberi, id eſt, quod ingenio meo vix ac ne vix quidem perſuadere poſſum. vid. Joh. Clerici præf. in Log. pag. 4. & 5.

§. XXX. Habet enim naturæ impetus imperueſtigabile quiddam, vt ad Regulas alligare ſe nunquam patiatur; licet omnia ad artis regulas, etiamſi non obſeruaueris, quam

optime facta deprehendantur: conf. Morhof. Polyhiſt. lit. p. 350. Simili pene modo, *quo naturaliter ambulamus*, ut ingenioſiſſimus Autor artis cogitandi p.m. 220. conf. Cleric. loc. cit. obſeruat, *ambulandoque corpus regulariter mouemus, etiamſi abſurdum foret docere ſpiritus animales, aut admonere in hos neruos amandandos, hos muſculos motandos, tales in articulis motus ciendos, pedem alterum, alteri præponendum, ac demum illi alteri inſiſtendum, donec alter promoveatur.*

§. XXXI. Quamobrem ea mihi nunquam probari opera potuit, qua multi in explicandis Authorum ſcriptis ita verſati ſunt, vt conſiderata diſpoſitionis ſtructura etiam locorum fontes, ex quibus huic vel illi argumentorum ac probationum robora defluxerunt, indicarent, veteres Oratores ex ingenio ſuo æſtimantes; quod intra hoſce probabilis doctrinæ terminos incluſum, nil niſi genus ac ſpeciem nouit.

§. XXXII. Quibus an Iohannem Thomam Freigiũ accenſere debeam, nondum ſat ſcio. Nam licet eum ignarum adeo atque imperitum mihi non fingam: miror tamen Virum Famigeratiſſimum, in notis ſuis ad Orationes Ciceronis, tanta cura locos Dialecticos annotaſſe, ad quos Tullium reſpexiſſe nemo ſibi perſuadebit, niſi qui pulueri Scholaſtico innu-

nutritus de his tantum cupediis atque deliciis audiuit.

§.XXXIII. Iurarem autem omnino Ciceronem e.g. dum ea in Catilinaria II. verba proferret: *Abiit, exceſſit, euaſit erupit* nunquam de *effectis* cogitaſſe, *quæ tamen proximis cauſis fuiſſe reddita*, idem Freigius non ſine notabili quadam ſimplicitate contendit.

§.XXXIV. Eſt enim hoc vehementis Orationis ſpiritui plane aduerſum: moras non patitur; regulas ſpernit, & ſi affectus induendi, libere vagatur; quousq; rei dicendæ ſcopus, aut orationis exſurgentis tenor permittit.

§. XXXV. At enim vero qui tam anguſtis Oratorem finibus circumſcribunt, clauſtrisq; poſitis, locis ſuis exire non patiuntur; ii profecto perinde mihi agere videntur, ac ſi monialis cuiusdam habitu indutum precatoriæ corollæ alligarent, ubi non niſi teſſera abſoluta ad proximam tranſilire fas eſt.

§. XXXVI. Sed commenta hæc ſunt, fabulæ, quibus Ramiſtica Schola ſuos inſtruxit; licet inter centum Philologorum capita pauciſſimos fore certus ſim, qui circa vnius Orationis interpretationem in deſignandis partibus concordent; ſed vbi ille Aetiologiam, hic amplificationem; vbi iſte materiam, ibi alter formam agnoſcet; & ubi Tu effectum, ibi adiunctum alius latere putabit. Adeo ſpe-

culatio hominum illorum variat! adeo lubrica methodus eſt, adeo inanis! Ignoſcite Patroni.

XXXVII. Proximum nunc eſt, ut quibuſdam nebulis diſcusſis, reliquis quoque vitilitigatoribus obviam eamus, qui ſic forte nobis obloquuntur: Hem! Tune vtilitatem omnem loculis noſtris denegabis, quibus tot clarisſimi Viri non ſine fructu vſi fuere? Tu tantam argumentorum abundantiam; Tu rationum, ſimilium, Exemplorum infinitam copiam reiicies? Nullum Thema eſt, quod non diuerſas formas, quod non diſtinctas imagines, quod non mille figuras recipiat. Hic fundus nunquam ſterilis reperitur, hæc fodina inexhauſta eſt, hic theſaurus omnis æſtimationis pretium tranſcendit. Felicem Oratorem, qui in hac parte totus es! Infelicem vero, qui talia faſtidis, & in plenisſima libertate conſtrictum te conquereris.

§. XXXIIX. Sic aiunt, & quodam quaſi impetu nos aggrediuntur, quem tamen facile eludemus. Eſto enim, non repugnamus, immenſam ex artificii illius arcano rerum omnium farraginem enaſci, vbi exſpatiari Orator, & ſine ulla indigentia de quauis loqui materia queat: hoc tamen, niſi me ratio penitus fugit, illud ipſum eſt, quod pernicioſum Prudentiores iudicant, incongruum, incon-

cin-

cinnum, dum non niſi rebus ex triuio deſumtis mentes obruuntur, ac ea ſæpe dicuntur, quæ non dicere rectius omnino atque ſatius foret. vid. Bernhardi Lamii l' art de parler lib. 5. cap. 5.

§. XXXIX. Ipſe Celebratisſimus Morhofius, quem Locorum Dialecticorum cauſam non ſemel egiſſe conſtat, veritatis tandem luce commotus ingenue fatetur; Polyhiſtoris Liter. lib. 2. cap. 5. p. 351. *ſæpe hoc ſibi eueniſſe carmẽ vel orationem ſcribenti, ut dum ὑπάρχοντα eius animo perpenderet, infinita propemodum per omnes κατηγοριῶν & generalium attributorum claſſes eunti ſub manibus enata ſint; unde paucisſima in vſus ſuos excerpſerit; plerumq; tamen ſine operoſa cogitatione, mentisque deductione ea ſibi ſuccurriſſe, inque iis optima ſuiſſe quæ prima, ingenii præuenientis ςοχασμῷ citra notabilem locorum ἀναγωγὴν ſuggerebantur.*

§. XL. Iam vero ſi tanta circumſpectione Viro ſagaciſſimo opus fuit, ne nimia rerum multitudine circumfuſus incondita eligeret; aut ſi, vt ipſe non diffitetur exigua aut nulla utilitate deprehenſa felicius multo processit, cum ſine operoſa cogitatione mentis ac ingenii vigorem ſecutus ad ſcribendum ſe accinxit; quare ergo nos, o boni, ad precaria illa ſubſidia infirmioris iudicii Iuuenes ablegemus; qui cum puluiſcu-

lo omnia conuerrentes in inanem tandem eloquentiam deſinent; vel in chimæricis quibusdam argutiis, poſt vniuerſos artis Lullianæ circulos conuerſos, toti occupabuntur.

§. XLI. Cicero certe, quem in Eloquentia non omnino nullum fuiſſe noſtis, *indiſertam eloquentiam, quem loquacem ſtultitiam mauult*, & Auguſtinus *ſeparatis locorum communium nugis, rem cum re, rationem cum ratione, cauſam cum cauſa confligere* præoptat.

§. XLII. Igitur ante omnia illi qui aliquem veræ ac genuinæ eloquentiæ gradum affectant, in bonorum àrtium ac diſciplinarum campos relicto quouis circuitu egrediantur, animum ac pectus ſalubri ſapientia replentes: donec multo labore, aſſiduo ſtudio, varia exercitatione, pluribus experimentis altiſſima prudentia, præſentiſſimis conſiliis comparatis, apte ac concinne dicere ſciant. vid. *Quintilianus lib. XII. Inſtit. cap. 2.*

§. XLIII. *Neque enim*, dicente Petronio, *concipere neque edere partum mens poteſt, niſi ingenti flumine literarum inundata: c'eſt a dire, adiicit diſertiſſimus Rapinus, dans les reflexions ſur l'eloquence p. 27. que ſans un grand fonds de capacité & de ſcience on ne peut pas etre en etat de parler, comme il faut des ſuiet, qui ſe preſentent. Ainſi il faut ſe remplir l'eſprit d'une etendue pres-*

preſque immenſe de connoiſſances par vne etude infatigable. Car c'eſt proprement de l'abondance des choſes, que naiſt l'abondance des paroles.

§. XLIV. Quod ſi quidam neglectis hiſce conſiliis, alio tramite ac via ad ſpecioſas eloquentiæ laudes graſſari intendant, ii meo quidem iudicio, parum proficient, & non magis forte quam illi, qui ſcienter cantare ſine voce volunt.

§. XLV Equidem declamatoriam aliquam dicendi facultatem, qua velut *ἐνλέχῃ ἥμενοι* in taberna ſedentes, de rebus nihili per totas horas colloqui poſſint, illis facile dabo, quippe ad quam parum artis, multum impudentiæ requiritur; vbi quod rationes non poſſunt, clamores exſequuntur, & quod ſapientiæ deeſt manuum geſticulatio ac motus corporis ſupplet: Sed ſupplet inquam, apud ignarum tantum vulgus, quod nullius veritatis, ac rationis acuto ſenſu tangitur; non apud ſapientiores, quibus de meliore luto pectus eſt; nec pictæ orationis lumina, ſed rationum fulmina laudantur.

§. XLVI. Atque hinc eſt, quod *exquiſitam doctrinam* in Bruto ſuo Cicero *lib. de claris Oratoribus, item in Bruto* deprædicet; & Quintilianus *lib. X. cap. 7.* *eloquentiam in pectore*, non in lingua quærat aut verbis, aut dialecticis nugis, quippe quæ ad oratoris offi-

cium nullum allaturæ momentum eſſent.

§. XLVII. En igitur veram corruptæ in hoc ſeculo tam ſacræ quam profanæ Eloquentiæ cauſam! Plerique enim neſcio, ex quo leuisſimi ingenii pruritu ad publicas cathedras, non gradu ſed præcipiti curſu contendunt, multum ſibi applaudentes, ſi locorum Topicorum crepitacula pulſare ſciant; ſi duram allegoriam, ſi abſonam ſimilitudinem, ſi inconcinnum emblema, ſi Indicæ cuiusdam hiſtoriæ partem auditoribus proponere norint.

§. XLIIX. Hinc ille ad Oratoria & Homiletica collegia impetus: hinc diſpoſitionum immane deſiderium: Hinc paganorum ad fora publica concurſus, vt eiusmodi Cimelia ſibi comparent, ut Picinelli Orbem Symbolicum videant, vt Excerpta Anglicana prehendant, & ad deblaterandum iumenta, ac inſtrumenta habeant, pulchrum exiſtimantes *doctas poſuiſſe figuras. Perſius Sat. I. v. 97.* bellum credentes, ab aniculis laudari, & vt Perſius ait: (Sat. I. v. 28.) *digito monſtrari, & dicier hic eſt.*

§. XLIX. Olim ſane non inepte præcipiebatur, *diſce, quod doceas:* At noſtris temporibus inuerſus pene ordo videtur. Docent, quod diſcunt, loquuntur, quod neſciunt, garriunt, quod non intelligunt, pariunt

unt non concipientes, dicunt inermes, ſcribunt rudes, ſine meditatione, ſcientia, diſciplina, Mſcriptis ſuis contenti, ac Hodegis, quibus Alpes ſuperare, & ſi opus foret, per aëra volitare firmiſſime animum ſuum inducunt. Hem inſipida hominum conſilia!

§. L. At vero; Siccine, aiunt Stentores, Iuuenem tuum ſine vlla exercitatione transmittes, eumque ſub Pythagoræ velo per quinquennium, aut decennium cuſtodies? Ita fere eſt, Lepidisſima Capita! Imitari primum efflorеſcentis ingenii adoleſcens diſcat; periodos dilatatione membrorum, & narratione ſententiarum, figurarum quoque adiectione in aliam formam compingat; quam imitandi rationem Paulus Manutius *lib. I. epiſt. 4. ep.* 4. ſecutus, incredibiles in eloquentia profectus fecit.

§. LI. Deinde ſanioris Philoſophiæ luce obſcuras ingenii nebulas diſiiciat; cor deprauatũ virtutis ac honeſtatis ſeminibus fœcundet; ac tum demum rite pertractatis diſciplinis in publicum prodeat, dicat, loquatur, ſcribat, erudiat.

§. LII. Quod ſi qui nondum ſatis inſtructum eum credant, quod rationes rationibus cumulare, vnamque alterius auxilio ſuffulcire neſciat; quod tamen Topices ope facillime præſtare valeret; iis ego di-

dictum merito velim; vnicam mihi probationem ſufficere, ſed ſolidam & ex intima rerum natura deductam. add. *Bernhardus Lamius lo. . it.*

§. LIII. Hanc ergo ſimplici ſermone propoſitam ornata, ſi velit, oratione illuſtret, hanc ex ingenii ſui theſauro longius extendat, & adhibito iudicii acumine in tantum diducat, quantum rei cauſa, temporis circumſtantiæ, loci ac perſonarum conditio poſtulare videbuntur. Omnis enim eloquentia inepta eſt, niſi quando neceſſaria; & rationes quæ ex locis communibus depromuntur, herbæ vitioſæ ſunt, quibus præſtantiſſima ſemina corrumpuntur.

§. LIV. Sapientiæ multum in Oratore meo deſidero, loquentiæ parum: nec dubito, quin ampliori rerũ ac verborum copia, ſi neceſſum foret, abundaturus ſit, quam reliqua illa turba, quæ demtis locorum communium plumis Platonici inſtar hominis nuda comparebit.

§. LV. Quod quidem ſi Maſſilienſes legati coram Henrico M. Galliarum Rege ad prandium feſtinante verba facturi, dictum ſibi putaſſent; nequaquam, credo, ex locis ſuis inane exordium ducendo: *Hannibal proficiſcens Carthagine* imprudenter balbutiuiſ-

uiſſent; quid quod nec à Rege pudore confuſi inter triſtisſimas cogitationes, ac tacitam ſtultitiæ ſuæ deplorationem relicti fuiſſent; qui apte illis, *Hannibal*, inquiebat, *Carthagine proficiſcens tum pranſus erat, ego ſum pranſurus*. vid. *Huberi Oratio de Pedantiſmo.*

§. LVI. Adeo nempe delirant homines, qui ſemel dialecticis rotis aſſueuere; piaculum credentes, niſi omnes eloquentiæ ſuæ neruos oſtentarent, ac velut catuli globulis, ita topica ſua luderent.

§. LVII. Vnde eſt, quod omnia ſine iudicio corradentes, non quæ debent, ſed quæ poſſunt, ſectentur, exiſtimantes ſe perfectisſimorum Oratorum officio defungi, ſi ſine hæſitatione ac verborum inopia, horam vnam vel duas publice deblaterent, & plauſus ignaræ animæ, aut admirationem vanisſimorum quorundam Iuuenum emoveant.

§. LIIX. Quos tales cum contemptisſimis ego veſtiariis non ſine ratione comparandos velim, qui pannos diſcinctos, tibialia, caligas, pileos, tunicas, ac omnis generis utenſilia, ſitu ac ſqualore deformata in publicum protrudunt, hoc ſolum contenti, ſi obeſæ naris ruſticum aut temulentam carbonariam ad has quisquilias emendas vocis ſuæ raucedine compulerint.

§. LIX.

§. LIX. Quorum numero ſi quis impolitos ac arrogantes Concionatores quosdam accenſere, iisque quod æqvum eſt, dextræ prærogativam concedere velit, non repugnabo. Habent enim & Theologi ſuos, quod aiunt, Pedantas, qui ne Collegiorum Homileticorum ampla ſupellex in fumum abeat, Magiſtrorum ſuorum veſtigiis inſiſtentes nunquam non latisſime ſe diffundunt; ſtomachantes admodum, quoties Auditorum patientia deficiente, aciem argumentorum ſuorum explicare, ac topicæ artis exercitus in medium producere impediantur.

§. LX. Inde ergo tonitrua, fulmina, anathemata, quibus ex eſſe iubentur Verbi Divini oſores, ac contemtores; quaſi Scripturæ Sacræ contemptor eſſet, qui ſcenicum Dialecticæ apparatum contemnit; aut mortale peccatum foret, ſi Elencticus, aut alii vſus præcidantur, & Pontificiis ſemel, Quackeris atque Socinianis parcatur. Sed tantæ miſerorum tenebræ ſunt, tanta inſcitia, vt *non minus Oratorium interdum eſſe tacere, quam dicere*. plane neſciant. vid. *Plinio lib.7. Epiſt.6.*

§. LXI. Quapropter illud primum, quod Pythagoras diſcipulis ſuis, iis etiam ceu primum ſapientiæ rudimentum ex animo commendo, & vt Demoſthenem imitentur

etiam

etiam atque etiam ſuadeo, qui Polo hiſtrioni aliquando dicenti: *Ego hoc biduo talentum pro mercede accepi*; concinne ſatis reſpondit: *ἐγὼ δὲ πέντε τάλαντα μίαν ἡμέραν σιωπήσας.* vid. *Plutarchus in Vita Orat.* Atque hæc quidem iam ſufficiant, vt modus habeatur, nec nimium Lectorem offendat.

OBSERVATIO XIIX.

DE COPIOSA, FACILI, ET CONCENTRATA COLLECTIONE SPIRITVS ACIDI SVMME VOLATILIS SVLPHVREO-VITRIOLICI, ET THEORETICO-PRACTICA ἀπόδειξει GENERATIONIS EIVSDEM.

Σύνοψις.

CHymia vulgaris parum Theoretica, §. I. magis ad craſſiores compoſitiones applicata §. II. quam ad Mixtiones. §. III. & familiaria ὑπερορᾶματα §. IV. *Exemplum Spiritus Vitrioli Volatilis* §. V. *cuius genealogia repetitur Phyſico-mechanice.* §. VI. *Propoſitum præſentis obſeruationis.* §. VII. *Experimenti Hiſtoria. Artificiale Sal.* §. VIII. *ſatis patiens Ignis, inodorum* §. IX. *efferveſcens cum alcalibus*, §. X. *Cum acidis non æque, niſi concentratis* §. XI. *excepto Spiritu Nitri*. XII. *Salis huius indoles Sulphureo-volatilis erumpens*, §. XIII. *Com-*

Commoda huius operationis §. XIV. *facilitas* §.XV. *puritas concentrata huius Spiritus* §. XVI. *Non abſolute poſcit Spiritum Vitrioli, ſed ſufficit crudum.* §. XVII. *Tria vlteriora Experimenta ex hoc fluentia*, §.XVIII. *quod e fixiore genitus ſit hic volatilis Spiritus*, §.XIX. *moles eius exigua ſub hoc volatili ſtatu* §.XX. *reſtitutio in fixitatem ſuam* §.XXI. *Differentia aciditatis huius, in ſtatu volatili, & fixo,* §. XXII. *Proportio eius cum aliis acidis* §. XXIII. *Experimentum ipſum, ſeu modus parandi* §.XXIV. *Experimentum geneſeos eius e fixo acido* §. XXV. *Experimentum reſtitutionis eius in fixum ſtatum* §. XXVI. *Peculiares Encheiriſes ad operationem* §. XXVII. XXVIII. *Dn. Papini tentamen, ad Spiritum Sulphuris in copia parandum.* §.XXIX. *Similia Dn. St. Clair.* §. XXX. *E libra vna Sulphuris, par pondus Spiritus*, §.XXXI. *Spiritus volatiliſſimus fumans extemporaneus*, §.XXXII. *ex oleo vitrioli & Sale communi* §.XXXIII. *Experimentis repetitis illuſtratus.* §. XXXIV. XXXV. *Spiritus huius efficacia nebuloſa.* §. XXXVI. *durabilis*, §. XXXVII. *Spiritus fumans famoſus* §. XXXVIII. *Difficilioris præparationis* §. XXXIX. *Spiritus volatilis Nitroſi Cyanei mentio* §. XL.

§. Illi

§. I.

ILLi, qui Chymicam artem excolunt, & per illam corporum naturalium *mixtiones* intimius ſcrutari, eorumque *principia* proxima perveſtigare, cordi habent, ſi vel modicum ſagacitatis adhibuerint, facile certe deprehendent, quam parum ipſæ *vulgares operationes* chymicæ ad hunc ſcopum ſatisfaciant, ſi ad minimum theoriam quoque illarum vulgarem, ita nude ſequantur, & in illa acquieſcant. Revera enim, ſi ſine fuco verum eloqui velimus, parum e Chymia ad *Phyſicas* theorias directum hucusque habemus, ſed vniuerſum fere vel in *Alchymicis* conaminibus fruſtra conſumtum: vel ad *Medicinam*, ſpe & pollicitatione effectum vndique deſtituente, fruſtra deſtinatum, & quaſi damnatum.

§. II. Accedit huic incommodo, quod operationes chymicæ pleræque magis ad *Compoſitionum* tantum craſſiorum claſſes pertingant, ſubtilia vero & tenerrima *mixtionum* repagula perrumpere minus valeant. Imo, ſi vel maxime etiam in hoc genere *mixtiones* reſoluendi, aut *nouas* perficiendi aliquid præſtent; invaluit fere inane illud præiudicium, quod niſi *nitidam* quandam faciem

 no-

nobis obvertant, nihil de ipſis ſperare audeamus: Unde hactenus ſæpius eveniſſe certi ſumus, illud quod *Becherus* de hoc negotio admodum apposite dixit, quod nimirum cortices ſive *ſcorias nitidas* aſſervemus, *nucleum* vero in ita dictis *fæcibus* abjiciamus.

§. III. Quid vero, quod frequentiſſime operationes certas non ſemel aut bis, ſed numeroſis plane vicibus oculis ſpectamus, manibus noſtris tractamus, & effectum *Senſus* non tam ſuſcitantem, quam *ferientem*, craſſo quaſi quodam modo percipimus, & tamen nemo eſt, qui negotium attendat, aut in ejus cauſas & circumſtantias profundius inſpicere, cordi habeat.

§. IV. Exemplum nobis præbere poteſt *Spiritus vitrioli volatilis*, qui ſane ſub ſolitis hujus concreti deſtillationibus, innumerabilibus vicibus una prorupit, ut etiam communes deſtillatores eundem *ſylveſtris Spiritus* nomine, & *incoërcibilis*, deſignare, imo damnare atque deteſtari ſoleant: nihilominus neque aliquam circumſpectiorem attentionem, neque & multo quidem minus, *ortus* ſui & cauſarum penſitationem promeruerit.

§. V. Actum eſt aliquid de eodem ante paucum tempus, & dictum, quod nihil aliud ſit, niſi *acidum vitrioli* tenerius reſolutum

ſive

ſiue *attenuatum*, idque partim per ſubſtantiam illam tenuiſſimam, quæ immediatam materiam flammæ conſtituit, ſeu *principium* mixtionis inflammabilis: partim per *motum* huius exquiſitisſimum aëreum, ita ut hoc ipſum ſummæ tenuitatis corpuſculum, *materialiter*, *motus* vero ille *formaliter*, reſolutionem & attenuationem hanc perficiat; id eſt, hæc ipſa *materia acido* illi vitriolico reuera coaleſcat atque accreſcat, *mobilitate* vero ſui ſumma, per aërem in actum deducta, ſeparationem hanc perficiat.

§. VI. Placet iam nouum quoddam in hoc genere *Experimentum* proponere, & magis quidem hac vice hiſtoriam eius, cuiusuis deinde induſtriæ & ſagacitati methodum operandi relinquentes, tamen etiam hanc ipſam ſubminiſtraturi, quamuis iam habeatur luculenter in *Menſ. Auguſti*, *1697*. obſeruatione *de ſpiritu vitrioli volatili*, niſi ipſa breuitas, quod fere vulgo fit, in re manifeſtisſima obſcuritatem offundat.

§. VII. Eſt vero hoc Experimentum, vel *effectus* potius illius, nouum quoddam inuentum *ſalinum*; ſal *ſiccum*, *album*, *cryſtallos* tamen non æque magnas aut nitidas, bene autem *paruas*, & in umbellam quaſi aliquam, ſeu *echinatam* congeriem, concretas, exhibens; imo, ſi *optimum* & *volatilitate* ſua

turgidum ſit, *cryſtallinam* formam ſpernens, & ſolum *coaguli* cuiusdam non admodum ſicci, ſed *humiduli*, conſiſtentia apparens.

§. IIX. Eſt vero hoc ſal in igne ita *fixum*, vt per ſatis longum tempus calorem ſatis luculenter *candentem* perferre poſſit, citra, præcipue *quantitatis*, vel etiam *qualitatis* ſuæ, inſignem iacturam. *Diſſoluitur* in *aqua* ſatis quidem prompte, poſcit tamen eius ſatis *largam* quantitatem. *Evaporationem*, etiam fervidam, tolerat ſic ſatis facile: non tamen nimis *bullientem*, vtpote qua ſalia etiam *fixa* iacturam & diſſipationem experiuntur. *Colore* pro diuerſitate operationis accidentali, eſt modo plane *niueum*, præſertim illud non *cryſtalliſatũ*, modo pallide *flaueſcens*: pro qua diuerſitate, etiam ſolutio eius in aqua, magis vel minus, ſemper tamen aliquantum, *flaueſcit*. *Odorem* habet vel nullum, vel leuiſſimum, non acrem aut *ſalinum*, ſed paululum *nauſeoſum*, qui tamen magis ſub *ſapore* non nihil adverſo ſeſe exerit.

§. IX. Sal hoc, quo magis eſſentia ſua *volatili* locupletatum eſt, eo magis prompte & copiose *efferueſcit* cum *alcalibus*, fixis æque ac volatilibus; nullam tamen hinc inſignẽ mutationem ulteriorem ſuſcipit, niſi quod, ſi cum *volatili* alcali ſaturetur, & deinde igni exponatur, non nihil eius in auras evaporet.

§. X.

§. X. Cum *acidis* vero, indolem ſuam præcipue exſerit *volatilem*; citra tamen *efferveſcentiam*, cum ſpiritu *vitrioli*, aut *ſalis communis*, niſi quidem *vitrioli* ſpiritus, ſit valde *fortis*: cum quo, & *oleo vitrioli*, ſatis tamen *moderate*, efferuescit.

§. XI. Cum ſpiritu vero *nitri* aut *aquæ forti*, non effervescit modo ad *ſpumam* admodum largam, ſed concipit etiam inſignem plane *calorem*; præcipue ſi paulo *maior* utriusque *quantitas* in unum confundatur. Sub hac *ferurda* ebullitione, *effumat* pars ſpiritus nitroſi, in nativa ſua volatili atque *flava vaporoſa* conſiſtentia; non aliter quam alias in impetuoſioribus per hunc ſpiritum perpetratis *ſolutionibus*, vſu venire ſolet.

§. XII. *Indoles* vero illæ, quam cum his ſalibus ſeu *ſpiritibus acidis*, hoc noſtrum ſal, exſerere diximus, illa eſt, quod ſimulatque aliquid *ſpiritus* aut *olei vitrioli* ipſi affunditur, & leuiter ſolum eidem ſeſe immiſcuit, (quod quidem ſi *ſolutum* adhibitum fuerit *ſal noſtrum*, velut in momento contingit) aſſurgit eodem ictu oculi, eiusdem *ſpiritus*, (non aliter, quam e *ſale ammoniaco* illo *urinoſus*, ita ex hoc noſtro ſale) *actutum volatiliſſimus ſulphureus*, qualis e *vitriolo*, in retorta *fiſſuram* ſortita, fieri ſolet. iuxta experimentũ, citato ſcripto *menſtruo* latius inſinuatum.

§. XIII. *Commoda*, quæ hanc operationem ſequuntur, ſunt ſequentia. *Primo*, poteſt hoc experimento hic penetrantisſimus *volatilis ſulphureus* ſpiritus, magna *facilitate*, in *copia* parari; & magno quoque *ſumptuum* compendio, ſiquidem bona eius quantitas pro aliquot groſſis parari valet.

§. XIV. Eſt vero operationis *facilitas* tanta, vt quilibet *famulus* aut *ſervulus*, quælibet *ancilla*, qua ſi aliud agendo, & per otium hoc ſal parare poſſit, & inſuper impoſſibile ſit, *per errorem* hic vel minimum impingere, vt niſi per *temerariam* negligentiam, vaſa confringendo, materias profundendo, aut ſimilem oſcitantiam, ne quidem falli poſſit, aut damnum facere vel pati.

§. XV. *Secundo*, eſt hoc vnicum quaſi remedium, aut ſane optimum & expeditisſimum, ſpiritum hunc volatilem *penetrantisſimum* & alias fere incoërcibilem, *rectiſicatisſimum* & *concentratisſimum* obtinendi.

§. XVI. Cum enim alias in cōmuni huiꝰ ſpiritus *deſtillatione* ex retorta, non modo inter deſtillandum magna eius iactura fiat, cum per ipſas illas *rimas*, per quas geneſin ſuam concipit, non parua eius portio etiam mox disſipari valeat; deinde vero eius *rectificatio*, e *copioſa*, quæ ad illum facilius incorporandum commode præponitur, *aqua*, pariter non

non ſine notabili eius *iactura* inſtitui posſit: euitantur præſente noſtra enchiriſi, omnia illa incommoda, & obtinetur noſter ſpiritus, ab *omni phlegmate* liberrimus. Unde quidem e parvo prorſus vaſculo in aliud, ad *ſolutiones* aut *præcipitationes* perpetrandas commodisſime ita immediate transpelli poſſet, tenerrimi vaporis inſtar, *concentratisſimus*.

§. XVII. Præter hæc omnia vero licet cum *ſpiritu* vel *oleo vitrioli* negotium tanto præſentius perfici poſſit, minime omnium tamen abſoluta neceſſitas exigit, vt impenſa hæc adhibeatur, vt potius e *nudo vitriolo crudo*, vel ſolum in calore hypocauſti in album puluerem collapſo, aut cum *alumine*, eadem bonitate parari poſſit. Ubi ſimul in ipſo *vitriolo*, vnum vel alterum phænomenon haud iniucundum, imo forte, ſi penitius expendatur, neque penitus inane vel inutile, exhibet.

§. XVIII. Illud quod hoc noſtro experimento vlterius magis veluti ad oculum demonſtrari posſit, eſt hoc *triplex experimentum*.

§. XIX. *Primo* quod ſpiritus hic revera e *fixo acido* vitriolico aut ſulphureo oriatur, & ita quidem, vt ipſum noſtrum experimentum teſtimonium luculentiſſimum conſtituat, quod *totum* illud *acidum fixius*, quod ſpiritum

vitrioli vulgarem, vel ſpiritum ſulphuris per campanam, conſtituit; vel oleum vitrioli, & ſulphuris, quod, inquam, hoc *vniverſum*, in hanc *volatilem penetrantiſſimam* conſiſtentiam abeat.

§. XX. *Secundo*, quod ſub hac conſiſtentia & *mole*, & *pondere* tenuisſimum, & incredibile quam exiguum exiſtat; cum in forma illa *craſſa* & *mole* ſatis copioſum, & *pondere* ſatis graue deprehendatur.

§. XXI. Monſtrat hoc præcipue experimentum in hoc noſtro genere *tertium*, curioſitati, & *veræ demonſtrationis* nomine, conſideratione ſane quam digniſſimum; Quo videlicet ſpiritus huius *volatilis* non modo reductionem in *fixum*, & *craſſum* ſuum *acidum* ſtatum, ad oculum quaſi, ſane ad omnem ſenſum, percipere licet: ſed etiam veram manifeſtam talem *analyſin*, quæ geneſin eius denuo *reſoluat* atque *deſtruat*: nempe *ſolius aeris* ope, in vitro etiam veſica bubula *clauſo*, per quam quidem ſubtiliſſima illa φλογιϛὰ μιάσματα cum aëre tenerrimo, ſiue æthere, ſenſim pereunt & in auras ſe ſubducunt: *acidum* vero illud, quod hactenus ſuo conſortio adeo ſumme *volatile* reddiderat, vt a nuda tenerrima aura aëris etiam frigidi, velociſſime diſſiparetur, iam in antiqua ſua *fixitate*, ſicut eſt in *ſpiritu vitrioli* communi, aut *ſulphuris* per cam

campanam, *fixum* rurſus, & *craſſum* relinquatur. Quæ *profecto* demonſtratio denuo vere & pure *apodictica* eſt, exhibens tum *a priori*, manifeſtiſſimam ſpiritus huius *geneſin*, tum *a poſteriori*, ſimilem prorſus eiusdem *analyſin*.

§. XXII. Quibus quidem circumſtantiis adhuc accenſeri meretur eximia illa differentia *aciditatis*, quæ in vtroque ſtatu huius ſpiritus adeo inſignis obſeruatur, vt in ſtatu ſuo primo, nudo, vt ſpiritꝰ vitrioli *vulgaris*, adeo ſumme *corroſiuus* exiſtat; in hoc *volatili* ſtatu, adeo omnis corroſionis, imo propemodum vniuerſæ *aciditatis*, expers ſentiatur, ut vix pro *acido* ſapor eius agnoſci poſſit, ſed tantum *acerbitatem* quandam morſicantem, guſtui offerat, eine bremſende/ bitzlende Hertzigkeit; qua occaſione vtique inſignis illa *differentia*, organorum *guſtus & olfactus* ſeſe exerit, ſub qua quidem *guſtum*, vtpote multo crasſiorem, hoc ipſum noſtrum *volatile* tenerrimum *acidum*, vix leuisſime perſtringit; *olfactum* vero vtique exquiſitiſſime ferit.

§. XXIII. Habet vero ad reliqua *acida* illam proportionem, vt cum in ſua *natiua* craſſiore, fixiore, textura, (vt ſpiritus *vitrioli* vel *Sulphuris vulgaris*,) aliorum quorumlibet *acidorum potentiſſimum* ſit; in præſente ſuo *volatili* ſtatu, tum a *nitri*, tum a *ſalis communis acido*

do, facile ſuperetur, interim tamen *aceti* acido notabiliter fortius ſe gerat, licet hoc, *aceti* acidum, *guſtui* longe acidius & fortius ſeſe offerat.

§. XXIV. Experimentum ipſum traditum iam eſt in *obſeruationibus Chymico-Phyſ. Menſ. Auguſti p. 99.* verbis: *poteſt idem ſpiritus volatilis mox in compoſitiones ſalinas transſumi, ſi alcali fixum aut volatile eodem perſumetur, vbi non modo prompte, ſed etiam copioſe, vtriuis inſinuatur.* Eſt vero ibi ſermo de *ſulphure* accenſo, *ſpiritum* hunc ita elargiente; quem, vt habet titulus illius capitis, *eundem* eſſe cum illo, qui e *vitriolo* volatilis fit, denuo deducere, ſuperuacaneum arbitror. Modus vero capiendi hunc, præſcriptus ibi quidem eſt *triplex* etiam alius; ſed & *operoſus*, & valde *parcus*, ſi attendatur inſignis illa quantitas, quæ ſub talibus operationibus *in aërem* diffugit. Hic vero vltimus eſt locupletisſimi plane prouentus, modo dextre inſtituatur operatio.

§. XXV. Experimentum, quo demonſtratur, quod hic *volatilis* ſpiritus, genitus ſit e *fixo*, quod alias in *ſulphure* eſt, *acido*, conſiſtit in eo, quod hac ipſa operatione, e ſulphure hic quidem *volatilis* redditus ſpiritus in *maxima* quantitate ita obtineatur: *fixioris* vero ne veſtigium, in hoc inde nato compoſito

ſito ſale, ſeſe offerat. Cum enim illud *ſal medium*, quod e *fixiore acido ſulphureo-vitriolico & alcali fixo* coaleſcit, ad *cryſtalliſationem* admodum procliue exiſtat, & e peculiari *figura cryſtallorum* facile diſcerni poſſit: in ſale tali per *accenſionem ſulphuris* ita præparato, nulla penitus micula aut corpuſculum tale cryſtallinum, imo ne vnicum quidem ſolum, reperitur, ſi modo mature & dextre inſtituta ſemel ſoluti ſalis *euaporatio*, ad tentandam cryſtalliſationem, tempeſtiue perficiatur.

§. XXVI. Ne quis tamen ſibi imaginetur, quaſi potius *fixior* ille ſtatus huius *acidi*, aliquid a propria eius indole alienum eſſet, & hæc potius *volatilitas* magis primigenia eidem exiſteret; en *aliud experimentum*, non minus curioſum. Diſſoluatur *ſal* hoc noſtrum, *volatili acido ſpiritu* turgidum, in aqua pluuia, vel quacunque tandem alia, *ſolutio* clara immittatur in vitrum capax, colli etiam anguſtioris, ea ſaltem quantitate, vt vix *tertiam partem*, aut adhuc multo minus, expleat: vitrum obligetur ſiue ſimplici charta, ſiue etiam veſica: ſeponatur ita quorſum placet, per *tempus* paulo *longius*, aliquot ſeptimanarum, imo menſium: ita ſucceſsiue coaleſcet *ſal* tale *album anguloſum*, & quidem, ſi quietum manſerit vitrum, circa ſuperficiem liquoris, ſenſim demum ad fundum delabens:

colligetur vero huius ſalis tanto plus, imo plurimum, quo diutius ita ſteterit. Sal hoc eſt ipſiſſimum illud, *fixum* ſulphuris *acidum* ſpiritum iam continens, nempe dodecaëdrum, amarum, ponderoſum, in aquis difficilius ſolubile, cum *carbonibus in ſulphur* denuo coaleſcens, quale videlicet ex *acido fixiore* ſpiritu ſulphuris aut vitrioli, cum *fixis alcalibus* maritato, prognaſci ſolet. Noſter vero *volatilis* ſpiritus, cum *carbonibus* non coaleſcit denuo in *ſulphur* immediate, quod notandum.

§. XXVII. Enchiriſeos huius *ratio* in eo conſiſtit, quod hac methodo materia illa φλογιστὸς ab ipſo *aëre* ex hac ſalina mixtione iterum diripiatur; dum ipſum ſal in aqua diſſolutum & ab hac agitatum, non ſolum valde tenuiter impellitur, ſed etiam tanto magis occaſionem præbet, vt *aër* minimas eius particulas per minima plane diſſolutas attingere, iisque hunc effectum, nempe φλογιστοῦ avulſionem a ſalina ſua parte, quæ fixo alcali tenacius connexa eſt, impingere posſit; Pari ratione, ac in *ſulphure* ipſo videmus, quomodo *ignis* & *aër* hanc φλογιστὸν portionem, ibi adhuc craſſius compactam, & craſſiori *fixiori acido* innexam, ſimili ratione educat, de quo *menſe Iulio* prolixius actum eſt p. 39. Vnde quidem hoc ipſum negotium,

φλο-

φλογιςὸν ab hoc *acido* volatili quoq; , iterum ſeparandi, adhuc felicius ſuccedit, ſi ſolutio illa in vitro *orificii* magis *patuli*, plane non obtecto, ſuſcipiatur; ſed quia ibi naſci poſſet dubium, quaſi hæc reſtitutio in eiusmodi fixiorem conſiſtentiam, potius acceſſio quædam *acidi* in aëre hoſpitantis eſſet, vſi ſumus propterea allegata hac methodo; quandoquidem *acidas* tales particulas, & præcipue quidem *fixiores* ſeu crasſiores, tanta copia hic per veſicam in vitrum penetraſſe, nemo forte facile ſibi perſuaſerit. Quid, quod vel hoc ipſum experimentum facile ita inſtitui poſſit, vt in *duobus* vitris capacis orificii, æqualis menſura liquoris libero aëri ita committatur, videlicet in altero vitro de hac *noſtra ſolutione*, in altero de *ſolutione alcali ſimplicis*, imo ejusdem, quale ad noſtrum ſal parandum adhibitum fuit. Ita facile apparebit, è quonam horum plus huiusmodi ſalis medii ſeu acido ſaturati prognaſcatur.

§. XXVIII. Enchiriſis autem pro parando noſtro *volatili-fixato* ſale, a nobis duplex adhibetur, vt valde parum eius elabi queat, quin *fixo* adhibito alcali irretiatur. Imbuimus nempe linteamina aliquot ſaturatiſſimo quodam lixivio alcalino, vel *oleo*, vt vocant

cant, *per deliquium* parato alcalico, ad eum tamen modum, vt ſtillare non poſſint. Hæc diſtribuimus in aliquot vaſa *ſublimatoria* ſeu *Aludel*, ita diſponendo, vt *fumus* exhalans *ſulphureus*, ipſa quantum poteſt vndique perreptare queat: Collocamus deinde *minora crucibula* duo vel tria, cum ſulphure pulveriſato ſub infimo Aludel, & accendimus per ellychnium, qua quidem methodo *duæ* vel *tres drachmæ* hujus, facile ad *horam unam & dimidiam*, imo alteram ardent. *Spiritus* vero, qui ita *fumi* forma ab illis exit, inſinuat ſe in alcali illud, quod inde ſaturatum *ſiccefcit*; ſi vero plus quam ad neceſſitatem acidi hujus imbiberit, *molleſcit* adhuc, & tendit fere magis ad ſubhumidam conſiſtentiam: ita vero *locupletatum*, *efferveſcit* deinde, ſi ipſi denuo aliquid novæ ſolutionis *alcalicæ* affundatur, quia revera plus hujus *volatilis acidi* ſeſe hic infigit, quam nude ad exquiſite ſatiandum alcali neceſſarium erat.

Recipio etiam *manicas* eiusmodi Hippocraticas, ſiue *ſacculos conicos* linteos, lixivio illo imbutos, quibus vnum tale crucibulum ſuppono: quo *languidius* enim conſumitur ſulphur, eo melius procedit negotium.

§. XXIX. *Reſuſcitationis*, qua hic ſpiritus *volatilis* ab alcali ipſi affixo iterum *liberatur*, vt in propria ſua *volatili* conſiſtentia emerget

gat, fundamentũ conſiſtit in illa energia ſpirituum *acidorum fortiorum* in *ſal alcali* fixum, præ hoc *volatili*; quod quidem iam dum apud *Glauberum*, imo *Keslerum*, hic illic indigitatum habetur, apud illos vero, qui Chymiam ſcientificam quam plurimum oſtentant, ſane ita, vti meretur, cognitum hactenus non repertum eſt. Dum itaque *fortiora* hæc *acida*, ſali noſtro affuſa, *alcali* eiusdem invadunt, excutitur eo ipſo debilius noſtrum *volatile* acidum, vt quidem iam alibi, *Menſ. Februar. p. 400.* notatum eſt. Profecto, ſi hæc res ſatis cognita hactenus & penſitata fuiſſet, non laboraſſent tam operoſe & tædioſe viri curioſiſſimi.

§. XXX. Ita enim ex literis a *Dn. Ioh. Samuele Carl*, Medicinæ Licentiato, rerum Phyſicarum atque Chymicarum, iuxta cum arte Medica, feliciſſimo & ſagacisſimo cultore, cui experimentũ hoc, dum hic Halis nobis cum viveret, ediſſeruerã, ante paucos dies *Oeringa* ad me perſcriptis, certior fio, Celeberrimum *Papinum*, curioſiſſimis ſuis inventis erudito orbi commendatiſſimum, occupatum hactenus fuiſſe in *ſpiritus* huius *volatilis* captatione, eamque *vitris* quibusdam in longam ſeriem diſpoſitis, per follis afflatum promota, inſtituere atque obtinere.

§. XXXI. Vbi quidem in mentem venit ſimile propoſitum a *Roberto St. Clair*, & ex

hoc

hoc in *Actis Lipſienſibus* A.1698. p. 222, inſinuatum: niſi quod hic poſtremus, ſi, iuxta verba allegatorum actorum, *oleum ſulphuris per campanam* alias quæri ſolitum, *fixius* nempe illud, & ſumme *corroſiuum*, intelligat, impeditiorem ſane ſic habeat ſucceſſum, niſi *quantitas ſulphuris & flammæ recte proportionata* adhibeatur.

§. XXXII. Cum vero dicta Epiſtola ſimul notet, Dn. *Papinum* hac methodo e *libra una ſulphuris*, *par pondus ſpiritus* promittere, intelligendum illud vtique arbitror eſſe, de *aquoſiore* paulo ipſius ſtatu; [ſicut in *aquam præſuppoſitam* ſubmergendo, eundem capesſit) de nudi enim ipſius, ſeu *rectificati* pondere intelligi vix poſſe, tum ex aliis circumſtantiis, tum illa præcipue, perſuaſus ſum, quia ſub hac operatione, aliquod vtique aëris vlterius, præter *follem*, commercium expectante, non parum *volatilis* iſtius halitus in auras ſeſe ſubducit. Vnde quidem in noſtra operatione, in qua *concentratiſſimus* præſto eſt hic *volatilis* ſpiritus, haud paulo commodior fuerit eiusdem obſeruatio.

§. XXXII. Erit fortaſſis alias occaſio hoc penitius examinandi, nempe quidnam de *ponderoſitate* illius ſpiritus in mixtione hac *volatili* conſtituti, obſeruandum occurrat, &

quæ-

quænam eius, in comparatione ad ſtatum ſui *fixiorem*, hic ſubſit differentia.

§ XXXIII. Placet, antequam hæc finiamus, mentionem facere *volatilis* quoque *ſalis communis* ſpiritus *extemporanei*, qui, ſpectaculo etiam iucundo, *nebuloſi* fumi facie, cito & late ſe diffundit.

§. XXXIV. Cum ante tempus annuum fere *ſal mirabile Glauberi* paraturus, ſimul *ſpiritum ſalis concentratum* ſuſcipere vellem, nolui *ſal commune aqua* prius valde diluere, ſed leviter *humectato*, affudi mox *oleum vitrioli*, in retorta vitrea aliquantum *calefacta*, quia notabilis incaleſcentia hunc concurſum inſequitur. Ita mox ab affuſione *olei vitrioli*, ſub impetu effervefcente, qui ſic cooritur, *nebulæ* copioſiſſimæ conſurrexerunt non modo, ſed etiam, in retorta ſufficiens ſpatium non adeptæ, ex eadem eruperunt in apricum conclavis aërem, ibique craſſiore, quam primò apparebant, *fumoſa* conſiſtentia ſeſe exerentes, viſui valdè conſpicuam *nebulam* formauerunt. Appoſito vero mox pro receptione ſui alio quodam vitro, prodiit quidem adhuc aliqua quantitas, ſed revera minime ita inſignis, ſubſequente denique *ſpiritu ſalis* craſſiore, qui tamen ipſe quoque libero aëri expoſitus, ſed non adeo exquiſite, fumat.

S §. XXXV.

§.XXXV. Paucis diebus interjectis, laborem eundem repetiturus, dum *oleum vitrioli* in vitro *unciam* ejus exacte capiente admetior, & denique ſepoſito aliquantiſper hoc vitro, in eodem aliqua portio olei adhuc ad fundum colligeretur, iniicio huic aliquot granula *ſalis communis* humeſcentis: aſſurgunt hinc *fumi*, cum efferveſcentia etiam olei, tam copioſi, ut ex ipſo vitro *exhalantes* in aërem divagarentur: quos dum oris *afflatu* diſſipare ſuſcipio, conſpicio quolibet flatu longe maiorem illorum copiam ſimul & ſemel comparere.

§.XXXVI. Accipio denuo *olei vitrioli* quantitatem ad duarum drachmarum pondus, quibus aliquot grana *ſalis communis* adiiciens, vapores hos magna rurſus copia provenire cerno; qui quidem etiam per ſe ita leniter effumabant: adhibito vero oris *flatu*, vel etiam *follis* leniſſimo afflatu, longe copioſius, & evidentius ſeſe exſerebant.

§. XXXVII. Habent hi fumi hoc peculiare, quod non pro more *ſpiritus vitrioli*, aut *ſulphuris volatilis*, ſpiritus *nitri volatilis*, ſpiritus *urinæ*, *inviſibiles* in aërem diffundantur: ſed præbent hi *ſalis communis volatiles ſpiritus*, ſupra notatum illum inſolitum plane conſpectum, ut conclave, in quod ita difflantur, vera *nebula*, non modo *viſibili*, ſed inſuper etiam *durabi-*

bili, repleant: adeo, vt *duabus drachmis* olei vitrioli, & ſubminiſtrato ſucceſſive ſufficiente *ſale*, dextre inter ſe coagitrando, & aërem ita vti neceſſe eſt ſubminiſtrando, mediocre Hypocauſtum ita *nebula* repleri poſſit, vt qui illud paulo poſt ingreditur, *nebuloſum* illum vaporem ſpiſſum, primo mox intuitu diſcernere poſſit. Vbi nempe illa intercedit differentia, quod *Vitrioli* & *Sulphuris* quidem *volatiles ſpiritus*, cum *vrinoſo* ſpiritu ita iuxta ſe inuicem diſpoſiti, vt alterius exhalatio alterum contingere poſſit, ſimiliter plane *viſibilem fumum* forment. Hic ipſe vero fumus apparet ſolum ex *nigro gryſeus*, imo *glaucus* & *cæſius*: Sicut etiam adhuc *albidioris* coloris eſt, qui e *ſpiritus nitri*, & *vrinoſo volatili* halitu ſalis armoniaci, iuxta methodum a Dn. *Kunckelio* iam olim tactam, conſpectui ſeſe offert: Hic vero, qui dicta methodo e *ſale communi* producitur, colorem habet reuera *nebuloſum*, *obſoletum*, & e *gryſeo ſubfuſcum*. Cumque omnes reliquorum *fumi*, mox in aëre *pereant*, hic contra diu durat & perennat.

§. XXXVIII. Innotuit ante annos circiter ſedecim, *fumans* ille *ſpiritus*, cuius deſcriptionem autor triginta experimentorum non inelegantium, ſub titulo: *Sol ſine veſte*, & non ita multo poſt *D. Caſſius* Tr. *de Auro*, admodum elegante, propoſuerunt: hic ipſe vero

poſtremus, veſtigia ejus iam ex ipſo *Libavio* ſibi primo obveniſſe, profeſſus eſt. Qui quidem, ſicuti ſimiliter *ſali communi* originem ſuam debet, e *Mercurio ſublimato* parandus: ita differt tamen ab hoc in eo, quod non nihil adhuc de *Mercurio* participet, ſi præſertim (vt fieri quidem non magis ſolet, quam propemodum oportet;) igne *arenæ* propulſus fuerit.

§. xxxix. Notum vero ſimul eſt, quibus *difficultatibus practicis*, huiusce ſpiritus præparatio vexetur, & cum inſimul hanc *mercurialem* quoque heterogeneitatem adhuc involuat, poterit ſane ille noſtra imitatione præparatus, magis *ingenui* huius ſpiritus *indoli*, adeoque etiam efficaciæ propriæ, perquirendis, commodius adhiberi.

§. xl. Datur etiam *ſpiritus* quidam *ſummę volatilis* e *Nitro*, qui in auram temere admiſſam, paucis momentis diffugit; dum vero aquæ adhuc immerſus eſt, hanc ſaturatiſſimo *cyaneo colore* imbuit: ſimul atque vero in aërē dimiſſus eſt, hanc pure *limpidam* relinquit: ſed non placet nunc de illo prolixum eſſe, ſed eundem potius alii occaſioni reſervare: Sicuti contra *fixior nitroſus concentratiſſimus ſpiritus* obtinetur: ſi nitrum cum *oleo vitrioli* deſtilletur, aqua nulla præpoſita, qui ſpiritus,

tus, *exæſtuando* cum rebus variis, ſingularem energiam exſerit.

OBSERVATIO XIX.
DE SCHOLIS ANTEDILVVIANIS.

SVMMARIA.

Methodus dicendorum. §. I. *Bechmanni ſententia de informatione liberorum in ſtatu integritatis reiicitur. Lutheri locus pro contraria ſententiâ*. §. II. *Fabulæ piæ Lutheri de concionibus Adami in ſtatu integritatis*, §. III. *Præiudicium commune conceptus de moribus antiquis ſecundum ſtatum præſentem. Contorta item expoſitio ſcripturæ Reformatoribus etiam non infrequens adaptata ad næuos adhucdum ex Papiſmo ſuperſtites*. §. IV. *Sententia Doctorum, etiam Proteſtantium, d. Scholis Antediluuianis, Libro Enochi, & columnis Sethianis*, §. V. *item de differentiâ Catechismi ante lapſum & poſt lapſum, de conuenientia Catechiſmi Adami cum Catechiſmo Lutherano, de concionibus Adami poſt lapſum, de ſchismate primo in Eccleſia Adami inter Cainum & Abelem, de prima controuerſiá ſuper juſtificatione per fidem an per bona opera, de concione Dei ad Cainum ſuper juſtificatione per fidem, de Schola Caini, oppoſita ſcholæ Adamiticæ, de*

concionibus Enoſi &c. §. VI. *Diſſenſus ſcriptorum de autoribus primis artium liberalium & Philoſophiæ; ſumma præiudiciorum ab autoribus iſtius ſententiæ commiſſorum,* §. VII. *ſcholas Patriarchales non probari ex eo, quod Moſes non omnia retulerit, quæ Patriarchæ dixerint,* §. IIX. *Adamum nec ante lapſum nimis ſimplicem, nec poſt lapſum ruſtice rudem, nec tamen etiam doctorem primum omnium facultatum & artium fuiſſe.* §. IX. *Exempla alia doctrinarum abſurdarum ex nimio ſtudio contradicendi. Gentes bene ſubſiſtere poſſe ſine vſu ſcripturæ & literarum.* Ibidem in notis. *Litterarum & ſcripturæ vſum ante Moſen non fuiſſe. Refutatur fuſius fabula de columnis Sethianis, & oſtenditur origo fabulæ.* §. X. *Librum Enochi eſſe ſuppoſititium.* §. XI. *Notatur Bangius.* Ibidem in notis. *Oſtenditur fabula de Catechiſmo Adami. Pfeifferi Panſophia Moſoica,* §. XII. *item fabula de controverſia inter Abelem & Cainum de juſtificatione per fidem aut bona opera, ejusque origo,* §. XIII. *item fabula de reſtauratis per Enoſum concionibus Patriarchalibus.* §. XIV. *Noſtra ſententia de ſapientia Adami ante & poſt lapſum,* §. XV. *de conditione liberorum Adami nullis ſcholis & nulla Catechiſatione opus habente, deque Cultu Dei ſimpliciſſimo, ac de fide eorum & bonis operibus,* §. XVI. (*origo Præcepti de Sab-*

Sabbatho & ſacrificiis demum a Moſe. Ibid. in not.) *denique de origine Reipublicæ, Scholarum item publicarum & concionum in Secta Cainica, & harum ſcopo.* §. XVII.

§. I.

CUm ſupra euidenter oſtenderim, ſcholarum tantam neceſſitatem non eſſe, vt vulgo iactatur, ordo nunc poſtulat, vt ex hiſtoriâ iam in originem & progreſſum Scholarum inquiramus, vt appareat, vnde & quo tempore ſcholæ in ſtatu hominis lapſi originem ſumſerint, quo poſtea ſuo loco eo melius de iure principum circa emendandos ſcholarum næuos progredi poſſimus. Namque is demum medicus iuſta methodo ad curandos &, ſi fieri poteſt, radicitus tollendos morbos progreditur, qui veram eorum originem perſpicue & diſtincte agnouit. Atque eo maiori cura & cautione in inveſtiganda vera ſcholarum origine erit opus, quo inſigniores næui in eius recenſione etiam a Scriptoribus magnæ auctoritatis hic committi communiter ſolent.

§. II. Quamuis enim ſupra oſtenderimus, ſcholas ad defectus ſtatus poſt lapſum pertinere, cum homines in ſtatu integro à natu-

ra fuiſſent ſapientes, non deſunt tamen ex noſtris, qui ſi non ſcholas prout à nobis deſcriptæ ſunt, tamen propriorum liberorum informationem ſupponunt. Huc pertinent, quæ diſſerit Fridem. Bechmannus *in annot. ad comp. Hutteri loc. 6. qv. p. 183. Sane* inquit, *ſi homo in ſtatu integritatis perſtitiſſet, & liberos genuiſſet, dubium non eſt, quin eos educaturus & informaturus fuiſſet, neque enim liberi nati fuiſſent perfecta ſtatura & cum pleno rationis vſu) hoc vero ſine dominio & poteſtate in liberos non potuiſſet fieri. Deinde filius natura obedire tenetur patri, & hoc factum eſſet etiam, in ſtatu integritatis. Si verò filius obediviſſet patri, Pater vtique in ipſum habuiſſet poteſtatem & dominium. Denique dubium non eſt, quin futuræ fuiſſent ſocietates inter homines, ſi in integritate perſtitiſſent, hæ vero ſine ordine inter imperantes & ſubditos, adeoque ſine dominio conſiſtere non poſſunt. Imperans igitur habuiſſet dominium & poteſtatem in ſubditos, ſed ſine vi & coactione, ſine inflictione pœnarum, quia in ſtatu integritatis nulli fuiſſent Legiſlatores.* Qui locus, vti in contradictionibus quibusdam ex communi doctrina noſtrarium, de ſtatu integro cum obedientia hominibus præſtanda coniuncto, de imperio ſine vi & coactione, eſt fundatus, adeoque multis ſententiis veritati repugnantibus eſt repletus, ita breuitatis

tis ſtudio nos referimus ad ea, quæ iam in *Inſtit. Iuriſpr. diu. lib.1. c.2.§.29. vsque ad 38. iunct. lib.3.c.3.§.35. ſeq.* de his & ſimilibus præiudiciis diximus. Rectius Lutherus *in comm. ad Geneſ. c.1.t.36. Si Adam perſtitiſſet in innocentia, neutiquam fuiſſet opus admoneri poſteros de ſua origine. Sicut non opus fuit, vt admoneretur Adam de conditione Heuæ ſuæ, ipſe ſtatim, cum eam intuetur, agnoſcit, quod ſit os ex oſſibus ſuis, & caro ex carne ſua. Talis cognitio ſui & aliarum creaturarum manſiſſet etiam in poſteritate Adæ. Omnes ſtatim animaduertiſſent finalem & efficientem cauſam, de quibus nunc nihilo plus ſcimus, quam ipſæ pecudes.*

§. III. In eo tamen non ſibi conſtat Lutherus, quod conciones ſeu ſpecies ſcholarum in ſtatu integritatis ſtatuat. *Si Adam*, ait, *ad Geneſ. 2. capuis verba: Lignum etiam vitæ in medio &c. non eſſet lapſus, fuiſſet arbor ſcientiæ boni & mali, ceu commune templum & baſilica quædam, ad quam homines confluxiſſent. Sicut poſtea in corrupta natura certus locus cultui diuino deſtinatus eſt, tabernaculum & Hieruſalem.* Et poſtea ad verba: *Ex omni ligno Paradiſi &c. Hæc arbor ſcientiæ boni & mali fuiſſet Eccleſia, ad quam Adam cum poſteritate ſua die ſabbathi conueniſſet, & poſt refectionem ex arbore vitæ, prædicaſſet Deum, & laudaſſet eum pro tradito dominio omnium creaturarum ſuper terram:*

Prædicaſſet Adam ſummum beneficium, quod eſſet cum poſteritate ſua conditus ad ſimilitudinem Dei. Hortatus eſſet, vt ſancti & ſine peccato viuerent poſteri, vt operarentur fideliter in horto, ac cuſtodirent eum diligenter, vt ſummo ſtudio cauerent ſibi ab arbore ſcientiæ boni & mali. Hunc externum locum, ritum, verbum, cultum habuiſſet homo, poſtea rediiſſet ad operationem & cuſtodiam, donec præfinitum tempus impletum eſſet, quo eſſet translatus in cœlum cum ſumma ſuauitate. Quæ fabulæ quamuis ob piam intentionem excuſationem mereantur, non tamen opus erit, vt tempus in earum refutatione conſumamus, cum aperte repugnent perfectioni humani generis in ſtatu integro.

§. IV. Scilicet eo præiudicio videtur laboraſſe B. Lutherus, quod adhuc valde frequens & commune eſt, vt quisque de rebus abſentibus aut præteritis imaginem ſibi formet ſecundum res præſentes. Ita & Lutherus de primæuorum hominum ſtatu ideam quandam ſibi imaginatus eſt ſecundum ſtatum ſuorum temporum, cum tamen potius in examinanda antiquitate & moribus peregrinis, quilibet reſpicere debeat ad ſtatum hominum, quorum mores deſcribit, & inde differentiam morum populi & temporis, ſub quo viuit, notare. Adde, quod Lutherus aliique reformatores Papatus in ſcriptis ſuis

ſubin-

ſubinde ſaltem id agant, vt in iis punctis, in quibus a Papatu receſſerunt, obſeruent doctrinam ſuam conuenire cum antiquitate Patriarcharum & primæuorum Chriſtianorum: in iis autem moribus, qui haud dubie corruptam naturam hominum qua talem autorem agnoſcunt, atque a Papatu ex paganiſmo in Chriſtianiſmum introducti ac ſtabiliti ſunt, (quorum adhuc infiniti ex hiſtoria Eccleſiaſtica monſtrari poſſunt & tamen a Luthero & aliis Reformatoribus intacti remanſerunt) iſti Reformatores primi, vt de puritate doctrinæ omnibus numeris abſoluta gloriari poſſent, omnem operam dederunt, vt illos ex Antiquitate vel Veteris vel noui fœderis deducant. Quo pacto aliter fieri haud potuit, quam vt fere ſemper contortæ & regulis bonæ interpretationis repugnantes expoſitiones textuum Scripturæ Sacræ fuerint adhibitæ.

§. V. Quare nec mirandum, quod de origine ſcholarum poſt lapſum ſimiles fabulæ fuerint confictæ & ad poſteros, fere vt articuli fidei, propagatæ. Cuius rei vt aliquod ſpecimen demus, age in ſummam contrahamus opinionem communem de origine ſcholarum & concionum in temporibus antediluuianis. Ita vero docent. Poſt lapſum Adami ſcholam ſtatim eſſe inſtitutã,,

pri-

„ primo domeſticam in domo Adami, in qua „ liberi Adami de fide & de naſcituro Meſſia „ fuerint informati: Deinde Nationalem fuiſ- „ ſe ſcholam, ſeu in certa familia tempore Se- „ thi, quo nomen Jehovæ publice prædicari „ & invocari cœptum ſit. *Gen. 4. v. 25.* quæ iti- „ dem invocatio præſupponat informatio- „ nem & congregationem, in qua explicata „ fuerit promiſſio de venturo ſemine & ho- „ mines pietatis ſint admoniti. Nullum igi- „ tur eſſe dubium, breuiora doctrinæ capita „ a Moſe in ſcripturam relata, plenis in con- „ cionibus patriarchalibus fuiſſe explicata. „ Quis enim ſtatuere vellet, bis mille anno- „ rum ſpatio plura a Doctoribus non fuiſſe „ dicta, quam quæ primis Geneſeos capiti- „ bus continentur? Igitur extra omnem du- „ bitationem eſſe, ante diluuium ſanctorum „ Patrum ædes ſeu domos aliud nihil, quam „ ſcholas pietatis & bonarum literarum fuiſſe „ & ab Adamo vsque ad Noæum & transacti „ diluuii tempora ſanctos patres doctorum „ munia apud domeſticos & alios non tan- „ tum in rebus & doctrinis ſacris, ſed & in „ Philoſophia, & inprimis quoad aſtrorum „ curſus & ſiderum motus ſuſtinuiſſe. Fuiſſe „ enim Adamum primum inuentorem lite- „ rarum, primum Aſtrologum, primum „ Grammaticum, primum Philoſophum, pri-

„ mum

mum Medicum, primum Theologum. Veriſimile etiam eſſe, quod Hiſtorici & imprimis Joſephus *lib. I. Antiq. c. 2.* referant, Sethum cum ſua poſteritate virtutis ſtudio ſe dediſſe, & ſideralem ſcientiam tum excogitaſſe, tum excitatis columnis eiusdem conſequendæ hominibus copiam feciſſe, atque excitaſſe homines, vt rerum cœleſtium naturam perſcrutarentur, & in mirabili illo aſtrorum curſu inquirendo, multum ſtudii ac diligentiæ ponerent. Imo Patriarchas ante diluuium diu literas habuiſſe etiam ex eo conſtare, quod Enoch librum de rebus naturalibus, & angelorum natura conſcripſerit, cuius authoritate Iudas Apoſtolus vtatur, quem etiam Auguſtinus *de civit. Dei lib. 15. c. 38.* defendat, & hactenus in Æthiopum regia Bibliotheca Guilhelmo Poſtello Auctore aſſeruetur. Deinde quia Adam prædixerit, fore, vt aliquando aqua, aliquando ignis, propter hominum peccata omnia prorſus euerterent, idcirco nepotes eius duos ex diuerſis materiis columnas extruxiſſe, in iisque obſeruationes Aſtrologicas inſcripſiſſe, vnam ex lateribus quæ igne, alteram ex lapidibus quæ aqua conſumi non poſſet. *Vid. Ioh. Giſenius in Vita Ad. diſp. 1. th. 29, 30. Wilh. Lyſerus in Trifolio veræ Relig. V. T. Adamiticæ, Abrahamiticæ & Iſraeliticæ iuxta*

ta vniſolium religionis Lutheranæ diſp. 1. th. 13.
" *Petrus Heigius quæſt. Iuris part. 2. qu. 11. n. 22.*
" *Rudolph. Hoſpinianus de orig. templ. lib. 3. cap. 5.*
" *f. m. 348. Petrus Lambecius prodr. Hiſtor. liter.*
" *f. 5. 7. 44. 58. 59. 60. 133. 134. 173.*

" §. VI. Porro docent: Ante lapſum Cate-
" chismum fuiſſe facilem, vnicum enim ad-
" fuiſſe præceptū de non comedendis fructi-
" bus ex arbore ſcientiæ boni & mali: In reli-
" quis mentem ita fuiſſe illuminatam, vt non
" opus fuerit inſtitutione, doctrina vel libris,
" ſed Adami verba pro Dei verbis fuiſſe habi-
" ta. Poſt lapſum vero obtenebrata mente,
" Catechiſmum longe difficiliorem fuiſſe fa-
" ctum, & non tantum præcepta fuiſſe aucta,
" ſed & acceſſiſſe doctrinam de peccato, de
" pœnitentia, de Euangelio, de cruce, de
" morte, de vita æterna. Et hæc omnia eo-
" dem modo fuiſſe tradita, quo hodie propo-
" nuntur. Ex educatione etiam Abelis & Cai-
" ni, & quod Abel ſit factus paſtor ouium, Ca-
" in vero Agricola, patere, quod Catechiſ-
" ſmus noſter concordet cum Catechiſmo
" Adami, non tantum in rebus fidei, ſed eti-
" am in Tabula Oeconomica. Porro Moſen te-
" ſtari, quod primi parentes docuerint ſuos fi-
" lios ſacrificare: Hunc enim fuiſſe ipſorū Ca-
" techiſmum ſecundū quē in monitis Domi-
" ni ſint inſtituti. Quod vero Deus hanc in-
" ſti-

ſtitutionem præceperit, etſi Moſes non me- »
moret, ex eo patere, quod Paulus teſtetur, »
fide Abelem vberiorem hoſtiam Deo obtu- »
liſſe, quam Cainum; Vnde vero illam fidem, »
niſi ex auditu verbi? Quomodo vero audi- »
re potuerint ſine prædicante. Non autem »
docuiſſe Adamum eos tantum mactare vi- »
ctimas, ſed & ab eodem præcipua doctrinæ »
chriſtianæ capita in ſacrificiis fuiſſe expli- »
cata de Deo conditore cœli & terræ, de cul- »
tu Dei externo & interno, de peccato & e- »
ius expiatione per fidem in Chriſtum &c. »
quæ omnia exacte conueniant cum doctri- »
na noſtra. Statim vero poſt emancipatio- »
nem Caini & Abelis vnicam illam & ſan- »
ctam Adami Eccleſiam primo ſchismate re- »
ligionis in duas quaſi ſectas ſciſſam fuiſſe, »
eoque graui & acerbo: der Ketzer Haß / »
kein ärgerer nie was. Scilicet Abelem »
fide iuſtificari voluiſſe Cainum autem »
infidelitate laboraſſe, & propter ſua »
opera voluiſſe placere Deo. *Hebr.* XI. *v.* 4. »
Deum autem approbando ſacrificium Abe- »
lis, decidiſſe hanc controuerſiam pro fide A- »
belis, atque ob id Cainum iratum fuiſſe, do- »
nec Abelem occideret, quia non potuerit »
ferre, quod reiecta ſit iuſtitia ſuorum ope- »
rum, cum tamen potius Deo gratias agere »
debuiſſet, quod ab operibus ad fidem remit- »
te-

teretur. Referri igitur poſtea *Geneſ. c. 4. v. 6.*
" *& 7.* concionem Dei ad Cainum hunc ſchi-
" ſmaticum, quæ tribus membris conſtet 1. de
" pœnitentia, 2. de juſtificatione, 3. de peccato
" mortali & veniali. Etenim verba Dei: *Si be-*
" *ne egeris, erit venia* non loqui de juſtitia ope-
" rum, ſed *τὸ benefacere* idem hic ſignificare
" quod apud paulum *τὸ iuſtificatum eſſe*, & per
" vocem *leuationis* intelligi *leuationem peccati*,
" vt ſenſus ſit: *Si benè egeris, erit venia vel leua-*
" *tio* i. e. *ſi iuſtificatus ſis per ſidem in Chriſtum,*
" *habebis remiſſionem peccatorum.* Cainum vero
" hæc omnia contemnentem inſtituiſſe ſcho-
" lam nequitiæ & ſcelerum, ſcholæ Adamiticæ
" oppoſitam, in qua inuentæ & aliis traditæ
" ſint omnes artes vel ſcientiæ ſeculares, lite-
" rales, ſiue mechanicæ, vel phyſicæ, humanæ
" curioſitati deſeruientes. Hinc & referri
" *Gen. IV. v. vlt.* quod tempore Enoſi cœptum
" ſit inuocari nomen Domini. Cum nempe
" per malitiam Caini cultus Dei fuiſſet negle-
" ctus, eo tempore rurſus ſuſcitatum & altario-
" lum quoddam extructum fuiſſe, ad quod
" conuenerint ſancti, vt audirent verbum Dei
" & orarent. Et non eſſe dubium, quin Enos
" multis verbis explicauerit doctrinam de
" cauſa peccati, de corruptione naturæ, de re-
" gno Diaboli, de redemtione & de fide in Me-
" diatorem &c. Non tamen deſcriptos fuiſſe
" apud

apud Moſen prolixas eius conciones, quia breuis illa ſumma de promiſſo filio Dei tanquam Canon & regula fuerit, imo fons totius illius doctrinæ, quam Enos ſuis propoſuerit. Ergo nihil aliud annotaſſe Moſen, quam breviſſimas ſummas, quibus Deus promiſſionem de Mediatore repetita patefactione illuſtrauerit ad Abrahamum, Iſaacum & Iacobum, *Geneſ. XII. 3. XXII. 18. XXIIX. 14. XLIX. 10. Vide Polycarpi Lyſeri Adamum p. 347. 358. 362. 363. 368. 375-379. 382-392. Lutheri Gloſſam interlinearem ad Geneſ. IV. v. vlt. Martini Chemnitii præfationem ad Locos Theologicos de vſu & vtilitate Locorum Theologicorum, ab initio. Hoſpinianum de Templis d. fol. 348.*

§. VII. Iam vt taceamus *doctrinam* hanc communem initio qnoad intentionem diſciplinarum, ad cognitionem creaturarum & artificia pertinentium, *parum ſibi cohærere*, dum ab aliis *Adamus*, ab aliis *Sethus*, ab aliis *Caini poſteritas* ſcientias naturales & inde dependentia artificia inueniſſe dicuntur; omnes fere lineæ oſtendunt, quod iſtæ doctrinæ ſententiam ſuam non ex verbis ſcripturæ ſecundum regulas bonæ interpretationis deducant, ſed planè adverſus omnes bonæ interpretationis regulas ſenſum verbis inferant, aut etiam deficiente plane ſcriptura, ex ſolo præiudicio de neceſſitate & vtilitate ſcho-

larum, & de perfectione ſtatus præſentis, ac exinde ſubſecuto alio præjudicio de neceſſaria convenientia ſtatus primi cum præſente) neſcio ſub quo prætextu ac quo jure fingendi aliquid, de quo ſcriptura tacet, defectum aliquem imaginarium ſcripturæ ſuppleant. Vt adeo ulteriori refutatione, ac ſpecialiori commonſtratione erroneæ huius opinionis omni fundamento & rationis & ſcripturæ deſtitutæ, vix videatur eſſe opus.

§. VIII. Ne tamen iis, qui adhuc auctoritatis præiudicio excoecati, inuenta otioſorum hominum vt reuelationes diuinas exoſculantur, dubium remaneat, age videamus paucisſimis potisſima cauſarum momenta, quæ in fictione illa ſcholarum & concionum patriarchalium afferuntur. Initio non ſequitur; *plura haud dubie a Patriarchis fuere dicta, quam Moſes retulit prioribus Geneſeos capitibus, ergo dixerunt ea Patriarchæ in ſcholis aut concionibus.* Cur enim ea dicere non potuiſſent in quotidianis colloquiis familiaribus labori & convictui intermixtis?

§. IX. Deinde Adamum quod attinet, vti euitandum eſt illud opinionis extremum, quaſi *Adamus* in *ſtatu integro* iis ſaltem animi viribus fuerit præditus, quibus hodie gaudent *infantes aut pueri noſtri*, adeoque omni prudenti ſapientia fuerit deſtitutus, vnde non

non poteſt non prona conſequentia eidem *poſt lapſum* in omnibus ſcientiis & artibus *ruditas* aliqua *plusquam ruſtica* attribui; ita & pariter evitandum eſt ſapientiæ ſtudioſo, ne vel nimio contradicendi æſtu [a]) vel alio affectu præcipitanter in alterum extremum inclinet, atque *Adamum primum Doctorem omnium facultatum & ſcientiarum effingat.* Sed ſtatus primævorum hominum poſt lapſum, eiusque ſimplicitas & paucarum rerum indigentia, plurimarum vero, quibus hodie vtimur, vbique felix & quieta carentia probè conſiderandæ ſunt. Tum equidem facile apparebit, *Adamum*, etſi *ſimplicitate ſapientis prudentiæ* (qualem ſupra adumbrauimus) haud dubie præditus fuerit, non tamen opus habuiſſe, vt vel *ſcholas erigeret*, vel *concionaretur*, vel *Grammaticam, Aſtrologiam, Philoſophiam, Medicinam, Theologiam* (quatenus hæ cer-

a) Poſſent exempla plura afferri defenſarum etiam a Viris Magnis ſententiarum abſurdarum ex nimio ſtudio contradicendi, v. g. de vbiquitate corporis Chriſti, de damnoſis bonis operibus ad ſalutem, de doctrina Monarchomachorum, & his oppoſita doctrina de Deo cauſa Maieſtatis immediata. Ita & hodienum quidam Viri minime mali ex nimio ſtudio contradicendi philoſophiæ paganæ omnem philoſophiam, h. e. cognitionem creaturarum & ſui ipſius tollere volunt, poſtulantes ſimplicitatem aliquam irrationalem, h. e. vt quis ipſis credat, etiamſi dubia ex ſana ratione & perſpicuis textibus ſcripturæ ſacræ deſumta tollere nequeant.

tis definitionibus aut axiomatibus in formâ artis aut alterius cuiuſcunque habitus intellectualis ſunt redactæ) calleret, aut eas liberos doceret. Eadem enim fabuloſa fictione, qua Adamus primus Theologus, Medicus, Philoſophus &c. dicitur, poſſit etiam appellari *primus JCtus*, præprimis ſi *Lutheri* expoſitionem in Geneſin ſequaris, qui putat, ea, quæ Moſes dicit Caino a Deo fuiſſe dicta, per Adamum ipſi fuiſſe propoſita, atque Adamum ſub voce Dei hic intelligendum eſſe. Conf. interim quæ de literis primæuis [b]) Adamo falſo adſcriptis prolixe diſſerit *Thomas Bangius in Cœlo Orientis Exerc. 2. adde Jaquelotium in tractatu Gallico de exiſtentia Dei diſſert. I. cap. 25. p. 289. ſeq.* qui ſimul oſtendent, originem huius fabulæ Iudæis deberi.

§. X. Quodſi vero, vt Iaquelotius d. l. maxime veroſimiliter docet, *ſcripturæ quis vſus ante Moſen non fuit*, [a]) ſimul corruit *fabula de co-*

b) Nos quidem difficulter concipimus, quomodo magna ſocietas hominum poſſit ſubſiſtere ſine ſcriptura. Sed tamen hiſtoriæ noui orbis teſtantur, quod Indiani ante adventum Hiſpanorum nullum vſum ſcripturæ habuerint. Teſtatur Tacitus de Germanis, quod literarum ſecreta ignoraverint. Nec obſtat, quod tales populi dicantur Barbari. Alibi enim oſtenſum, populos Barbaros eſſe ſapientiores gentibus, quæ moratiores vocantur.

a) Idem facit Nierenbergius eo argumento utens, quod alias Ioſephus in Ægypto ſeruiens facile potuerit patri per literas vitam & ſtatum ſuum aperire,

columnis Sethi aut Sethidarum, b) quæ vt antiquiorem Ioſepho ſcriptorem non agnoscit, etſi a ſubſequentibus deſcriptoribus mirum in modum fuerit interpolata (*vid. Schotani Bibliothecam ſacram de prima mundi ætate f. 57. ſq.*) ita & eius falſitas aliunde conſtat. *Sethum neque Aſtrologiæ, neque Aſtronomiæ eiusque obſeruationibus operam dediſſe*, valde eſt veroſimile. Non illi, quia vanitas illius ſtudii non ſolum in ſacris literis ſeveris legibus adverſus Aſtrologos eſt notata, ſed & hactenus a quam pluribus Scriptoribus eruditis ſubinde oſtenſa. Non huic ob perſpicuum textum *Eccl. XI.4.6.* & quia rudis ſcientia, quâ ruſtici adhuc utuntur, advitæ ſuſtentationẽ ſæpe commodior & vtilior eſt, quam ſubtiles regulæ Aſtronomicæ ſecundam formam artis. Deinde eſto, quod obſeruationes Aſtronomicæ in vſu fuerint: Annon rationi convenientius fuiſſet, eas traditione perpetua a generatione in generationem transferre, quam columnas eiusmodi erigere. Aut enim credebant Sethiani ſuperfuturos eſſe excidio mundi homines quosdam, aut omnes ſimul interitu-

quem miſere refutat Pfeifferus *Panſoph. Moſaic. p.534.*

b) Nec Bangius, nec Schotanus, nec Lambecius *ll. cc.* falſitatis hanc traditionem de columnis Sethianis accuſant, ſed illam tanquam veram tacite ſupponunt.

ros eſſe. Si hoc, ſtultum fuiſſet columnas extruere nemini profuturas. Si illud, an non ſufficiebat homines ſuperfuturos artem hanc Aſtronomicam callere? Ut taceam, autorem hujus fabulæ de circumſtantiis interitus ſibi maxime erroneos formaſſe conceptus, quales de ſanctis iſtis patribus non ſunt præſumendi. Quid enim: an putaſſent in tanta flamma, qualem conflagratio totius globi terreſtris ſupponit, columnam lateritiam non interituram, cum ſpecula noſtra cauſtica nobis contrarium aperte perſuadeant? An putarunt, in flagratione mundi ſaltem id, quod ſuperficiei terreſtri impoſitum eſt, combuſtum, & non totum globum terrenum combuſtioni ſubiectum iri? An putarunt, nullos terræ motus vel in conflagratione vel in inundatione timendos fore, qui columnas iſtas tollerent? Vt taceam fabulæ huic apertius repugnare hypotheſin valde veroſimilem Thomæ Burneti, quam in eruditiſſimo libro, *Theoria telluris*, de diluuio proponit, & tum rationibus, tum dictis ſacræ ſcripturæ ſatis euidenter confirmat. At ſuperfuit tamen in Syria una ex iſtis columnis tempore Ioſephi. Quis vidit? [c]) certè non Ioſephus,

c) Ioſephus non dicit, utrum viderit, utrum audierit, prout eius locum emendatum refert Lambecius *in prodromo*. Sed Gallica verſio tamen ita transtu-

phus, qui haud omiſiſſet contenta columnæ vel recenſere vel explicare, vel ſaltem de literarum vetuſtate & obſcuritate teſtari. Quod ſi audiuit ab aliis, ob rationes dictas valde veroſimile eſt, iſtos homines Ioſephum decepiſſe, ſive id bona fide, ſive mala factum fuerit, non curo. Ceterum etiam valde veroſimilis eſt coniectura Monachi (le Moine) eruditi Galli; *in variis ſacris* obſeruantis, Iudæos multa de lapide fundamenti apud Eſaiam *cap.28.v.16.* fabulantes occaſionem etiam ſumſiſſe fingendi fabulam de columnis Sethi, cum lapis fundamenti in Hebræo ſonet lapis *Sethiia. Conf. Iaquelotium d.l.p. 241.*

§. XI. *Librum Enochi* vero quod attinet, vt fragmentum eiusdem (quod poſt Scaligerum & Kircherum referunt Bangius *d. Exerc. 1.p.25.* & Schotanus *in Biblioth. ſacra de prima mundi ætate f. 83. ſeqq.*) ſatis oſtendit, ſcriptum illud, etſi quam plurimis Patribus priorum ſeculorum impoſuerit, eſſe apocryphum, & nugis Iudaicis repletum, ac vero ſimiliter ab hæretico quodam vel Gnoſtico confictum, ita quod Epiſtolam Iudæ concernit, vel dicendum eſt cũ Luthero & aliis, eam etiam eſſe apocrypham, vel prophetiam Enochi, quæ ibi citatur, non eſſe librum quendam, ſed traditionem vetuſtam. *Plura vide*

T 4 *hac*

lit, ac ſi audierit ſaltem, prout etiam veroſimile eſt.

hac de re ap. Bangium[a]) d. *Exerc. I. quæſt. 5. & 6. Schotanum d. l. Lambecium in Prodromo fol. 8. 9. 10. qui plures citat.*

§. XII. Porro quæ de *Catechiſmo liberorum Adami ex aſſe conueniente cum Catechiſmo Lutheri* ſupra adducta ſunt, uti palpabiliter fabulam ſapiunt, aut ſi mollius dicere velis, oratorie magis, quam logice & rationabiliter dicta ſunt, ita forte originem traxerunt ex antiqua fabella Papiſtica, in qua fingitur Deus cum angelis poſt lapſum viſitaſſe Protoplaſtos, ibique examen Catecheticum inſtituiſſe &c. Debebant vero Evangelici, & Theologi præprimis eo magis a talibus abſtinere, quo apertius conſtat, non ſine gravi cauſa nullibi in ſacris literis doctrinam Syſtematicam aut catecheticam eſſe præceptam, multo minus a Chriſto & Apoſtolis inſtitutam, neque ullum ſcripturæ ſacræ librum, Theologiam Syſtematice aut catechetice tradidiſſe, ſed nimium iſtud & iam ſupra §. IV. notatum ſtudium antiqua iudicandi aut exponendi ex præſentibus, eos ſubinde ex-
coe-

a) Utitur Bangius etiam illo argumento, quod in fragmento iſto non agatur de loco, quem adducit Iudas in Epiſtola. Sed hoc argumentum parum ſtringit. Fragmentum enim ſaltem ex libro primo adduxit Scaliger. Veroſimile igitur eſt, eum, qui talia finxit, in reliquis libris, illa, quæ Iudas adduxit, etiam inſeruiſſe.

cœcauit, vt quandoque adhuc magis pudendis ineptiis ſcripturam ſacram dum extollere ſtudent, profanent,& Atheiſtis talia ridendi largam occaſionem ſuppeditent, exemplo fere *integri libelli Pfeifferiani*, quem Panſophiam Moſaicam inſcripſit, potisſimum *vero capitis ibidem 3.* in quo gloriatur, omnes articulos Auguſt. Confeſſ. etiam de baptiſmo, Cœna Domini, confeſſione auriculari, vocatione miniſtrorum &c. ex Geneſi probari poſſe. Deprehendes igitur etiam apud eundem Autorem *c. 13. p. 535.* ſimiles fabulas de origine ſcholarum, etſi *ibid. p. 498. ſeqq.* ſatis perſpicue oſtendat, in ſtatu integritatis nullas ſcholas ſperandas fuiſſe.

§. XIII. Etſi vero Autor Epiſtolæ ad Hebræos memoret, Abelem per fidem ſacrificium obtuliſſe Deo; etſi fides ſit ex auditu, auditus requirat prædicationem; tamen exinde non ſequitur, ergo Abel in ſchola doctrinam de fide audivit, ergo concionati ſunt Patriarchæ. Inſignis igitur eſt tortura verborum, cum noſtrates verba Dei ad Cainum: *Si bene egeris, erit venia* exponant: *Si iuſtificatus es per fidem in Chriſtum, habebis remiſſionem peccatorum*; quæ interpretatio ſi admittatur, janua aperitur omnibus hæreticis, quidlibet ex quolibet contra regulas omnes bonæ interpretationis deducendi. Similis tortura eſt

dicti Paulini de Abele *ad controuerſiam noſtratium cum Catholicis de iuſtificatione, an per fidem fiat, an per bona opera?* Nam contextus oſtendit, Paulum in eo capite & exemplis ibidem adductis non primario de fide in Chriſtum loqui, ſed de fide, qua credimus eſſe Deum & prœmia largiri iis, qui ipſum requirunt, *Hebr.XI.v.6.* Patet etiam quod ſi locus *Hebr.XI.v.4.* conferatur cum *1.Joh.III.v.12.* & ipſo loco *Gen.4.v.8.* non intendiſſe auctorem Epiſtolæ ad Hebræos, vt fidem opponat operibus, quemadmodum fit in controverſia cum Catholicis, ſed vt fidem & opera uniat. Forte tamen noſtrates occaſionem talia ſcribendi ſumſerunt ex paraphraſi Hieroſolymitana, quæ & ipſa ante fratricidium Caino diſputationem cum Abele de rebus diuinis interceſſiſſe finxit. *vid.Perer.Comm.in Gen.f.249.*

§. XIV. Denique quod fingitur *Gen.IV.v.vlt.* memorari, quod conciones Patriarchales ſint quaſi reſtauratæ, ex praua verſione textus Hebræi tàm a ſeptuaginta interpretibus quam a vulgata & Luthero arrepta, originem ducit. Siue igitur textum Hebræum cum quibusdam Judæis explicemus: tunc profanatum eſt inuocando nomine Jehovæ, ſiue cum Rittangelio von Jüdiſchen Ceremonien *p. 252.* tunc cœptum eſt vocari in nomine

mine Domini, & vtrobique intelligamus ortum Idololatriæ, ſiue denique cum Ioh. Clerico [a] *ad d. l. Gen.* tunc cœptum eſt vocari de nomine Jehovæ, quaſi nimirum tum temporis poſteri Sethi appellari cœperint filii Dei & diſtingui a filiis hominum i. e. Cainitis, facile iſtud figmentum ſua ſponte corruet

§. XV. Meam vero ſententiam de *origine ſcholarum* quod attinet; videtur res genuinis de origine rerum principiis, quas ſacræ literæ tradunt, ſic eſſe maxime conueniens: Poſtquam Adamus a Deo ad ſui imaginem conditus, & ſic perfecta cognitione intuitiua creaturarum, atque amore puro & ſincero creatoris præditus, comeſtione arboris vetitæ Deo æqualis fieri & intima inacceſſibilis & imperceptibilis eſſentiæ diuinæ ope ſenſitiuæ vnionis cum ſpiritu creaturarum, cui dominari debebat, ſpeculari niteretur, pœnam peccati mox ſentiens & id quod antea erat ſtatim eſſe deſinens, factus eſt creatura Deum odio habens & cognitione intuitiua illa priuabatur, adhærentibus perpetuo ei eiusque progeniei duobus eminentibus lapſus ſignis; amore creaturarum irrationali, viue-

a) Clericus putat, non veroſimile eſſe, quod viuo Adamo idololatria cœperit. Quæ ratio tamen mihi videtur parum firma.

viuere in iis, quæ eſſentiam eius deſtruunt, deſiderante; & ſtulta cupiditate ſpeculandi intellectu actiuo & hiſtrionico vel intimas eſſentias rerum diuinarum & inuiſibilium, vel eſſentias rerum viſibilium ſine Deo ex bruto quodam & ratione deſtituto mechaniſmo. Nullum tamen mihi reſtat dubium, manſiſſe in Adamo cum reliquiis imaginis divinæ ad reſipiſcentiam eum incitantibus recordationem aliquam imperfectam perfectionis amiſſæ, qua antea tam quoad corpus, quam quoad animum præditus erat, atque eo maiorem apud Adamum, & non ſpeculatiuam modo, ſed & ſenſitiuam, fuiſſe agnitionem miſeriæ, quam per nociuam curioſitatem ſuam induerat. Remanſiſſe etiam Adamo arbitror, in iſta vmbra recordationis, reliquias ſcientiæ naturalis de eſſentia creaturarum ſeu earum vero & genuino vſu, non ſyſtematicæ cuiusdam, chimæris terminorum & abſtractionum ſuperbientis, nec curioſæ etiam & luxuriantis, artificioſiſſimas & affectibus humanis inſeruientes easque foeuentes machinas inuenientis; ſed ſimplicis, & quantum ſolum ad neceſſitates humanas eſſet opus.

§. XVI. Iam cum liberi Adami ſenſitiua illa cognitione & recordatione perfectionis amiſſæ & doctrinæ de legitimo & naturali cre-

creaturarum vſu deſtituerentur, neceſſe vtique fuit, vt a parentibus ea de re certiores fierent. Propterea tamen nullis concionibus aut ſcholis fuit opus ob doctrinæ ſimplicitatem & breuitatem, ſed omnia iſta partim inter medios labores quotidianos & domeſticos ipſo vſu oſtendi & doceri poterant, partim in quiete quotidiana a laboribus ſat temporis ſupererat, amico colloquio & diſcendi & docendi absque obſeruatione certæ horæ, absque dictatis, absque Catechiſmo & verborum certorum commemoratione. Cæterum *nondum Deus præceperat, vt externo cultus ſigno vnus homo ab altero diſtingueretur. Nondum circumciſio, quæ ab Abrahamo ortum ducit, nondum ſabbathum & ſacrificium, & oblationes & feriæ præceptæ, quod demum a Moſe factum eſt.* [a] Cultus Dei ſimpliciſſimus videtur fuiſſe patientia in laboribus & pœnis

a) Non mea hæc ſunt verba, ſed Iuſtini Martyris apud Spencerum *lib. 3. de LL. Hebr. diſſert. 2. c. 1. p. 124.* quem pluribus hic confer. *d. diſſert. 2 per integr.* Non obſtant Caini & Abelis ſacrificia. *Vide eund. d. l. p. 133. & 148. Confer. Clericum ad cap. 3. Geneſ. Adde Spencer. ibid. cap. 4. ſect. 7. ſeqq.* de origine Sabbathi, vbi docet, & Sabbathi diem demum a Moſe præceptum, & ſanctificationem eius etiam tempore Moſaico in ſola quiete conſtitiſſe. Vbi etiam tam quoad caput de Sabbatho, quam quoad caput de ſacrificiis conſenſum patrum primitiuæ Eccleſiæ adducit.

pœnis lapſus & fiducia in Deum tanquam in Creatorem &eum quærentium remuneratorem, [b] & exinde promanans vita innocens & benefica. [c] Hæc eſt iſta fides, ob quam oblatio Abelis gratior erat Deo, [d] hæc ſunt opera Abelis, ab quæ Cain eum interimebat. [e]

§. XVII. In iſta ſimplicitate qui permanſerunt viri pii, nullo alio cultu animi, nullis ſtudiis, nullo defenſore adeoque nec vlla Republica habebant opus. Sed hæc ſimplicitas vitæ & religionis mox diſplicebat Caino, homini voluptatibus, ambitioni & auaritiæ maxime dedito. Vnde tradita patris de ſtatu integro eiusque perfectione, de lapſu eiusque pœnis, immerſus deſideriis cordis ſui haud dubie pro fabulis habuit, homines ab actionibus glorioſis ad vitam ingloriam ducentibus. Hinc viribus ingenii abutens & a ſimplicitate paterna ſecedens ciuitatem condidit, leges promulgauit, artes inuenit, vitam hominis magis commodam, amœnam, & delectabilem reddentes. Ciuitate condita & ſcholis opus erat publicis, partim vt a teneris annis homines diſcerent a præiudicio auctoritatis pendere, & ita cœca obedientia

tia

b) Hebr. XI. v. 6.
c) *conf. Eſ. cap. 58. per integr. præcipue verſ. 6. 7. 13.*
d) *Hebr. XI. 6. 4.*
e) *1. Ioh. III. 6. 12.*

tia juſſa imperantium venerari ; partim vt perſuaſione perpetua, quod homo lapſus etiam ſit præſtantiſſima creaturarum, quodque cultura intellectus & nouarum artium ac ſcientiarum ad ſummam felicitatem progredi poſſit, ſepararentur eius ſubditi a vera Eccleſia, & ſic totum genus humanum ad ſapientiam terrenam, humanam, & dæmoniacam a ſapientia cœleſti, caſta illa, miſericordi, ſimplici ſine fuco & ſectis[a]) traduceretur. Id quod & eventus docuit, tempore Noachi omnibus Adami poſteris ad Cainiticam Sectam translatis, alliciente eos etiam cultu illo diuino ſplendido a Cainitis excogitato & muſica Iubalitica exornato, [b]) in quo adeo haud dubie & multæ ad populum conciones pro confirmanda idololatria fuere habitæ.

OBSERVATIO XX.
DE CONRADO VRSPERGENSI EIVSDEMQVE CHRONICO.

SVMMARIA.

§. I. *Conradus Vrſpergenſis quis fuerit; & quale ſit Vrſpergenſe monaſterium.* §. II. *Eiusdem Chronici editiones referuntur.* §. III. *De Chro-*

a) Jac. III. 15. 16. 17.

b) Legi non ita pridem, ſed autoris recordari non poſſum, quod etiam Iudæi muſicam Jubalis de applicatione Muſicæ ad cultum diuinum ſoleant exponere.

Chronico iſto quid indicandum. §. IV. *An plagiarius fuerit, an vero alius Chronici continuator, diſquiritur.* §. V. *Continuatorem fuiſſe deciditur & probatur.* §. VI. *Aliorum Chronica continuare ſuperioribus ſeculis non infrequens.* §. VII. *Vnde Vrſpergenſis continuatio numeranda.* §. IIX. *Bini Codices manuſcripti ex bibliotheca Salana referuntur.* §. IX. *Quis Chronici ab Vrſpergenſi continuati auctor fuerit, diſceptatur.* §. X. *Prius Chronicon idem eſſe cum Schvvartzahenſi demonſtratur.* §. XI. *De Abbate Schvvartzahenſi agitur.* §. XII. *De Continuatione Chronici poſt Vrſpergenſem aliqua adducuntur.*

§. I.

NOn ignobilis e ſeculo decimo tertio eſt hiſtoricus, Conradus a Lichtenau, vulgo dictus Conradus Vrſpergenſis. Ex nobili quippe apud Sueuos Lichtenauiorum familia ortus, dignitate autem Vrſpergenſis monaſterii, ordinis Præmonſtratenſis ad Mindulam Fluuium in diœceſi Auguſtana, Cuſpiniano & recentioribus, Auersſperg dicti, Abbas in ordine nonus. Extructum illud monaſterium anno Domini 1125. a Wernhero Comite de Schvvabeck & Baltzhuſen teſte Bruſchio, *Chronol. Monaſt. p. m. 595.* & Martino

Cruſio

Cruſio *Ann. Sueu. lib. IX. p. 2. p. m. 335.* quod ab Alberto de Niuaburg ducentis marcis in libertatem vindicauit Burcardus Biberacenſis, ita vt nunc Imperio ſubiectum partem faciat Circuli Weſtphalici. Cruſius *p. III. lib. I. p. m. 15.* Latuit autem per aliquod tempus verum Scriptoris noſtri nomen, cum binis manu exaratis codicibus iſtis, quibus in adornanda noua editione vſus fuit Caspar Hedio, præſcriptum fuerit nomen Euſebii, vti teſtatur Crato Mylius in præfatione dictæ editionis, ex monachorum ignorantia, cum aliqua forſan a primordio cum Euſebianis conſentire reperirent. Ipſe vero Mylius ſuæ editioni tantum Abbatis Vrſpergenſis nomen præfixit. Caspar Bruſchius nomen & natales eidem reſtituit teſte Meibomio *apol. pro Ottone IV. ab initio.* Exinde Conradi nomen innotuit ex nobili familia Lichtenauiorum de quo & Martinus Cruſius *p. II. lib. IX. p. m. 357.* Inde & Bellarminus *de Script. eccl. p. m. 243.* ait: *Abbas Vrſpergenſis, cuius nomen diu incognitum, ſed tandem Conradum eſſe innotuit.* Vixit is temporibus Henrici VI. & Friderici II. Imperatorum, a fine ſeculi duodecimi ad medium fere ſeculi decimi tertii progreſſus. Homo primum aulicus fuit, quod ex verbis concludimus ipſius chronico ab amico inſertis, vti infra pluribus dicemus, quæ ad annum

U 1193.

1193. *p. m. 305.* talia ſunt: *Audiui ego idipſum a domino Conrado, qui poſtmodum fuit abbas Præmonſtratenſis, & tunc in ſeculari habitu conſtitutus, qui in Camera Imperatoris extitit familiariſſimus.* De nullo alio, quam noſtro Conrado hic ſermonem eſſe infra patebit, Imperator autem, cui familiaris extiterit, eſt Henricus VI. de cuius morte, quam alii ab vxore procuratam cauillabantur, ipſe vero refutauit, ibidem agetur. Sic & ipſe de ſeſe, vbi de Innocentio III. ſermo eſt, ait: *Ego quoque in minori ætate & ſeculari vita conſtitutus adhuc, eo tempore conſtitutus Romæ.* Inde mutato habitu ſeculari, vitam religioſam ingreſſus eſt. Anno 1102. enim presbyteratum ſe a venerabili epiſcopo Conſtantiæ Diethalmo accepiſſe teſtatur *p. m. 312.* Anno 1105. vero ad religionem, anno 1107. ad ordinem Præmonſtratenſem ſe veniſſe a t idem *ibid.* Ad annum 1215. tempore Innocentii III. ſcribit: *eodem anno abbas electus fui, & translatus in Vrſperg.* Vt ergo de eodem ex ipſius ſcriptis ſatis conſtet. Poſtquam autem per XIV. annos res monaſterii ſtrenue geſſerat & partem igne conſumtam refici curauerat, idemque monaſterium egregia ornauerat bibliotheca, anno 1240. vita defunctus eſt. Cruſius *p. II. lib. IX. p. m. 337.* & Bruſchius p. m. 602. qui eum omnibus laudibus exornat.

§. II.

§. II. Innotuit autem iſte orbi litterato per Chronicon ſuum vniuerſale, quod a Belo exorditur & ad Friderici II. Imp. tempora producit, ad annum vsque 1229. Primam huius Chronici editionem iuſſu Maximiliani Imp. procurauit Conradus Peutingerus ICtus, anno 1515. Quæ editio cum admodum eſſet deprauata, Philippus Melanchthon auctor fuit Cratoni Mylio Argentoratenſi typographo, vt idem chronicon iterata editione, maiori tamen adhibita cura, recuderet. Qui etiam ad hanc rem vſus opera hiſtoriarum ſtudioſi, & viri candidi, vti eum titulus adpellat atque præfatio, qui vero, vti ſatis notum eſt, nullus alius fuit, quam Caspar Hedio verbi diuini in eccleſia Argentoratenſi miniſter, quod teſtatur Gesnerus in bibliotheca, Goldaſtus *diſſert. apol. pro Henrico IV. præfixa p. m. 18.* & ex iis alii. Fidem iſte duorum, quae nactus erat, manuſcriptorum ſecutus, alterum quidem procurante Iohanne Hüttichio, ex Wormatienſis epiſcopi Ioannis Dalburgii, alterum ex cœnobii Auguſtinianorum Argentoratenſium bibliotheca. Hic autem Hedio non climatius tantum edi curauit, ſed & rerum memorabilium paralipomena adiecit a Friderico II. ad Carolum V. vsque & annum 1537. perducta. Quo ipſo anno & hæc editio emendata & locupletata prodiit Ar-

gentorati, adiectis iconibus & imaginibus Imperatorum atque Principum, pro more illorum temporum, in lignum inciſis. Iterum hæc editio eodem charactere Baſileæ recuſa eſt per Petrum Pernam 1569. reiectis iconibus, addito vero indice admodum vtili, quæ editio mihi optima videtur. Tandem & Argentorati 1609. recuſa fuit per Latzarum Zetznerum. Adiecta quoque ad marginem ſummaria quædam & breues notæ, quas Antonio Coruino tribuit Meibomius *de Irmenſula cap. V.*

§. III. Non minimæ autem auctoritatis hoc eſt Chronicon. Veterum quidem rerum epitome nullius eſt momenti, quippe in rebus Aſſyriorum, Perſarum & Græcorum, de quibus in ſpecie infra quoque pluribus dicemus, ſæpius nugatur, vbi vero de Imperatoribus, præcipue Germanis, & rebus poſterioris ætatis agit, egregium eſt, maxime illa parte, quam compoſuit, Vrſpergenſis, quippe ea res ſui temporis tractat, multa quoque de gentium barbararum origine, Carolinorum poſteritate & alia adducens ſingularia. Quare et de eo Meibomius *apol: pro Ottone IV. ab initio* ita ait: *Abbas Vrſpergenſis, ipſo Melanchthone teſte, de hiſtoria Germanica optime meritus eſt, quippe qui de Imperatoribus noſtris multa ſtudioſe collegit, præterea notationem tem-*

temporis, alterum hiſtoriæ oculum, reliquis diligentius adhibuit. Arguit tamen eundem ibidem, tanquam in Ottonem IV. iniurius fuerit, quare & in eadem apologia *p.m.126.* eundem, quod adfectibus nimium indulſerit, incuſat, eiusdemque vocat *de alienis negotiis præceps & inuidioſum iudicium.* Ioachimus Curæus *Chronico Siles. parte I. ſub Boleslao III. p.m.41.* vocat hiſtoricum ſerium, prouidum & prudentem. Voſſius *de Hiſt. lat. lib. II. c. LVII. p.m. 461.* opus non adſpernandum ait, quod in rebus Germanicis ſui æui, & ſeculorum, quæ proxime antecedunt, habeat quæ magno cum fructu legantur. Bellarminus *de Script. eccleſ. p.m. 244.* Hunc ſcriptorem tanquam ſatis diligentem laudat, & dignum qui legatur; illud tamen obſeruandum eſſe ait, *hunc auctorem ob amorem erga Imperatores ſuæ nationis, non pauca contumelioſa ſcripſiſſe de Innocentio III. & Gregorio nono Pontificibus valde piis & doctis.* Licet hac in parte nihil contra veritatem ſcripſiſſe videatur Vrſpergenſis. Incertitudinem tamen in aliis rebus notant Andreas Brunnerus *lib. VII. Ann. Boior. p. II. p. 413.* & Fortunatus Olmus allegante Zeillero *p. I. de hiſtoricis p.m.155.*

§. IV. Diſputatum autem iam dudum fuit inter eruditos, an genuinus huius Chronici auctor fuerit Vrſpergenſis, an aliorum

Chronicorum expilator, an alius continuator, nec tamen res adhuc ſatis deciſa. Voſſius quidem de hiſtoricis latinis, aureo illo ſcripto, quod ſi fata conceſſerint, aliquando augere, in quibusdam etiã emendare animus eſt, *lib. II. c. LVII. p. m. 460.* centonem vocat ex variis conſarcinatum, immo ſibi videri ait, abbatem Conradum, Chronicon iam ante ex variis collectum expilaſſe, & quædam in extrema parte de ſuis temporibus addidiſſe, quem ſequitur Boſius noſter *in not. ſcript. hiſt. vniu. §. XX.* & Labbæus *tomo I. de Script. Eccl. p. m. 234.* Inde & in titulo editionis Argentoratenſis Cratonis Mylii, ὁ ῥαψῳδὸς vocatur, quaſi Chronicon hoc ex ſcriptoribus aliis, pro more illorum temporum, conſarcinauerit. Quare & Brunnero veterum ſcriniorum compilator audit *lib. VII. Ann. Boiorum p. II. p. m. 413.* B. Sagittarius Chronicon hoc ſi non ex variis conſarcinatum & expilatum, antiquiorem tamen ſcriptorem fuiſſe putat; cui Conradus ſua addiderit, addens: *nunquam forte opinatum fuiſſe Conradum, vel monaſterii ſui monachos, vel alios, ad quos peruenerit volumen, ſibi ea omnia tributuros, quæ is ſaltim obſeruationibus & appendice auxerit. Introd. in hiſt. eccleſ. cap. VII. §. 16. p. m. 63.* Idem ante eum dixerat Bellarminus *de ſcript. hiſt. eccl. p. m. 243.*

§. V.

§. V. Propius rem tetigit celeberrimus vir, Iacobus Thomaſius, qui in eruditiſſima de plagio litterario diſſertatione §. 586. & 587. primus eſt, quem norim, qui pure adſerat, continuatorem egiſſe Vrſpergenſem, non plagiarium. Nec vlla etiam amplius dubitatio ſupereſſe debet. Vrſpergenſem enim totum Chronicon non compoſuiſſe certum eſt, alia tamen chronica non expilaſſe, ſed aliud continuaſſe, ex rationibus, quas adducemus, patebit. Prima ratio hæc eſt, quod in priori Chronici parte auctor ſemper agat perſona prima, cum tamen illa tempora, de quibus dicta loca agunt, noſtri Conradi ætatem longe anteceſſerint. Exemplum extat ad annum 1099. *p. m. 226. ed. Baſileenſis* 1569, qua ſemper vſi fuimus, cum de prima Gotefridi Bullioni expeditione in terram ſacram agit, ibi hæc verba extant: *Nos autem in Domino tantum confidentes, nec præſentibus, ſed futuris inhiantes, ac licet ſpectatores pigri, fautores tamen beneuoli, laudemus eosdem noſtri temporis viros glorioſos, qui vicerunt regna mundi.* Et *p. m.* 230. ait: *vidimus & adhuc videre eſt miſerabile ſpectaculum*, ſcilicet deuaſtatarum eccleſiarum in Palæſtina & *p. m.* 231. hæc extant verba: *nos cometam in plaga meridiana ſtantem, ſuumque ſplendorem in obliquum gladii more protendentem, tunc circa*

Non. Octobris vidimus. Anno vero poſt hæc tertio, ſtellam aliam in Oriente locum ſuum longo interſtitio ſaltibus mutantem VI. Kal. Martii conſpeximus, & ſtatim: *plerumque etiam faculas per aërem volitantes vidiſſe nos teſtibus plerisque comprobamus.* Ad annum 1102. *p. 241.* ita loquitur: *ibi etiam* (Romæ) *quam ſententiam in Imperatorem vel Patricium Romanum Henricum, idem Apoſtolicus Paſchalis promulgarit, nos quoque inter innumeras diuerſarum gentium cateruas, proxima cœna domini, in eccleſia Lateranenſi ab ipſius ore didicimus, nimirum poſtquam VIII. Kl. Octobris maris fluctibus Ioppæ traditi Romæ ſumus, per gratiam Chriſti prædicta maiori hebdomade introducti,* & ad annum 1104. *p. 241.* dum mortem Sigehardi refert, addit: *de quo ſcelere ſuperſedemus plura referre, præſertim cum adhuc vltiones, cæteraque mala ſequentia verſentur in oculis, & quam ſint finem habitura, nequeamus ſcire.* Ad annum 1106. *p. m. 248*, ait: *cometam immenſi fulgoris vsque ad paſſionem domini conſpeximus:* & ſtatim: *regem Henricum quiddam infortunii perpeſſum percepimus:* & p. 251. *pluribus autem teſtibus comprobare poterimus, quod nemo noſtris temporibus, natu, ingenio, fortitudine & audacia, ſtatura etiam, totaque elegantia corporis videretur faſcibus Imperialibus ipſo* (Henrico) *aptior.* Ita ſemper in propria perſona loquitur auctor de temporibus ſub

finem

finem ſeculi vndecimi, atque initium duodecimi, quod vel omiſiſſet, vel ſaltim mutaſſet Vrſpergenſis, ſi eundem expilare potius quã continuare ſibi propoſuerit, quippe qui vel ſesquiſeculum poſt demum vixit. Longius autem hæc adduxi exempla, vt eo melius pateat, non vnum vel alterum tantum ex errore forsan vel improuiſo irrepſiſſe, ſed omni ſtudio omnia ſic fuiſſe relicta.

§. VI. Deſinat ergo mirari Vosſius, atque Bellarminus, qui factum, quod non in perſonam iſtius, qui talia ſcripſerit, conuerterit Vrſpergenſis, cum hoc inſtituto fuiſſet contrarium. Nec infrequens etiam erat illius ætatis hiſtoricis, aliorum chronica continuare. Sic Werneri Rolevincks fasciculum temporum continuauit Ioannes Linturius, Lamberti Schafnaburgenſis Annales monachus quidam Erphordienſis, Mariani Scoti Chronicon Dodechinus Abbas, Sigeberti Gemblacenſis Chronicon Robertus de Monte, Ottonis Friſingenſis Chronicon Otto de S. Blaſio. Sic Spanheimenſis, Altahenſis, Laurishamenſis Chronici continuationem ab aliis factam nouimus. Alia exempla quam plurima adducere adhuc poſſimus, ſi inſtitutum noſtrum ita ferat. Illud enim præcipue penſi habebant ſcriptores iſti, vt ſuorum tantum temporum, & quæ proxime

anteceſſerant, geſta deſcriberent, fundamento ita opus erat, cum hiſtoria continuati temporis requirat ſeriem. Atque illud eſſe argumentum putem, cur illorum temporum hiſtoricis in rebus antiquioribus non adeo magna fides ſit habenda, cum circa ſua tantum tempora fuerint occupati.

§. VII. Maxime vero me mouet, quod poſt annum 1126. nouum quaſi eſt præfamen, ex cuius verbis nouum ibi laborem initium capere, pro certo concludi poteſt. Talis enim *p.m.272.* occurrit titulus: *Anacephalæoſis Chronici Vrſpergenſis Imperatoribus Chunrado, Henrico III. Henrico IV. Henrico V.* Anacephalæoſis cur inſcribatur, ratio in textu redditur, in ſuperioribus enim quatuor horum Imperatorum geſta ſtylo hiſtoriographo non fuiſſe conglutinata ait, ſed geſta tantum temporum ſub ſuis annis deſcripta, recapitulando igitur ſe quædam retexere velle de eisdem Imperatoribus, vt ſeries & narratio eo melius ſtylo ſimplici procedat. Ipſius autem præfaminis tale eſt initium. *Multis ſua facta vel dicta placent, aliena diſplicent: rectius autem erat, vt nobismetipſis diſplicentes, dum aliis placere velimus, ipſique nobis placeant. Quia vero omnis ætas in malum prona eſt, facilisque deſcenſus auerni, rectum contemnitur, & quod vitioſum eſt, frequentatur. Ideoque tam ſcriptores ſingula-*

rum

rum rerum,quam etiam interpretes linguarum,ſiue expoſitores librorum, contra æmulos & detractores & inuidos, in principiis operum ſuorum volentes aliqua deſcribere , plurima commentati ſunt. Quid clarius? non ſolum aliena ſibi placere ait, ſed & hoc laboris ſui principium eſſe contendit. Plura adhuc præfatur , ex quibus ſatis cognoſci poteſt , hanc de nouo additam eſſe continuationem, cum etiam in toto alias Chronico tale interſtitium non occurrat. Vt addamus & hoc, nec conuenire in vtraque parte ſtylum , & ab hoc præfamine ſeu Vrſpergenſis, longe eſſe floridiorem, licet priorem ſtylum confingere, admodum adfectauerit.

§. VIII. Ex hoc ita deciſo ſatis patet, ex quo numeranda ſit Vrspergenſis continuatio. Præter anacephalæoſin quidem quatuor dictorum Imperatorum ab anno 1125. vbi de Lothario Saxone agitur. Patet id non ſolum ex antedictis, ſed & ex binis codicibus manu exaratis membranaceis, quæ bibliotheca noſtra Salana ſeruat. Alterum quidem ex Wittebergenſi Veteri , ante ſesquiſeculum huc translata, alterum ex Boſiana habemus. Vtrique conueniunt cum editis Vrſpergenſis exemplaribus, rarius immutato vno vel altero verbo. Prior quidem Codex vltra annum 1126. adhuc progreditur, & aliqua

aliqua habet, quæ in impreſſo non extant exemplari. Quippe poſt verba ante continuationem vltima, *ad curanda defungentium cadauera p. m. 271.* in MSto adhuc ſequuntur *Heinricus Imp. obiit, cui ſucceſſit Lotharius. Caliſtus Papa obiit, cui Honorius ſucceſſit. Anno MCXXVII. Lotharius Norinberg obſedit*, ſubſequuntur alia plura, duabus paginis comprehenſa & tandem vltima ſunt verba: *Anno MCLXVII. Kl. Septembris vnctus eſt filius Imperatoris Friderici in regem, Heinricus nomine, Aquisgrani.* Inde vsque ad annum MCLXXXIV. ſoli anni absque addito alio, fuere adnotati. Atque hæc quæ adnexa eſt chronographia, maxime notabilia breuisſime tamen deſignans vsque ad annum 1184, quo tempore etiam codex noſter videtur eſſe ſcriptus, nec prioris auctoris nec continuatoris labor eſt, ſed ab alio priuata auctoritate adiectus, & vti videtur ab ipſo codicis exaratore, vt continuatam haberet chronographiam. Alter Codex Boſianus antiquior eſt, ſed in quibusdam mancus, & in anno 1106. deſinit in geſtis Henrici V. in verbis: *ciſalpinis partibus impetrent exhiberi*; quæ in impreſſo *p. m. 247.* continentur. Sed cum in medio fere ſermone deſinat, librarii potius eſſe defectum putem, quod reliqua vsque ad annum 1126. non addita fuerint: Epitome autem rerum an-

antiquiorum ex primis monarchiis in vtrisque codicibus cum impreſſo exemplari non in omnibus conuenit, ſed eius loco extat Chronicon Hieronymi paucis tantum immutatis cum ipſo prooemio: Vbi vero ad res Alexandri M. deuentum fuerit, in vtroque extant, licet in Boſiano quoad initium manca, Excerpta de vita & mirabilibus Alexandri M. in codice priori decem conſtituentia folia, quæ tamen fabulæ propiora, quam veræ hiſtoriæ, ideoque in impreſſis exemplaribus omiſſa. In editione Baſileenſi *p. m. 14.* ab initio hæc leguntur verba: *Hic impreſſum Vrſpergenſis exemplar pollicebatur Alexandri M. hiſtoriam alibi, ſed non præſtitit. In duobus ſcriptis exemplaribus excerptum de vita Alexandri M. item de mirabilibus Alexandri Magni habebatur, quod plane erat tale, vt nemo ſine riſu legiſſet. Igitur nolui contaminari hanc vtilem hiſtoriam hoc* ψευδεπιγράφῳ. Eadem leguntur in editione Cratonis Mylii *p. m. 13.* ita, vt impreſſum exemplar, quo ſe refert dicta inſcriptio, nullum aliud eſſe poſſit, quam editionis Peutingerianæ.

§. IX. Quis autem primi iſtius Chronici, quod Vrſpergenſis continuauit, auctor fuerit, nunc disquirendum erit. Germanum fuiſſe ex ipſo ſcripto ſatis conſtat. Quippe ad annum 1099. *p. m. 231.* Germanam natio-

nem,

nem,noſtram gentē vocat,& addit: *tam nos Romanis,quã Romani nobis inuiſi & infeſti* & ad annũ 1101. *p.m.238. incredibile*, ait, *memoratu eſt,& ad recordandum expertisque horribile, quanta in noſtro, hoc eſt Germanico collegio, quod omnibus erat rarius, tunc fuerit titubatio.* Ipſe etiam expeditioni ſacræ ſub Balduino interfuit, quod teſtantur verba ad Annum 1099. *p. m. 233.* & ad annum 1101. *p. m. 239.* Exauctorationi Henrici IV. ſe interfuiſſe ad annum 1102.*p.m. 241.* teſtatur. Et ad annum 1105. *p. m. 143.* ipſum quoque concilio Northuſano interfuiſſe ex ipſius verbis concludi poteſt. Coniicit ergo Boſius in Franconia, & fortaſſe Bambergæ eundem vixiſſe,*exercit. in periocham Fl. Ioſephi cap. II. §. 50.* Quin & circa nomen auctoris indagandum curioſus fuit ipſe celeberrimus Boſius. Quippe ab initio manu ſcripti codicis ſui hæc adnotauit: *An eſt Eckardus abbas Vraugienſis monaſterii in diœceſi Herbipolenſi ordinis S. Benedicti, qui floruit ſub Conrado III. anno 1130. Voſſius lib. II. c. XLIX? an Hugo de S. Victore? An Robertus de Monte? an Honorius Auguſtodunenſis qui vixit ſub Henrico V. & inter ſcripta ſua commemorat ſummam totius de omnimoda hiſtoria.* Dubitat ita, nihil certum definit, cum, licet horum ætas plerumque in hæc incidat tempora, rationes tamen nondum habuerit probantes.

§. X.

§. X. Aliis dicitur Abbas Schwartzha-menſis vt Voſsio *de Hiſtor. lat. lib. III. c LXVI. p. m. 382.* aliis Schwartzheimenſis Ericus Mauritius *diſſ. de libris iuris Comm.* §. *XXI.* Veriori tamen nomine Schwartzahenſis vti & ipſi Voſsio *lib. III. p. 733.* & quod exinde corruptum quaſi proprium nomen Schwartzhahn. Ex eo oritur quæſtio, an hoc Chronicon, quod continuauit Vrſpergenſis, idem ſit cum eo, quod Chronicon Schwartzahenſe vocant Freherus & Goldaſtus, quod & ex Freheriana in Heidelbergenſi Academica extare teſtatur Ericus Mauritius *c. l.* & in Guelferbytana ex litteris Conringii teſtis eſt Boſius *c. l.* Idem quidem eſſe dubitat Boſius *in notitia ſcript. hiſt. vniu.* §. *20.* hac maxime ductus ratione, quod ea quæ ex Schwartzahenſi manuſcripto adducant Goldaſtus & Freherus in dicto Chronico impreſſo non reperiantur, nec pro certo adſerere audet B. Sagittarius. Nec tamen vllum amplius ſupereſt dubium, eſſe vnum idemque. Coincidit enim ætas, conueniunt verba & rationes. Marquardus quidem Freherus in directorio ſcriptorum hiſtoricorum, quod rerum Germanicarum tomo primo præmiſit, monachum Schwartzahenſem Chronicon ab O. C. vsque ad annum 1126. ſcripſiſſe teſtatur, quod manuſcriptum etiam laudat Golda-

ſtus

ſtus in notis ad Tomum primum ſcriptorum Rerum Alemannicarum *p. m. 207.* aitque illum Einhardum vocare Archicapellanum, quod quidem hucusque nondum reperire licuit, alio tamen loco, vbi de Carolo M. ſermo eſt, Eginhardum vocat actuum eius ſcriptorem. Interim tempus, quousque vtrumque Chronicon productum, coincidit. Melius hæc adhuc patebunt ex conuenientibus verbis. Goldaſtus quippe, non ſolum claris verbis id teſtatur, ſed & loca quæ ab eodem ex Schwartzahenſi Chronico adducuntur, cum noſtro plane conueniunt. Hæc enim Goldaſti verba *in diſſertatione apologiæ pro Henrico IV. præmiſſa p. m. 13.* vbi de primo auctore Bennone agit: *Huius*, inquit, *mentionem facit Abbas Schwartzahenſis, qui ipſi Bennoni σύγχρονος fuit, in Chronico, quod poſtea Abbas Vrſpergenſis continuauit. Ibi ſub anno MLXXV. in hunc modum legitur: de vita & geſtis Hildebrandi qui Rom. Pontifex factus Gregorius VII. dictus eſt per Brunonem [perperam pro Bennonem] Cardinalem, qui eo tempore vixit, deſcripta.* Eadem verba & in impreſſo exemplari, & in vtroque Codice extant. Sic Goldaſtus *p. m. 36.* verba allegat ad annum 1106. de Leodicenſi epiſcopo, quæ totidem verbis reperiuntur *p. m. 251.* Alia verba, quæ Goldaſtus *p. 40.* ad annum 1085. adducit, extant

p. m.

p.m.226. & quæ *p.44.* extant *p. 225. in f.* vt vel ex hac vtriusque chronici verborum collatione nullum amplius ſupereſſe poſſit dubium. Quin & ipſe cœnobii ſui fundationem docet. Ita enim ad annum 815. *p.m.131.* loquitur: *quo etiam anno cœnobium Schvvartzahenſe a Meginguado comite & Ymina vxore eius, in honorem Domini noſtri Saluatoris & ſanctæ Deigenitricis, ſanctique Sebaſtiani, & ſanctæ Fœlicitatis Martyris, ſub primo eiusdem monaſterii Abbate Benedicto nomine, libera totius ſeruitutis & exactionis conditione conſtruitur, & poſtmodum primo monaſterio collapſo, in honorem ſanctæ Deigenitricis & ſanctæ Fœlicitatis ac VII. filiorum eius reparatur.* Quæ verba in Boſiano quidem codice omiſſa, in altero vero, eodem tenore continentur.

§. XI. De nomine nihil habemus, quod dicamus, religioſum tamen fuiſſe ſatis conſtat. Aliis quidem dicitur Abbas Schvvartzahenſis, monachum autem fuiſſe certum eſt, quod ex ipſius ore didici, dum ad annum 1099. *p. m. 232.* ita loquitur: *Eodem tempore Gregorius presbyter, qui nunc ſub monachica profeſſione nobiscum cum primogenitis aſini debitum ouinum Chriſto perſoluit* &c. Nec in Abbatum ſerie quemquam reperio, cui hoc Chronicon adſcribere poſſimus. Burcardus quidem decimus Abbas, auctore Bruſchio *p. m. 526.*

pro copioſiore adornanda bibliotheca, ſcribi iuſſit libros centum & octuaginta quatuor, ſed is iam anno 1096. mortuus, cum noſter ſe anno 1099. monachum fuiſſe teſtetur. Succeſſor Altmannus locupletauit bibliothecam, cum autem inter hiſtoricos eſſe referendum nullum extat monumentum: ipſius vero iuſſu atque auctoritate hoc Chronicon eſſe conſcriptum concludimus. Sub finem ergo ſeculi vndecimi huius Chronici auctorem vixiſſe, ex verbis eiusdem, quæ ſupra a §. V. adduximus, ſatis clarum eſt, quippe qui cum multis rebus, quæ illis temporibus geſta, ſe interfuiſſe, eademque vidiſſe, iisdem teſtatur ita vt eundem non amplius cum Voſſio p. m. 733. inter incertæ ætatis anonymos referre neceſſum habeamus.

§. XII. Nec tamen vltimus huius Chronici continuator fuit Vrſpergenſis, ſed Caſpar Hedio non ſolum, vti ſupra diximus, idem ad tempora vsque Caroli V. continuauit, ſed & alius anonymus hoc Chronicon non continuauit quidem, ſed quædam addidit atque ad marginem notauit, quæ poſtea ipſi Vrſpergenſis textui per librarios fuere inſerta, vti ſupra §. I. locum adduximus, qui occurrit ad annum 1193. *p. m. 305.* vbi hæc extant verba: *audiui ego id ipſum a domino Chunrado, qui poſtmodum fuit Abbas Præmonſtratenſis.* Quia

huc

hic alius, quam noſter Conradus, cum nemo alius eiusdem nominis Præmonſtratenſis Abbas fuerit. Tempus etiam conuenit, cum ſub finem ſeculi duodecimi vixiſſe iamdum ſupra dixerimus. Immo & ſtatus, ex ſeculari quippe religioſus factus Vrſpergenſis. Ita vt ſatis conſtet, aliena manu hæc fuiſſe inſerta, id quod aliis quoque locis factum fuiſſe omnino coniectandum. Atque hæc ſatis ſunt de noſtro hiſtorico, quem prolixioris explanationis non indignum eſſe iudicauimus.

OBSERVATIO XXI.
DE GVILIELMO POSTELLO.

Σύνοψις.

Vita Poſtelli paucis delineata, §. I. *Elogia eius*, §. II. III. *Cenſura de eius eruditione*, §. IV. *Atheiſmus illi obiectus*, §. V. *itemque hæreſis*, §. VI. *Enthuſiaſmus & Fanaticiſmus*, §. VII. *In moribus tamen eius nihil unquam reprehenſum*, §. IIX. *Ab Atheiſmi ſuſpicione liberatur, & de ſcriptis eius rite diſcernendis non nulla obſeruantur*, §. IX. *Sententia eius de DEO & Scriptura S. ex antiquitatibus eius Etruſcis exprimitur*, §. X. XI. *Quo pacto Trinitatem perſonarum ex ratione demonſtrare conatus fuerit*, §. XII. *Ex libro Poſtelli de rati-*

omnibus Spiritus S. haec porro ediſſeruntur, §. XIII. *Quo animo Poſtellus erga diſſentientes, praecipue Proteſtantes fuerit, ὡς ἐν παρόδῳ explicatur*, §. XIV. *An Syncretiſmum vniverſalem introducere voluerit? itemque an propenſo in Mahumedanos fuerit animo? diſquiritur.* §. XV.

§. I.

DE Guilielmo Poſtello multum a viris eruditis dictum, nondum tamen tantum, vt exinde liquido, quid tandem de eo ſtatuendum ſit, conſtare queat. Obſcuris ortus eſt parentibus prope Barentonium Normanniæ vicum, circa finem circiter ſeculi decimi quinti. Ingenio praeclaro & ad literas apprime apto praeditus, tam felices in ſtudiis literarum progreſſus fecit, vt multi eo eſſent inferiores, pauci, qui cum illo comparari poſſent, nemo fere, qui ſuperaret, reperiretur. Sed rerum omnium inopia laborans, aliorum liberis erudiendis comparare ſibi, quo vitam toleraret, neceſſe habuit, tandem ludimagiſter paganus factus, mox, cum dotes tam excellentis ingenii latitare diutius non poſſent, ex ludimagiſtro peregrinarum linguarum Profeſſor in Academia Pariſienſi creatus eſt. Aſt inceſſit eius animum

mum cupiditas exteras regiones, præſertim Orientales perluſtrandi, qua in peregrinatione ſedecim conſumpſit annos. Tandem cum ex Aſia redux Romam veniſſet, hæreſeos accuſatus, coniectusque fuit in carcerem. Mortuo autem Paulo IV. Romano Pontifice, A. 1559. ædes inquiſitorum effractæ, captiui educti & libertati reſtituti ſunt, quos inter etiam fuit Guilielmus Poſtellus. Venetiis aliquantiſper ſubſtitit, ibique in fœminæ iſtius incidit amicitiam, quã deinceps tot magnificis ac præclaris in cœlum laudibus extulit, vt eam pro fœminarum Redemptrice venditaſſe a nonnullis perhibeatur. Pariſios cum rediiſſet, rurſus in hæreſeos venit ſuſpicionem, eo quod talia doceret, quæ cum recepta per orbem Chriſtianum doctrina non conuenire videbantur. Sunt, qui dicunt, eum perſuadere auditoribus ſuis, qui magna frequentia ad eum concurrebant, voluiſſe, quod a morte reuocatus Numinis beneficio iuuenile robur corporis viresque recepiſſet. Qua in ſententia facile eos confirmari potuiſſe, aiunt, eo quod multi, cum Pariſiis diſcederet, vetulum iam & canescentem meminerint, eundemque poſt reditum nigricante barba & aetatis flore conſpicuum viderint. Sed addunt, eum nigrum barbae per pigmenta induxiſſe co-

 lo-

lorem, vt miraculo fidem faceret. Sed nouorum dogmatum hæreſeosque ſuſpectus denuo vertere ſedem neceſſe habuit, contulitque ſe Viennam, & in aula Cæſaris Ferdinandi I. vixit. Poſtea tamen facultas in patriam redeundi illi conceſſa eſt, eo quod, vti nonnulli aiunt, noua iſta placita reiecisſet. Sed ea cum iterum proferret in lucem, in Monaſterium Martini relegatus eſt, ibique octodecim annos vixit, tandemque anno 1582. centenario maior, vel, vt alii volunt, centenario proximus obiit. Hæc maximam partem ex Scæuolæ Sammarthani deſumpſimus elogiis, cum quibus ceteri, quod ad ipſam vitæ eius hiſtoriam attinet, conſentiunt, vid. Elogia Sammarthani p. 22. 23. Edit. Ien.

§. II. Videamus nunc eruditorum de eo iudicia: & primo elogia, quibus eum mactarunt, deinde & cenſuras afferemus. Ipſe Sammarthanus quem iam laudauimus, *eum ingenium apprime capax, & ad concipiendas artes idoneum a naturae bonitate accepiſſe* ait. Voſſius *eum ingenii admodum capacis, linguarum Orientis intelligentisſimum, varia doctrina inſtructiſſimum fuiſſe*, dicit, *de Mathem. p. 57.* Excellens Philoſophus, Coſmographus, Mathematicus vocatur *in prior: Scaligerianis, p. 125. Jacobus Gualterius* inſtitutum de Poſtello

ſer-

ſermonem, teſte *Johanne Launoio*, ita concludit: *Vbi* (Lutetiæ) *& ipſe, A. 1578. docentem audiui tanto auditorum quaſi ad rediuiuum & inuſitatæ ætatis Doctorem accurrentium numero, tantaque ingenii, doctrinae multiplicis, ac memoriæ demonſtratione, vt vix credi poſſit, dixeritque aliquando vir acris iudicii Maldonatus illum allocutus: mirari ſe talem in mundo virum exiſtere, cuius vtique quot verba, tot eſſent apophthegmata*, de *varia fortuna Ariſtot. in Acad. Pariſ. p. 69.* Et hæc quidem eiusmodi eſſe, vt ſufficere ei queant, qui ita commendare Poſtellum velit, vt magis commendari non poſſet, idem Launoius exiſtimat. Bibliander de eo ita: *Poſtellus non ſine honore mibi nominandus, quippe qui nobis Arabicæ linguæ præceptiones tradiderit, de Rat. Comm. Orien. Lingu. Cap. II.* Quibus denique adiungo Morhofium, qui etſi in illo aliqua damnanda & heterodoxa, aliqua ſuperſtitioni propiora agnoſcat, multa tamen acute excogitata & profundam doctrinam ſpirantia in eo ſe deprehendiſſe, profitetur. in *Polyb. pag. 73. 74.*

§. III. Nec minus præclare de eo ſentit *Antonius Teiſſierius*, cuius verba ex ſermone Gallico in Latinum ita transtulit Thomas Pope-Blount: *Guilielmus Poſtellus eo ingenii vigore, eo acumine, eaque memoria pollebat, vt prodigium quoddam cenſeretur. Genius erat vniuerſalis, qui nibil ignorabat, quippe in lingua-*

rum notitia cumprimis excellebat. Præter Latinam, Græcam, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, adeo callens erat earum, quarum hodie vſus eſt, quas viuentes dicunt, vt totum terrarum orbem absque interprete ſe peragrare poſſe iactaret. Franciſcus I. qui literas amabat, & Regina Nauarræ, quæ docta erat, Poſtellum tanquam mundi miraculum ſuſpiciebant. Maximi Dynaſtæ, & inter alios Cardinalis Turonenſis, Lotharingius & Armeniacenſis eius colloquia quærebant, eumque vt Principem quadantenus colebant. Doctiſſimis admirationi erat, & de ipſo dici ſolebat, tot oracula, quot verba ex ipſius ore prodire. In Cenſura Celebrior: Auctor. p. 670. Iohanne Buxtorffio auctore, Poſtellus *ex complurium Orientalium tum librorum, tum regionum perluſtratione magnam ſibi harum rerum peritiam & experientiam adquiſiuit. Diſſertat. Philologico-Theologicar. IV, §. XLV.* Petrus Daniel Huetius autem ita de eo pronuntiat: *a Guilielmo Poſtello e variis linguis quam plurima latine expolita ſunt. Fidam quidem & preſſam, doctrinæ quoque & ingenii notis diſtinctam, at operoſam & anxiam interpretandi rationem eruditus ille vir executus eſt,* de *claris interpretibus. p. m.* [illegible]. Atque patet ſane ex hactenus allatis virorum doctorum teſtimoniis, non tantum apud Pontificios, in quorum communione vixit propter linguas & peregrinationes orienta-

entales, eum in pretio habitum fuiſſe, vti pronuntiat *Giſbertus Voëtius* in *Paralipp. Tom. I. Diſpp. Select. p. 1145.* ſed quosdam etiam Proteſtantes inuidenda plane illi ſuspendiſſe elogia.

§. IV. Sed addamus quoque cenſuras, quibus multi Guilielmum Poſtellum vexarunt. Eruditionem eius præſtantiſſimi admirati ſunt viri. Non tamen defuerunt, qui hanc quoque ſugillarent. Sammarthanus *eum melioris diſciplinæ ſubſidio deſtitutum, ea nitidioris eloquentiæ facultate caruiſſe, quæ una maxime doctorum hominum ſcriptis dignitatem atque ſplendorem afferre poteſt*, pronuntiat l. c. *Linguarum non ignarum, ſed nullius ad vnguem peritum fuiſſe* autumat Scaliger, in *Scaligerianis prior: p. 125.* Idem tamen addit, ſe illi inuidere linguam Arabicam. Idem in Epiſtolis: *Sed de eo* (Poſtello) *hoc certo prædicare poſſum, eum linguæ Arabicæ non adeo, quantum videri volebat, peritum fuiſſe. Nam præter quædam, quae parum cauiſſe videtur in Hiſtoria orientali, ex familiari colloquio id plane deprehendere potui.* Et paucis interiectis: *Imperitiam Arabiſmi potes animaduertere ex interpretatione primi capitis Alcorani, quam matrem vocant Muſulmanni, quam omnem, praeter tria aut quatuor verba, infeliciter reddidit. Ep. LXII. ad Steph. Vbertum, p. 648.*

§. V. Sed leuiora hæc merito alicui videri poſſunt præ iis, quæ ab aliis illi obiiciuntur. Inter quos primo loco ponendi ſunt, qui eum aut *Atheis*, aut *Deiſtis*, ſiue *Naturaliſtis* annumerant. Auctor Turco-Papiſmi, (Matth. Sutliuius) illum vocat *hominem impuriſſimum, & plane Atheum, Lib. I. p. 187.* Quod Sutliuii iudicium ita refert *Theophilus Spizelius in Scrutinio Atheiſmi p. 50.* vt non plane improbet, licet illorum quoque ſtatim iniiciat mentionem, qui Poſtellum pro fanatico & ſtulto habuerunt. *Henricus Ernſtius obſeruat. variar. Lib. II. Cap. XXXVI.* Poſtellum a quibuſdam libri de tribus impoſtoribus auctorem haberi refert, obſeruante quoque *Morhofio l. c.* qua de re iam ſupra *Obſeruat. VII.* quædam dicta ſunt. Apud eundem Morhofium *Henricus Stephani* in *Introductione Tractat. de conformitate miraculorum antiquorum & nouorum. Cap. XIV. p. 100.* narrat, illum publice dixiſſe, quod qui bonæ religionis ſpeciem efformare velit, eam ex tribus iſtis, Chriſtiana, Iudaica, Turcica, conflare debeat. *l. c.* Quæ eo pertinent, ni fallor, quod ex omnibus huſce religionibus ſeligi ea debeant, quæ rationi maxime ſint conſentientia, quanquam & propenſio ſingularis erga Muhamedanam religionem illi obiici ſoleat. Sed ad Deiſmum quod attinet, addi hiſce omnibus adhuc debet

bet *Theophilus Raynaudus* itidem Morhofio memoratus,qui Poſtellum Deiſtarum parentem vocauit.

§. VI. Qui autem toties Atheiſmi accuſatus eſt, ei hæreſeos ſæpius inuſtam fuiſſe notam, nemini mirum forte videbitur. Atque toties ſane hæreſeos poſtulatus fuit, vt integri voluminis res eſſet, iudicia Auctorum, Hæreticis Poſtellum annumerantium, colligere. Iuuat tamen non nullos audire. In Indice Tridentino inter Hæreticos primæ claſſis collocatur, obſeruante præter alios Thoma Popeblount in *Cenſura Auctor. Celebrior. p. 671.* Bezæ audit *omnium hæreſeon ipſis etiam Romanis inquiſitoribus iudicibus, cloaca. Epiſt. Theol. p. 21.* & alibi idem Beza de Poſtello ita pronunciat: *omitto Poſtellum monſtrum ex omnibus omnium ſeculorum hæreſibus conflatum, quo nunc etiam, quantumuis recutito, bona Sorbona delectatur*, quæ Bezae iudicia aliaque paſſim inferenda debemus excerptis B. *Jacobi Thomaſii*, In notis autem ad *Ioh. XXI. 22.* Beza eum vocat *inſanum, ſed nihilominus ſceleratum Poſtellum*, & addit: *Poſtellus vero, cum hæc ſcriberem, adhuc Lutetiæ poſt tot blaſphemias a Sorboniſtis etiam ipſis toleratur.* Acerbiſſime etiam de Poſtello iudicat Lambertus Danaeus in *notis ad Auguſtinum de Hæreſibus, p. 225. Certe*, inquit, *noſtro ſeculo & memoria impu-*

puriſſimus quidam nebulo, G. Poſtellus, Sorboniſtarum Pariſienſium deliciæ, hunc blaſphemum errorem impudenter quidem, ſed tamen libere Lutetiæ renouauit, dixitque, nos a Chriſto ab umbilico tantum ad caput ſaluos eſſe factos: reliquas autem noſtri partes & inferiores umbilico non a DEI Filio, ſed a Johanna quadã, ſcorto ipſius, (quam etiam inceſtuoſus homo matrem ſuam appellabat) redemptas liberatasque eſſe. Quale opinionum portentum canem illum etiam publice in media Academia euomuiſſe, ſciunt omnes, qui eum profitentem Cl. Ptolomei 200 canones mecum Lutetiae audierunt. His & multis aliis, quos lubens prætereo, adhuc addo *Matthiam Flacium* Illyricum, qui Epiſtolam Poſtelli ad Caſparem Schwenckfeldium edidit, eique præfatiunculam præmiſit, in qua ſtatim ab initio eum vocat *omnium, qui viuunt, aut etiam forte vixerunt vnquam mortalium erroribus refertiſſimum.* Et mox, cum nonnulla ex Poſtelli libro de Virgine Veneta retuliſſet, porro hæc ſubiicit: *Talibus multis ac inauditis furoribus eſt ille liber, & alia eius ſeductoris refertisſimus, vt non dubites, non hominem, ſed Satanam, aut etiam multas Diabolorum legiones in illo hominis cadauere inhabitantes talia contra DEUM blaterare ac blaſphemare.*

§. VII. Fuerunt denique, qui Poſtellum non tam pro hæretico, quam Enthuſiaſta,

Fa-

Fanatico, quin homine inſano & mente capto haberent. De Morhofio jam ſupra obſeruauimus, eum ad Enthuſiaſtas potius, quam Atheos Poſtellum referre. *Fanaticum*, inquit Gisbertus Voëtius, *& vertiginoſum fuiſſe ſatis arguunt ſtolidi tituli librorum ipſius', quorum catalogum nuper quis dedit, cum opuſculo, cui titulus: Abſconditorum a conſtitutione mundi clauis, Guilielmo Poſtello ex diuinis decretis exſcriptore, in Paralipp. T. I. Diſpp.* Select. *p. 1145.* De quo tamen argumento an id euincat, quod cupit Voëtius, videant alii. Inſaniam illi exprobrat Scaliger: quem, inquit, *inſania ab omnis malitiæ ſuſpicione vindicare poterat: & qui aliter de illo iudicant, longe decipiuntur. Ep. LXII. ad Stephanum Vbertum, p. 648.* Eum præ nimia Rabbinorum lectione, & Aſtrorum contemplatione tam abſurdas opiniones animo concepiſſe, putat Antonius Teiſſierius l. c. Antonius autem Verdierius hæc de eo refert: *E quibusdam autem cum ipſo ſermonibus habitis circa Philoſophiam, & aliqua Theologiæ capita, cognoui, eum aut mentis compotem non eſſe, aut ſaltem nequam & malignum eſſe virum. Obſeruaui pratera, eum ambitione & arrogantia ſumma turgidum eſſe. Nam poſt plures chimæricos ſermones, in quibus nihil capiebam, nec forſitan ipſe, quid diceret intelligebat (inter quos impudens ille aſſeuerauit, quemlibet, qui eadem,*

eadem, qua ipſe, notititia & ſcientia inſtructus eſſet, nunquam moriturum) cœpit poſtea in defunctum Reuerendiſſimum Carolum, Lotharingiæ Cardinalem, mille conuitia eructare, innumeriſque ambagibus Prophetam quendam ſeſe venditare tentabat ap. Thomam Pope-blount l.c.p.670.

§. IIX. Ceterũ id neutiquam hic prætereundum duximus, in tanta ſcriptorum ſiniſtre de Poſtello iudicantium copia, neminem tamẽ, quantum mihi conſtat, unquam extitiſſe, qui mores impuros, aut flagitia quædam ſceleraque illi obiicere auſus ſit. Ambitio illi a Verdierio, & forte aliis nonnullis obiicitur, ſed hæc omnibus, qui ſingulares opiniones fouent, easque defendendas ſuſcipiunt, exprobrari ſolet. Imo cum centenarius, vel, vt alii referunt, centenario maior obiret, ſemperque proſpera ad hanc ætatem vſus eſſet valetudine, huius rei continentiam a Venere, caſtitatemque, cui ſe deuouiſſet, afferebat cauſam, teſte *Natali Alexandro H. E. Sec. XVI. p. m. 168.* Quicquid huius ſit, quæ paſſim illis obiiciuntur, ad ſequentia reuocari poſſunt capita, Atheiſmum & Naturaliſmum, uniuerſalem religionum Syncretismum, hæreſes, variosque errores, & denique Enthuſiaſmum & Fanaticiſmum. Nobis ſane neutiquam conſtitutum eſt defendere Poſtellum, aut eius apologiam ſcribe-

bere, ſed cum Hiſtoricorum hic fungamur munere, paucis præcipuos eius libros, quorum compotes fieri potuimus, perluſtrabimus, & exinde colligemus, quæ ad iſta, quæ illi obijciuntur, aut confirmanda, aut refellenda, aut mitiganda facere videbuntur. Intereſt enim rei literariæ veritatem hic quoque nude, ſine amore, ſine odio proponi.

§. IX. Ab Atheismi quidem ſuſpicione Poſtellum omnia ejus ſcripta, imo omnes omnium librorum lineæ liberant. Imo in libro de concordia orbis, cuius duæ mihi præſto ſunt editiones, vna in fol. altera in forma, quam vocant octauam, vtraque ſine loci & temporis, quo impreſſa ſit, indicio, Chriſtianæ religionis veritatem tam egregie comprobat, vt ab illis etiam, qui ceteroquin in eum iniquiores videntur, hic ejus fœtus laudetur. Sed obſeruandum hic, duo poſſe librorum a Poſtello editorum interualla conſtitui. Nonnullos edidit, cum receptis eccleſiæ ſuæ placitis adhuc inhæreret, aut non multum ab illis diſtaret. Reliquos cum de multis religionis capitibus aliam animo conceperat opinionem. Innuit hoc ipſe Poſtellus, dum in Panthenoſia, quam ſub nomine *Eliæ Pandochei* latitans edidit, p. 209. ita ſcribit: *Mirabitur genus humanum, quod tanta, (ut dicet)*

dicet) ſimus inconſtantia, vt quod diſſipare ſategimus, nunc denuo vnire & in amplexus reducere conemur, dando aliquid perfectionis Alcorano & eius Auctori: Sed licet libros de orbis terræ concordia ante ſcripſimus, quam reuera inhabitantem Spiritum Chriſti in nobis fide viua cognoſceremus: tamen ex ordine naturali hoc factum eſſe, in ſuperioribus inferioribusque cognoſcet, quisquis recte iudicare ſataget. Diſerte hic profitetur, ſe libros de orbis terræ concordia ſcripſiſſe, antequam reuera inhabitantem Spiritum Chriſti in ſe viua fide cognoſceret: Vnde conſequitur, tum Panthenoſiam, tum alios quoque libros ab eo ſcriptos, poſtquam inhabitantem Spiritum Chriſti in ſe viua fide cognouit. Alii forte hoc ita exprimrrent, libros de orbis corcordia ab eo ſcriptos, cum nondum Fanaticus eſſet, reliquos autem, cum iam varios de doctrina cœleſti animo concepiſſet errores. Idemque ſane innuit Gabriel Naudaeus, dum de Poſtelli libris de orbis terræ concordia ita pronuntiat: *In quibus ferme ſolis nihil ineptum, aut quod ridiculum eſſet immiſcuit, ſed vniuerſam religionum omnium informationem inſtituit: noſtramque præſertim rationibus tum propriis, tum ex aliarum confutatione deſumptis, valde quidem acute ſubtiliterque confirmat.* De libris, quos de republica Turcarum Poſtellus ſcripſit, idem Naudæus ait, eos *cum nondum luxata mente eſſet,*

ſet a Poſtello ſcriptos eſſe, quid de ceteris ab illo ſcriptis, poſtquam Philoſophiæ theoſophicæ operam nauare inceperat, ſentiret, haut obſcure innuens, in *Bibliographia Politica, p.m.525. 526.* Atque hinc intelligere licet, cur liber de orbis terræ concordia, & alii nonnulli, iis non diſpliceant, quibus reliqua Poſtelli opera nullo modo placent. Videoque adeo paſſim libros de orbis concordia magnis in cœlum tolli laudibus. Conf. Natalis Alexander *l.c.*

§. X. Miſſis ergo illis libris, in quibus etiam ab aduerſariis ſuis pro ſano & orthodoxo agnoſcitur, nonnulla, ſed pauca ex iis ſcriptis, quæ vulgo damnantur, afferemus ad Atheiſmi & Naturalismi ſuſpicionem ab eo depellendam. Ab hac enim eo minus eum liberare dubitamus, quod iam hic præeuntem nobis habeamus Morhofium. Iure autem inter ſcripta huius interualli, ni fallor, refertur liber eius de *Etruriæ regionis, quæ prima in orbe Europæo habitata eſt, originibus, inſtitutis, religione & moribus, & inprimis de aurei ſeculi doctrina & vita præſtantisſima, quæ in diuinationis ſacræ vſu poſita eſt:* Ita enim titulus libri ſe habet, ex cuius editionibus ea mihi præſto eſt, quæ Florentiæ A. 1551. prodiit. Quod autem liber iſte recte in hanc claſſem referatur, coniicio tum ex placitis quibus-

dam paſſim inſperſis, tum ex tempore, quo ſcriptus eſt. Poſtquam enim iam Pariſiis diſceſſerat, eum ſcriptum eſſe colligo ex verbis, quibus Auctor in præfatione profitetur: *Media in Aſia cum ſtudiis & Auctoribus Arabicis conquirendis incumberem raptim, & ex originum Syriacarum ratione occaſioneque exaratum eſt, quicquid id eſt.* In eo itaque libro præter alia id præcipue agit, vt ſcripturæ ſacræ Θεοπνευςίαν aſſerat, & rationibus luculentis euincat, id quod ab omni impietatis ſuſpicione eum facillime liberabit. In eo ſingularem fouere ſententiam videtur, quod quæcunque in ſcriptura ſacra narrantur, ſymbola quoque & figuras futurorum arbitratur, hinc & *Diuinationum* nomine ipſam Scripturam ſacram deſignat. *Diuinationes*, inquit, p. 15. *omnia illa ſcripta voco, quæ in toto ſcripturarum veterum & nouarum volumine continentur, eo quod omnes ſententiæ ſacrorum, præter illas, quæ ad mores faciunt, ad doctrinam poſteritatis ita pertinent, vt ſint etiam futurarum figurae. Sicut enim vſu rerum naturalium videmus in omnibus, quæ naturaliter accidunt, cuiuis ſemini aut arbori eſſe veluti præſcriptum, & praedictio diuinatioque eorum, quæ unquam olim accident, eidem generi aut ſpeciei, cuius erat indiuiduum, ſic omnino in ſacris eſt. Sub vmbra enim perſonæ aut cuiusuis eccleſiæ electæ vel reprobatæ res geſtæ ſunt, quæ olim*

olim reuolutionibus ſeculorum, influxuum, & ſpirituum, in variis orbis partibus contingent, ad hoc, vt DEUM habere curam rerum humanarum oſtendant. Quæ ideo recenſuimus, quod multos alios quoque, interque eos *Johannem Coccejum*, doctiſſimum virum, eiusque ſectatores hac in re ſecum conſentientes habeat. Sed & quod de ſeminibus figuram ipſius arboris iam in ſe concludentibus ad ſententiam ſuam illuſtrandam affert, cum recentiorum quorundam obſeruationibus & experimentis conuenit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ad inſpirationem diuinam librorum ſacrorum quod attinet, eam primo ex ipſa fide, integritate, & ſanctitate auctorum comprobat. Supponit enim, qui tanta fide, integritate & ſanctitate eſt, quanta ſcriptores iſti diuini fuerunt præditi, eum non poſſe non diuino agi ſpiritu. Sed coniungit cum hac ratione aliam a diuina Scripturæ efficacia petitam, quæ tanta ſit, vt aliorum quoque hominum mores puros & ſanctos reddat, quali vi humana ſcripta, a viris quantumuis ſapientibus & doctis edita, non gaudeant. *Licet innumeri*, inquit, *in toto terrarum orbe dent operam Platoni, Ariſtoteli, Iſocrati, Ciceroni, & ceteris huius notæ primariæ viris, nullum tamen unquam reperire liceat, qui reuera moribus ſanctioribus ſit affectus ex eorum lectione. Illæ enim diſcipli-*

na doctiores quidem, ſed ſanctiores non reddunt, ea una de re, quod ne ipſis quidem ſcriptoribus, quamuis ſint veriſſima, fidem ſuæ veritatis fecerunt: fuere enim corruptiſſimi in ſe, qui optime ceteris tantum, & non ſibi ſcripſerunt. Quae omnia in ſcriptoribus ſacris ſecus ſe habuiſſe demonſtrat, indeque porro rationem arceſſit, cur tam generali conſenſu tot populorum per tot ſecula libri iſti ſacri recepti ſint, cuiusmodi quid nullo unquam ſcripto humano contigerit. Tandemque concludit: *Vnde eſt omnino colligendum, huiusmodi ſcripta eſſe DIVINITVS INSPIRATA, & ab optimis viris, quique primi illa obſeruarunt, eſſe ſcripta, & vt impiis, ſoloque nomine philoſophis ſunt ridicula, ita ab integerrimis ſunt asſidue probata, inque præſentem deducta auctoritatem.*

§. XI. Hæc aperte nos docent, quæ Poſtelli de diuina Scripturæ S. inſpiratione fuerit ſententia, & quanta veneratione quoque ſcripturam ſacram fuerit proſecutus, dum impios & ſolo nomine philoſophos vocat, qui eius diuinæ auctoritati quicquam derogant. Matthias Flacius tamen in præfatione Epiſtolæ Poſtelli præmiſſa, hoc ei obiicit, ac ſi cum Schwenckfeldio in eo conſpiret, vt diuinam auctoritatem ſcripturæ ſacræ deroget. *Illa ergo*, inquit, *turba cacodaemonum, quae in Poſtello tales abominationum errores euomit, etiam*

iam hac Epiſtola ad Schwenckfeldium & commilitones ſuos in Stenckfeldio blatterantes ſcribit, ac hortatur eum, vt pergat ſedulo omnem vim ſalutis ac pietatis externis mediis, id eſt, Verbo ac Sacramentis, detrahere. Equidem hortatur Poſtellus Schwenckfeldium, vt pergat colligere (ſunt verba Poſtelli) diſperſas Chriſti oues, ſed hoc non illud eſt, quod illi exprobrat Flacius. Reprehendit quoque in iſta Epiſtola eos, qui ad externa & mortua elementa alligare homines contendunt. Sed an ex hisce verbi diuini contemptus colligi queat, iudicent, quorum intereſt. Nam quæ deinceps in Venetæ Virginis laudem dicit, & quæ huc facere videntur, alibi vocabuntur ſub examen. Quicquid huius ſit, nos ad origines Etruſcas Poſtelli reuertimur, quippe in quibus porro Cap. VI. euincit, præcipuum ſacræ diuinationis (h. e. ſcripturæ ſacræ) auctorem non poſſe non ſummam, quæ unquam in mundo poſſit oboriri (ita loquitur) eſſe potentia, ſapientia & bonitate, eiusque doctrinam eſſe rationi coniunctiſſimam, h. e. rationi rectæ non contrariam. Et certe non inepte hic obſeruat, nullum unquam legislatorem efficere potuiſſe, vt ſuae leges ſemper in eadem republica florerent, cum contra diuinarum literarum monumenta, quo magis impetita ſint, oppreſſa, atque

irr'ſa, eo latius ſeſe per orbem diffuderint. Latius hæc per integrum caput deducit ad diuinitatem ſacrarum literarum euincendam vtique comparata. In ſequenti autem ſeptimo hoc inſuper addit, nullam vnquam diſcuſſionem grauiorem (iterum Poſtelli verbis vtimur) in ullos auctores habitam, quam in eos, qui ſacræ diuinationis libros ſcripſere, & nihilo ſecius ſaluos ſemper & illibatos eosdem perſtitiſſe. Obſeruat hic, cum maximo & inter Samaritanos & Iudæos, & inter Iudæos ac Chriſtianos ſit laboratum odio, ſemper tamen omnes in eo conſenſiſſe, libros iſtos ſacros diuinos eſſe, & maxima veneratione dignos, licet Samaritani ſaltem quinque libros Moſis receperint. Vnus, inquit Iulianꝰ, Imperator diſertisſimus, quam acerbe potuit fieri, contra ſacra ſcripſit. Celſus argutisſimus hoc ipſum facit. Porphyrius, & Chriſtianorum doctrinam, & libros, ſummo cum fauore totius impietatis mundi euertere conatus eſt: innumera ſuarum inuectiuarum volumina curarunt transſcribi aſſeruarique. Sed quid? tanto illuſtrior facta eſt doctrina, quanto magis eſt concuſſa. Denique nequid huic tractationi deſit, in ſequenti capite octauo ex teſtimoniis auctorum profanorum doctrinæ, quam ſacræ literæ exhibent, veritatem comprobat. Sed piget plura addere,

re, cum ex dictis abunde conſtet,quæ Poſtello de ſcriptura ſacra ſederit ſententia. Hanc autem qui pro diuinitus inſpirata habet,illi Atheiſmus obiici nullo modo poteſt.

§. XII. Sed non abs re fuerit, hoc quoque addere, Poſtellum eorum myſteriorum, quæ Chriſtiani pro ſummis habent, Trinitatis & Incarnationis ſubinde iniicere mentionem, & ita quidem, vt non tantum hoc non in dubium vocet, aut vlla ratione labefactet, ſed potius vt in alterum extremum procurrendo,ex ipſa ratione aut confirmare & demonſtrare, aut etiam illuſtrare ea laboret. Et videtur ſane præcipuus error Poſtelli hic eſſe, quod omnia Doctrinæ capita ex philoſophia & ratione demonſtrare allaboret,cui alter forte accedit in omnibus eius ſcriptis regnans quod omnia principia theologica ad phyſicas quoque contemplationes accommodat, & has cum illis ſemper coniungit. Sed hac de re in ſequentibus. Iam quod de Myſterio Trinitatis & Incarnationis diximus, vno alteroue documento, pauca ex infinito eorum numero, quæ vbique ſe offerunt, ſeligentes, comprobabimus. In libro de *natiuitate Mediatoris vltima p.205*. Chriſtum ſecundum diuinam naturam ab æterno a Patre genitum demonſtrare ſuſcipit. *Æterna*, inquit de Chriſto verba faciens, *eſſe natiui-*

tate

tate & continua, præterquam quod fides inter Chriſtianos, tanquam certisſima docet auctoritas, rationibus iſtis omnibus veritati non repugnantibus ſuadebit. Ecce fundamentum huius doctrinæ in Scriptura S. quærit, cui tamen rationes ad idem euincendum adiungit. Sed videamus, quo pacto rationes ſubducat: *potentiam æternam infinitamque eſſe DEVM, inter homines conſtat. Atqui quantauis eſſet potentia, niſi ex æquo tantum continue ſciret, quantum poſſet, ex ſe ipſo asſidue generando ſapientiam æternam, nullo modo diceretur DEVS omnipotens, ſiquidem primum potentiæ impedimentum eſt inſcientia. Quam autem ſit neceſſarium, ſcientiam ex omnipotentia generari, nullo modo maior aut minor, prior aut ſeparata aut diuerſa, a potentia poteſt eſſe. Nam ſi erit maior, omnipotens non erit potentia, qua detur maior perfectio. Si minor, fruſtra plus poterit, quam ſciet. Prior eſſe non poteſt, quia ſcire ex potentia mentis præexiſtentis deſcendit. Poſterior ſimiliter eſſe nequit, quia fruſtra interim eſſet potentia. Separari non poteſt, quia non ejusdem, ſed alterius potentia eſſet.* Hæc de Filio. De Spiritu S. autem ſtatim ſubiicit: *Ab vtroque procedit amor. Potentia Patri, ſapientia Filio, & amor Spiritui S. applicatur.* Non is ſum, qui hunc modum demonſtrandi Trinitatem perſonarum in diuinitate laudare ſu-

ſuſtineam, aut qui omnino illis ſuffrager, qui iſtam ex ratione probari poſſe contendunt, multo minus conceptum Poſtelli de Trinitate approbauero, interim illud inde manifeſtum puto, Poſtellum Atheiſmi aut impietatis circa hæcce doctrinæ Chriſtianæ capita reum peragi non poſſe. Quicquid enim ſit de probatione & modo concipiendi iſtud myſterium, rem ipſam tenuit.

§. XIII. Addam hisce nonnulla eodem ſpectantia ex libro Poſtelli de *rationibus Spiritus S. qui Pariſiis prodiit. A. 1543. in 8.* In huius capite primo de DEO agit, & ſtatim ab initio grauiter Atheos & Epicuræos redarguit: *Magni*, inquit, *fuere ſemper errores circa ſummum bonum, bonique fontem, ſed primus & valdè nefarius eſt impiorum negantium, vlla prouidentia regi mundum, eumque cauſſam extra ſe habere inficiantium.* Subiungit, indignos eos eſſe, qui refutentur; cum perpauci fuerint, qui ita exiſtimauerint, iique perditiſſimi mortalium. Sed vnico tamen argumento Dei exiſtentiam probat, idq; hunc in modũ. *Nihil eſt in tota natura, quod a ſe ipſo posſit ortum ducere. Nam alioquin eſſet, antequam eſſet, quod eſt impoſſibile. Quare hoc naturæ templum habere cauſam DEUM oportet.* Imo videtur eam impietatem, quam Benedictus Spinoza poſtea in ſcenam aperte produxit, præuidiſſe, & præuidere potuit;

tuit, cum reuera antiquus ille Spinozæ error ſit, antiquis philoſophis, qui DEUM animam mundi ſtatuebant, communis; quare ſatis cordate hanc ſententiam reiicit: *faceſſat ergo impietas cum animali ſuo mundo, quæ mauult impactum DEVM materiæ credere & impotentem, vt ſine materia ad agendum conſiſtat, quam, quod eſt in omnibus creaturis manifeſtum DEI veſtigium agnoſcere.* Ex perfectione Dei porro colligit, eum eſſe infinitum, atque hinc Anthropomorphitas & Idololatras, figuram humanam DEO tribuentes refellit. Per Manichæorum principia, duos Deos ſtatuentium, DEVM nec potentiſſimum, nec perfectisſimum fore, adeoque eorum ſententiam, impietatem potius, quam hæreſin dicendam, contendit. Ex perfectione etiam DEI Muhamedis & ſequacium & Luciani impietatem, quæ neget in Deo Trinitatem eſſe, refutari poſſe autumat. Namque potentiam, ſcientiam, amorem DEO neceſſario conuenire, atque has proprietates eſſe tres perſonas Dei. *Sacroſancta itaque θεόπνευστος ſcriptura*, ita pergit, *nominibus ad noſtram fragilitatem accommodatis, vocat potentiam in ſe immotam, patrem, ſapientiam, ab æterno a potentia procedentem per modum generationis, filium verbumque, voluntatem amoremue, aut ad res ipſas affectum, Spiritum S.* Non poterat clarius aut apertius men-

mentem ſuam de perſonarum trinitate explicare. Num recte, videant alii. Confert hinc ſe ad refutandos Metangismonitas & Arrianos, inæqualitatem perſonarum, & Filium Patre minorem aſſerentes, & ſic ordine reliquos, qui hæretici audiunt, reiicit, & eundo per omnia doctrinæ Chriſtianæ capita, ſuam de iis mentem explicat, vt in pauciſſimis a recepta eccleſiæ, cuius ſacra ſequebatur, diſcedere videatur, doctrina.

§. XIV. Ne quid tamen hic diſſimulem, quod in placitis Poſtelli ſemper ſedulo eſt obſeruandum, videtur hic quoque liber ſcriptus eo tempore, cum nondum mente eas opiniones, quas deinceps defendendas ſuſcepit, concepiſſet. Namque ſi ab eo diſceſſeris, quod pleraque doctrinæ Chriſtianæ capita ex ratione demonſtrare allaboret, in ceteris receptas fere apud Romanenſes ſententias ſequitur. Atque ex tempore quoque, quo liber iſte editus eſt, colligas, eum eſſe inter primos forte ingenii eius fœtus: prodiit namque vti diximus. A. 1543. Atque idem quoque, ni fallor, iudicandum eſt de alio eius ſcripto, cuius itidem mihi facta eſt copia, quodue eodem anno 1543. Pariſiis impreſſum eſt. Titulus ei eſt: *Alcorani, ſeu legis Mahometi & Euangeliſtarum concordiae liber, in quo de calamitatibus orbi Chriſtiano*

ſtiano imminentibus tractatur. In eo enim id agit, vt in Proteſtantes ſiue Euangelicos, quos, neſcio qua de cauſa, *Euangeliſtas*, itemque *Ceneuangeliſtas* vocat, calamum ſtringat. Profitetur autem ipſe in præfatione, huncce librum velut pro ſupplemento quodam operis de orbis terræ concordia eſſe habendum. In hoc enim cum Mahumedanos & Iudæos confutaſſet, hoc demum illi ſupereſſe videbatur, vt hæreticos quoque, vt vocat, a Romanæ Eccleſiæ placitis diſſidentes, refelleret. Putat autem, cum reliqui, qui rationibus & auctoritatibus Proteſtantes oppugnare aggreſſi ſunt, parum hac ratione profecerint, aliam ſibi ingrediendam fuiſſe viam, vt nimirum, inſtituta inter Mahumedanos & Proteſtantes comparatione, demonſtret, illorum non minus perniciosa eſſe dogmata, quam horum, eos quoque eandem viam placita ſua propagandi ingreſſos eſſe, quam & hi calcauerint. Et agit ſane hoc per integrum librum, in quo animum Proteſtantibus admodum infenſum oſtendit. Statim enim in primo capite ediſſerit, *quo iudicio iudicentur Ceneuangeliſtae eſſe a Deo alieni*, & quae de hæreticis antiquis, eorumque agendi contra orthodoxos modo a nonnullis producuntur, ad Proteſtantes accommodat. Impu-

putat hic Proteſtantibus, quod ieiunia & cetera pietatis opera non eſſe bona dicant, continentiam vero ſupra vires humanas poſitam, in eoque eos Manichæis deteriores eſſe dicit. In ſequenti autem capite quid inter Mahumedanos & Ceneuangeliſtas, vt vocat, interſit, explicat. In tertio vero non tantum hæreſin tutari, ſed impietatem profiteri eos, probare aggreditur: & in quarto denique, quod vltimum eſt, doctrinam Proteſtantium orbi exitium allaturam, euincere ſatagit. Hæc omnia animum acerbum in Proteſtantes, & præiudicatis opinionibus circumſeptum, amorisque vacuum arguunt. Sed ſcriptus eſt, vti diximus, iſte liber, cum eccleſiæ Romanenſis placitis adhuc Poſtellus adhæreret, adeoque, quod eiusdem eccleſiæ mores referat, mirum forte non eſt. Equidem & in reliquis ſuis ſcriptis paſſim Eccleſiæ iſtius magnopere venerari auctoritatem videtur, ſed ſimul tamen mitiorem animum & amorem erga diſſentientes, cumprimis erga Proteſtantes, prodit. Quod ne fruſtra aſſeruiſſe videar, comprobabo hoc ex epiſtola ad Patres Concilii Tridentini, quam Poſtellus libro ſuo de *Natiuitate Mediatoris vltima* præmiſit. In hac enim grauiſſima oratione Patres iſtius Concilii adhortatur, vt tandem

ana-

anathemata in diſſentientes vibrare deſinant. Digna verba eius ſunt, quæ hic leguntur. *Hanc vero*, inquit, *ſcribo vobis veritatem, Patres, vt deſinatis anathematis perdere illos, pro quibus mortuus eſt Chriſtus. Ipſe enim in omnibus & ſingulis agit, lumine conſcientiae docens, vt ſint in vera gloriatione ſibi ipſis lex. Aperite oculos, Patres, fratres, filii: aperite oculos, & videte, quomodo Chriſtum Ieſum, mundi Redemptorem in naturae humanæ carnificinam conuertitis imprudentes. Nunquam enim Sacra Scriptura non accedentibus ad ſe anathemata eſt imprecata. Etenim licet dixerit: omnes eſſe initiandos, tamen eadem dixit: In omni gente, qui facit bonum, hic eſt acceptus illi. Nonne videtis, intolerabiliorem facere nos conditionem Chriſtianiſmi, quam Iudaiſmi? &c.* Et paucis interiectis: *At vero mihi dicetis: Illis non imprecamur qui nondum acceperunt, aut qui pridem eius veritatem perdiderunt: compeſcere illos volumus, qui ab agnita & ad hanc diem probata in Eccleſia veritate reſiliunt: Poteſtis ſine anathemate mederi, Patres, inſtar Scripturæ loquendo & definiendo.* Cordate hæc omnia, & perquam ſapienter Poſtellus. Nec potuiſſet ſane animum, a ſpiritu, qui pleroſque Romanenſis eccleſiæ Præſules alioſque agitat, & ad ſæuitiam, crudelitatem, ſaltem anathemata & execrationes impellit, alienum, teſtari Iu-

luculentius, quam ad ipſos Patres Concilii Tridentini talia ſcribendo, quæ illorum inſtitutis & moribus e diametro erant aduerſa. Vſus profectò hic eſt Poſtellus tanta libertate, quæ in animum mediocrem non cadit. Namque non tantum diſerte profeſſus eſt, nefas eſſe, diris & anathematibus in Proteſtantes ſæuire, ſed hoc inſuper addidit, Concilium iſtud Tridentinum nullo modo pro œcumenico haberi poſſe. *Grauius aliquid*, inquit, *addam, Patres, quoniam nomine vniuerſi loquar vobiscum, nullius plane potentiae aut gratiam captans, aut potentiam veritus (nam loquitur in me Ieſus.) Qui fieri vnquā poterit, vt œcumenici concilii rationem poſſint in vniuerſo habere veſtra decreta, cum ex innumeris prouinciis & gentibus, in toto orbe agentibus, vix pauci ex Italia, ex Hiſpania, Galliaque conueneritis? Oculatus mundus eſt, verba ſibi amplius dari non vult.* Et paucis interiectis, iterum eos ſic alloquitur: *Hoc vnum vobis dico, Patres, vt ſine anathemate veritatis leges exponatis.* Sed nolo plura addere. Hæc enim ſufficiunt, vt quiuis inde Poſtelli animum perſpicere queat.

§. XV. Quæ hactenus attulimus, eo ſpectant, vt quid Poſtellus de Deo, Trinitate perſonarum, Scriptura S. aliisque grauiſſimis doctrinæ Chriſtianæ capitibus exiſtimauerit

menti, nunquam diſſentientes vibrato in eos anathematis fulmine ab eccleſiæ communione excluſiſſe. Meruiſſe Cainum, vt excommunicaretur, non tamen legi eum excommunicatum. Hami maledictionem non eſſe ſecundum literam intelligendam. Abrahamum omnes ſeruos, licet forte non omnes eiusdem fuerint religionis, circumcidiſſe. Nec Ægyptios excommunicatos, aut plane ſecluſos fuiſſe ab Eccleſia Iſraëlitica, & ſic porro. Hæc aliaque hunc in modum poſtquam ediſſeruit, veritates quasdam, quæ ad æternæ veritatis rationem omnium iudicio ſint neceſſaria, ponit. Sunt iſtæ veritates ſequentes. Primo de Deo, quod ſit omnium cauſa, quod ſit per ſe incomprehenſibilis, infinitus, immobilis, quod nihil illi poſſit addi, quod non poſſit minui, quod nihil illi poſſit accidere nouum, quod cum ſit omnipotens, nunquam tamen abſoluta vtatur potentia, ſed ſecundum ordinem ſemel a ſe conſtitutum agat, quod finem omnibus præſtantiſſimum poſuerit, imo quod ipſe principium ſit & finis. Haec de DEO. Sequuntur veritates de natura, quarum ſumma huc redit, quod nihil poſſit vlla ratione a ſe ipſo creari, quod omne creatum finitum & comprehenſibile ſit, quod finita, & materialia potisſimum, non a ſe, ſed aliunde motum habeant, quo ferantur ſecundum natu-

Z ras

ras ſuas, quod creato addi aliquid poſſit & detrahi, quod nouum quoque ſit & mutationi obnoxium, quicquid eſſe incepit, quod licet quædam inordinate agi videantur, in curſu ſuæ eſſentiæ, tamen primigenia rerum compoſitio ſemper ſit ordinata, quod omnia certo ſpiritu in ſibi optimum eundemque finem tendant, quod omnia creata, cum ſub tempore, motu, & loco ſint, neceſſario accommodato ad eorum naturam ſpiritu regantur. His denique veritates quaſdam de ſummo bono ſubnectit, quæ ita ſe habent: Præſtantisſimum eſſe neceſſario, & toti naturæ accommodatisſimum, quod naturaliter omnia appetant: obtineri poſſe hoc ipſũ, quicquid ſalus ſit & bonum vniuerſi: cum natura ſe non habeat eſſe nedũ, bene eſſe, aut vllam perfectionem, opus eſſe, eã ſalutem ſe ipſam asſidue rebus omnibus aſſociare, vt ſe appetendam ducat, quicquid ſalutis loco quæritur: ſalutem iſtam ad angelos non minus ſpectare, quam homines: illud, quod ſalutem vniuerſo per ſui ad naturas accommodationem adfert, & principium & finem ſecundario eſſe: neceſſe eſſe, vt hæc vniuerſi ſalus toti naturæ humanæ, animo & corpori conſtanti, ſit applicabilis, ordinato cum ceteris rerum vſibus modo: opus denique eſſe, eam ſalutem latenter vniri nobis modo inuiſibi-

ſibili amoris,priusquam cum voluerimus adipiſcamur, inque ſuo viſibili corpore ſe propalet. Hæ ſunt iſtæ veritates communes, quibus ſuam philoſophiam & theologiam ſuperſtruit Poſtellus, & ex quibus deinceps omnia, quæ aſſerit, demonſtrare annititur. Ita autem procedit:(iuuat enim ſummam doctrinæ, quam in hoc libro proponit, paucis complecti) Primo demonſtrat, imposſibile eſſe,mundum,qua conditione nunc videtur, per ordinatam potentiam a Deo ſolo fuiſſe creatam. Imposſibile autem dum hoc dicit, ita hoc capit, quod ſummæ Numinis hoc repugnet perfectioni. Adeoque inde concludit, vniuerſum hocce, per animam Mesſiae, quam ante omnes res creatas a DEO conditam,quamque ſpiritum mundi eſſe ſupponit, cuncta producta eſſe. Et ſane hæc eſt hypotheſis fundamentalis philoſophiæ Poſtellianæ, quod anima Mesſiæ ſit ſpiritus mundi, quam ſine dubio ex Cabbaliſtis Ebræorum hauſit. Quo pacto ergo Mesſiæ natura ante mundi conſtitutionem ſe habuerit, hic late explicat, & quod totius naturæ, vti loquitur, proprietas non aliunde ortum habeat, quam a vi illius ſpiritus, probare conatur, cum primis ex natura elementorum. Redit hinc ad Mesſiam, eiusque officium abſolutum in eo conſtituit,quod omnes creaturas,

cumprimis etiam angelos, ad ſtatum felicisſimũ perducere debeat, & quod Chriſtꝰ Deo ſe obſtrinxerit ad omnes homines a Satana liberos illi reſtituendos, autumat. Progreditur hinc ad animæ humanæ quas vocat partes, quippe ſine quarum cognitione & origine nihil certi in humanis ſit, & ab anima & mente ſpiritum diſcernit, tres adeo in homine partes præter corpus admittens. Prolixius hæc ediſſerit, & qua conditione, natura, origineue & ſubſiſtentia ſint tam ante vitam, quam in vita & morte, ſpiritus, mens & anima, explicat. Finit tandem hanc tractationem de vniuerſali abolitione eius peccati, quod inuidia Diaboli in vniuerſum orbem terrarum venit, ſententiam ſuam explicando. Et hæc quidem, quæ hactenus attulimus, eiusmodi eſſe putat, vt facile omnibus perſuaderi queant. Cetera autem capita, in quibus mortales magnopere a ſe inuicem diſſentiunt, ita comparata eſſe, vt, modo ſingula recte explicentur, facili negotio in concordiam & conſenſum reuocari queant. Rem declarabimus exemplis. Anthropomorphitas Deo tribuere corpus conſtat & membra, cuiusmodi homines habent: negant hoc ceteri, qui ab illis diſſentiunt. Aſt Poſtellus putat, ſi de natura humana Chriſti capiatur, quod Anthropomorphitæ de DEO di-

dicunt, facili negotio conciliari hos inter ſe poſſe. Fuerunt non nulli, qui duos ſtatuerunt Deos. Non male, inquit Poſtellus, ſi per alterum Deum Chriſtus intelligatur. Alii duo principia, vnum malorum, alterum bonorum aſſeruerunt. Et hi excuſari poſſunt, ſi DEUS tum vt ſpiritualium, tum vt materialium rerum cauſa & principium conſideretur. Et hanc rationem in omnibus omnino controuerſiis, quæ unquam circa Chriſtianæ religionis capita exortæ ſunt, tenet. Ad Muhammedanos itaq; & eorum religionẽ dum peruenit, contendit, multa in Alcorano occurrere, quæ a veritate non abhorreant, quod nemo ſanæ mentis forte abnuerit. Hinc & Muhammedem *Prophetam* vocat, hoc nomine talem deſignans, qui aliquando vera dicit. *Diligenter*, inquit, *conſiderantibus videbitur eſſe inſtar Saulis, qui per interualla propheta fuit.* Si quæ autem ab eo perperam dicta videantur, ea in commodiorem quoque ſenſum poſſe trahi docet, reditque adeo ad eam conciliandi rationem, quã in reliquis ſectis tenuit. Et hæc quidem mea opinione in pleriſq; ita comparata eſt, vt veritati parum noceat, licet ſimul ad concordiam & pacem inter diſſentientes ſtabiliendam nihil faciat. Namque hi omnes ægre ferent ſua dicta & aſſerta in eum ſenſum a Poſtello rapi, quem illi nunquam

approbarunt. Adeoque ſi quid hic Poſtellus peccauit, imprudens potius, quam impius dicendus erit. Quæ reſtant, reſtant autem adhuc nonnulla, quæ omnino momentum trahunt, alio tempore proſequemur.

Cæterum cum aliquoties mentio facta ſit Epiſtolæ, a Guilielmo Poſtello ad Schvvenckfeldium ſcriptæ, eaque paulo rarior ſit, rem Lectoribus haud ingratam nos facturos putauimus, ſi eam totam hic inſereremus. Proinde eam cum præfatione Matthiæ Flacii Illyrici, hic ſubiungimus, id ſaltem monentes, de iſtis erroribus, quos Flacius Poſtello obiicit, nos in obſeruationis huius continuatione, fuſius dicturos.

EPISTOLA
GVILIELMI POSTELLI AD
C. SCHWENCKFELDIVM.
Cum Præfatione M. Matthiæ Flacii
Illyrici.

CLARISSIMO EXIMIAQVE ERVDITIONE AC PIETATE PRÆDITO VIRO
Domino Doct. Eraſmo Mincouicio,
Illuſtriſſimi Electoris Palatini Cancellario,
gratiam & ſalutem æternam optat
Matth. Flacius Illyrius.

CLARISSIME AC PIENTISSIME VIR.

SÆpe in meis contra Schwenckfeldii deli-„
ria ſcriptis affirmaui, & etiam probaui e-„

uidentibus argumentis, Satanam id agere„ per illum Pſeudoprophetam, vt contempta,„ amota, abiectaque verbi Dei luce, porro ille„ in triſtibus huius mundi tenebris omnium„ errorum ſomnia ac fantasmata miſeris homi-„ nibus pro cœleſti ſalutarique veritate obtru-„ dere, atque ita eos in infernales ſuos Laby-„ rinthos adducere libere posſit.„

Id igitur etſi tum ex illis ipſis a me recita-„ tis rationibus, tum ex aliis eiusdem ſeducto-„ ris noxiis fanatismis, ſine omni ſacrarum li-„ terarum teſtimonio confictis, liquidisſime„ apparet: tamen non male etiam ex hac Gui-„ lielmi Poſtelli omnium, qui viuunt, aut et-„ iam forte vixerunt unquam mortalium erro-„ ribus refertisſimi ad Stenckfeldium epiſtola„ elucescit.„

Is enim tum multa alia impia ac fœda ſcri-„ pta edidit, tũ etiam ſuperiore anno Venetiis li-„ bellum quendam titulo de Veneta Virgine,„ veluti alter Montanus de ſua Priſcilla & Ma-„ ximilla. In quo tantos errores & furores aſſe-„ rit, vt cloacam Satanæ id ſcriptum, & eum„ hominem merito vocare posſis. Pauca quæ-„ dam inde recenſebo, ne piis nauſeam cieam,„ aut etiam Spiritum ſanctum in puſillis Chri-„ ſti contriſtem.„

Facit tres mundos, tria corpora, & tres a-„ nimas. Satanam eſſe a Chriſto in cœlo vi-„

„ ctum, ac inde pulſum primum circa 1540. „ Domini annum, Octob. 16. die, & inde perpetuo in cœlo cantari Halleluia. Illam ſuam Virginem, vel ſcortum potius, eſſe de „ ſubſtantia Filii Dei, eſſe alteram Euam, eſſe „ matrem uniuerſalem totius mundi, ſicut eam etiam in ſequenti epiſtola vocat, eſſe „ ſummum Pontificem totius Eccleſiæ.

„ Chriſtum reſtituiſſe tantum ſuperiorem „ partem hominis, ſed iſtam nouam Euam, „ aut matrem debere inferiorem reſtituere, & „ illam reſtitutionem debere Venetiis ſua opera inchoari.

„ Chriſtum veniſſe, vt doceret nos paternitatem mundi, ſe debere maternitatem docere.

„ Se eſſe ab illa matre mundi regeneratum „ & reſtitutum, ac eſſe primogenitum totius „ mundi.

„ Se cum primum reſtitueretur, tanta luce „ & videndi vi fuiſſe donatum, vt per integram horam puriſſimum ſolem inſpexerit. Eamque vim ſe perpetuo fuiſſe habiturum, niſi quidam nebulones Lutherani „ ſibi venenum propinaſſent.

„ Se ita eſſe reſtitutum & regeneratum, vt „ nullo cibo aut potu indigeat. &c.

„ Talibus multis ac inauditis furoribus eſt „ ille liber & alia eius ſeductoris, refertiſſimꝰ, „ vt

vt non dubites, non hominem, ſed Satanam, aut etiam multas diabolorum legiones, in illo hominis cadauere inhabitantes, talia contra Deum blaterare, & blaphemare.

Illa ergo turba cacodæmonum, quæ in Poſtello tales abominationum errores euomit, etiam hac epiſtola ad Stenckfeldium, ſeu commilitones ſuos in Stenckfeldio blaterantes, ſcribit, ac hortatur eum, vt pergat ſedulo omnem vim ſalutis ac pietatis externis mediis, id eſt, verbo ac Sacramentis, detrahere. Sciens nimirum, quod, vbi receptũ approbatumque fuerit dogma Stenckfeldii, quod ſacræ literæ non ſint verbum Dei, quod ſint incertæ & flexibiles, quodque fides inde non veniat non augeatur aut confirmetur, & denique, quod non fides ſacras literas ſequi, & ad illas ſeſe accommodare, ſed contra ſacræ literae ad ipſorum fidem inflecti debeant. Sciunt, inquam, inferi, quod vbi hæc doctrina Stenckfeldii obtinuerit, receptaq; fuerit, mox illis quosuis errores per ſuos Poſtellos, Stenckfeldios, Berneros, Krautualdios & alios pſeudapoſtolos ſpargere, & miſeris hominibus obtrudere libere licebit. Clarum ergo teſtimonium eſt hæc epiſtola. Idem quod Poſtellus in prædicto libro hortatur omnes ad lectionem librorum Stenckfeldii, quod ſpi-

„ritus Poſtelli & Stenckfeldii pulchre conue-
„niant.

„ Iam manifeſtum eſt ex tam tetris ſupra re-
„citatis blasphemiis,tetrum aliquem,vel etiam
„multos diabolos in Poſtello eſſe & loqui. Er-
„go & in Stenckfeldio, quem ille ita comple-
„ctitur, ac exoſculatur, cacodæmon regnat.
„Certe Satanæ contra ſe non pugnant, nec pi-
„am doctrinam amant, eamue promotam cu-
„piunt, nec ad eam quemque libenter adhor-
„tantur.

„ Manifeſtum igitur eſt, eiusdem generis
„ſpiritus ac dogmata eſſe Stenckfeldii & Po-
„ſtelli,ſibique inuicem operas tradere.Stenck-
„feldius enim non nihil diſſimulans multos a-
„lios crasſiores Poſtelli errores, totus in hoc
„eſt, vt vnicum ſuorum furorum obſtaculum,
„i. e. ſacrarum literarum auctoritatem con-
„fringat, conculcet, & amoueat. Quo per-
„acto ille porro integrum chaos nouarum re-
„uelationum adducet,&inter miſeros mortales
„effundet.

„ Quo vero magis coniunctio iſtorum duo-
„rum cacodæmonum in ſuis prophetis appare-
„at,obſeruetur etiam tempus ipſorum furoris.
„Stenckfeldius enim potisſimum ab anno 1546.
„cœpit ſacrarum literarum auctoritatem vio-
„lentius & manifeſtius oppugnare, & ſomniis
„fantasmatibusque Satanæ fores ac feneſtras

ape-

aperire. Poſtellus vero circa 50. eſt reſtitu- »
tus, vt ipſe teſtatur, & cœpit tam tetra euo- »
mere. Sex igitur annis præcurſor prius a »
principe Satanarum eſt ablegatus ad paran- »
dam viam ſecuturo Pſeudoprophetæ. Con- »
ueniunt igitur iſti duo nefarii ſpiritus & Pſeu- »
doprophetæ dogmatibus, tempore, & amici- »
tia. »

Quare diiudicent pii prudenter ſpiritus, »
& ſibi ab inſidiis tortuoſi ſerpentis inferorum- »
que principis, qui blanda diuinitatis ſpiritua- »
litatisque ſpecie, genus humanum initio de- »
cepit ac ſeduxit, ſumma diligentia inuocato »
nomine Domini caueant. »

Hæc iam ad te, Vir clarisſime, ſcribere ac »
mittere volui, tuoque nomini hanc qualem- »
cunque meam opellam admonitionemque »
dedicare, vt quoniam Illuſtrisſimus Princeps »
Elector nunc vetus Antichriſti fermen- »
tum pasſim ex ſua regione expurgat, tu etiam, »
tanquam aliquis pius Obadias tanto amplio- »
rem occaſionem monendi vigilandique ha- »
beas, vt & ab hoc nouo Satanæ fermento, »
i.e. Stenckfeldii errore, qui in iſtis Sueuicis »
Rhenanisque regionibus plurimum graſſatur, »
veſtris Eccleſiis Scholisque diligenter caue- »
atur. Oro autem ac obſecro plurimum T. E. »
& vna Illuſtrisſimum Principem, vt hoc me- »
um ſtudium ac factum in meliorem partem »
Chri- »

„ Chriſtiane accipiatis. Dominus Jeſus adſit „ ſuæ Eccleſiæ, tibi & omnibus ſuis contra o- „ mnes Satanæ furores & errores. Amen. Mag- „ deb. 10. Calend. Sept. 1556.

„ EPISTOLA
„ GVILIELMI POSTELLI
„ AD
„ C. STENCKFELDIVM.

„ D. CASPARI SCHVENCKFELDIO, „ pio doctoque Viro & reuera nobiliſſimo. „ S.

„ ETſi ſpiritus ille æmulatorius, quo prin- „ ceps Prophetarum, Elias, vrgebatur, cum „ ſe ſolum fuiſſe in Iſraël relictum penes Domi- „ num quereretur, me vehementiſſime permo- „ uet, ita, vt, ſi meo obſequerer ingenio, vix et- „ iam ſupereſſe Eliæ ſpiritum crederem, nedum „ ſeptem millia virorum, qui ante Baal genu „ non curuauerunt, tamen cum, naturali ratione „ reſtituta a Chriſto, res perpendo, & ſecretiori „ verbo Dei mentem adhibeo, reuera conſpicio „ non tantum in Iſraël, ſed & in gentibus ita dif- „ fuſum eſſe Spiritum Sanctum, vt quicunque „ pro ſuæ conſcientiæ teſtimonio fecerit bonum, „ hic acceptus ſit Deo. Nam ea de re ille, cuius „ ſunt omnes animæ, qui nihil odit eorum, quæ „ fecit, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & „ qui eſt ſaluator omnium & maxime fidelium, illu-

illuminat omnem hominem venientem in „
hunc mundum. „

Maximam itaque illi Tyrannidem in „
mundum introducere ſatagunt, qui nun- „
quam hic fore reſtitutionem omnium ſibi „
perſuadent, vt plura Satanas videatur deſtru- „
xiſſe, quam poterit Chriſtus reſtituere. O „
ſummam impietatem. Satanas homines ad „
hunc diem nullo patenti ſigno perdidit, & „
Chriſtus ſecreto atque interiori verbo, ſpiri- „
tu, afflatu, modo aut fide, nullo exteriori „
verbo infuſa non poterit tantum ſaluando, „
quantum Satan perdendo? Hinc quaſi iam „
ſint vniuerſi Domini, qui ſe Euangeliſtarum „
nomine venditant, omnes volunt in ſua ver- „
ba iurare, hinc ex vna Eccleſia ſingulas ſibi „
proprias excogitarunt, longe maiori tyran- „
nide, quam qui palam in Babylone agunt. „
Quisquis non iurat in eorum verba, ſenſa, „
confesſiones, aſſerens: Ecce hic eſt Chriſtus, „
fit ſtatim apoſynagogus. O miſerandam „
philautiam. Volui itaque hoc nomine ad „
te, o anima felix, & per te ad alios omnes, „
quotquot in homine hoc non varios cultus, „
ritus aut decreta, ſed veram Dei Opt. Max. „
imaginem agnoſcunt, ſcribere, vt naturam „
hic nunquam neceſſariis gratiis deſtitutam, „
cuiusque cauſa factus eſt mundus, ſemper „
ad externa & mortua Elementa alligare con- „
ten- „

„ tendentes, reprobentur, a quorum iudicio
„ quam vehementer, poſtquam cum illis ſum
„ congreſſus, abhorream, tibi ſignificandum
„ duxi. Vbi enim in illud tuum ſcriptum, quod
„ etiam ab Oecolampadio laudatum & pro-
„ batum eſt, incidi, Deus bone, quantum ad-
„ mirari ſpiritum Dei in te loquentem incepi.
„ Perge itaque anima ſancta, perge, in-
„ quam, colligere, & cohortari diſperſas Chri-
„ ſti oues, & quæ ſacroſancto ſpiritu ſunt in
„ verum & Chriſtiforme Baptiſma conductæ,
„ & ab inferorum Elementorum tyrannide o-
„ mnino a Chriſto liberatæ, per eius ſecundari-
„ um aduentum, cuius teſtis oculatus, &
„ quouis ſenſu informatus tibi fidem facio.
„ Quum enim non eſſet bonum, etiam Ada-
„ mum iuſtum ſolum eſſe ante peccatum, etiam
„ in paradiſo ipſo, vt ſolus eſſet, ſed illi neceſſa-
„ rium eſſet, vt adiutorium illi ſimile de eius
„ ipſius ſubſtantia extraheretur, ita, vt eadem
„ ſubſtantia humanitatis generatis ſub vtroq;
„ ſexu exprimeretur. Sic non erat bonum, vt
„ Adam nouus eſſet ſolus, niſi daretur illi ad-
„ iutorium perſonale de eius ſubſtantia ſimile
„ ipſi. Nam corpus ſpirituale & cœleſte, quod-
„ que in Chriſto eſt inferius, neceſſario eſt in
„ omnia ſua membra transfundendum. Sed
„ ante omnia in Euam nouam, quæ reſtitutae
„ naturæ eſt autor in ſuo ſponſo, ſicut & ipſe

fuit

fuit reſtitutæ gratiæ. Nam vtramque per-„ didimus, h. e. & gratiam & naturam bo-„ nam. Mater itaque mundi, quæ Chriſtus„ in ſui parte inferiori eſt, reſtituit omnia.„ Quia omnes prius damnati, quam nati, ne-„ ſciunt, quid faciunt. Ipſa eſt ſacroſanctus„ ille ſpiritus, & corpus cœleſte, ſiue ſpiritu-„ ale, per quod ſine externo miniſterio infun-„ ditur vera & rationalis naturalisque cogni-„ tio ſui & Dei ſumma.„

Hinc infunditur charitas, hinc, eo quod„ ex maternitatis radice procedit hæc miſeri-„ cordia, nomine rachemim eſt ab Hebraeis„ vocata, eo quod in vulua ſeu matrice illam„ omnes perdidimus. Vnde ſpirituali cor-„ pore inde repeti omnino neceſſe eſt. Nam„ alioqui niſi renaſcamur ſpiritualiter ex par-„ te matris, ſicut ex parte patris, procul dubio„ Satan remaneret victor in ſexu filios ſuos„ non reparante: Non autem tantum inhae-„ renter reſtitutionem ab vtroque parente,„ ſed etiam ſubſtantialiter in ſingulis adfore„ neceſſe eſt, & gratiam & naturam per grati-„ am reſtitutam. Mater ipſa mundi me co-„ hortatur, vt ita de ſuo genere ipſius primo-„ genitus cenſeam, teque in hac ſententia„ corroborem. Charitate itaque conſumma-„ ri omnia, relictis ritibus, neceſſe eſt, cum lex„ ſcripta in cordibus videbitur, Opus enim„

eſt,„

„ eſt, vt duplex adſit in reſtitutis ſpiritus, vt
„ Eliſeus ab Helia poſtulauit: Vnus pro parte
„ ſuperiori paterna & mentali in cerebro ad re-
„ ſtitutionem animorum, & hic fuit datus Apo-
„ ſtolis, alter pro parte inferiori materna & ſpi-
„ rituali (Mens enim & ſpiritus ſunt tanquam
„ maſculus & fœmina,) in corde ad reſtituti-
„ onem animarum, vt fiat & videatur eſſe ſpi-
„ rituale, quod erat animale. Nam ad reſtitu-
„ tionem omnium neceſſe eſt, vt duplex, aut
„ duplici ratione aut origine immortalitas in
„ nobis reſtituatur. Sicut in patre & matre
„ duplicem omnes perdidimus, & ſumus bis
„ occiſi. Hoc ſecundo & materno, h. e. in na-
„ turam ipſam inferiorem transfuſo ſpiritu mo-
„ nentur, nunc reuera ex Chriſti inferiori par-
„ te omnes illi, quotquot ſecreto Dei Verbo, di-
„ cam lege, in omnium cordibus ſcripta, vo-
„ lunt mundum coaleſcere non præſcriptis il-
„ lis externis, quibus reuera maiorem Tyran-
„ nidem inuehunt in mundum noui Phariſæi,
„ quam vnquam fecerint antiqui. Ideo tam
„ ſæua inuidia in te mouentur, & impellunt
„ ſe ipſos, cum in alios omnes, qui ſpiritu leni-
„ tatis feruntur, tum in te vnum, qui illorum
„ hypocriſin & ambitionem detegere auſus
„ es.

„ Sed perge & animo conſtanti eſto. Nam
„ prope adeſt dies Domini. Iam enim æqua-
ui-

uimus in hoc primo legis Gratiæ tempore, periodum legis naturæ vsque ad diluuium, cum fuit decretum, relictis pro pœnitentiae tempore centum vitæ annis, donec fabricaretur arca. Erat enim annus 1556. a mundi principio. Lex Moſeos fere tantundem, plus aut minus parum admodum durauit: Dixit autem pater meus, ſicut in diebus Nohae, ita erit aduentus Filii hominis, hoc ipſum ſicut cupio, & in tempore, & in mundo una cum circumſtantiis. Certe rerum conuerſio & finis Babylonici mundi & principium venturi ſeculi inſtat.

Ideo ad te, vt te ante alios præmoneam, ſcribo, vt ſatagas erga illos, qui tibi conſentiunt, fungi præmonitoris officio, vt a ventura ira caueant. Vale, Venetiis 14. Auguſti 1553. in Giuntæ Librarii ædibus, ſi forſitan tu aliquid ad nos ſcriptum volueris.

Tuus ex animo Guilielmus Poſtellus.

2. Theſſ. 2.

Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis DEVS efficaciam illuſionis, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati &c.

JENAE
Excudebat Chriſtianus Rhodius,
Anno 1556.

OBSERVATIO XXII.
FIDES SCRIPTORVM VITÆ CONSTANTINI MAGNI.

SVMMARIA.

INter ſcriptores vitæ Conſtantini M. Zoſimus etſi Ethnicus, Chriſtanis præferendus. §. I. *Euſebius an autor vitæ Conſtantini M.* §. II. *De eius fide hiſtorica iudicium Socratis?* §. III. *Pro Ariano eum quidam habent, aliis diſſentientibus* §. IV. *Scilicet filium Dei non quidem pro creatura habuit, ſed tamen conſubſtantialitatem eius non aſſeruit.* §. V. *Fuit igitur haud dubie Arianus* §. VI. *Male igitur à Noſtratibus, aliis hæreticis fidem denegantibus, putidiſſimæ eius fabulæ pro Euangeliis habentur* §. VII. (*Nullius ſectæ hiſtoricus vbique mendax, aut vbique fidem meretur.* Ibid. & in notis,) *Adulatio Euagrii de Euſebio* §. IIX. *Sculteti iudicium conuenientius de eo* §. IX. *Fides non maior ſcriptorum Euſebio recentiorum* §. X. *Argumentum infirmum Sculteti pro fide Euſebii* §. XI. *In ſpecie de Sozomeno, Theodoreto, Nicephoro* §. XII.

§. I.

DOlendum quam maxime, quod *Chriſtiani ſcriptores*, vitam Conſtantini M. tot aperte falſis fabulis repleant, aut va-

variantibus circumſtantiis ſuſpectam reddant, vt nullus fere ſit actus vitæ eius, momentum aliquod habens, circa quem ipſimet non diffideant, & ſæpe etiam ſibi ipſis contradicant, vt vel ex hoc capite & videlicet ob cohærentiam circumſtantiarum, *Zoſimi etſi Ethnici* hiſtoria ipſorum ſcriptis videatur eſſe quoad veriſimilitudinem præferenda, quod peculiari etiam apologia pro hoc ſcriptore feliciter expediuit Iohannes Leunclauius.

§. II. Accedit, quod inter Chriſtianos antiquisſimus ſit *Euſebius*, qui vitam Conſtantini M. fuſiſſime deſcripſit. Scribit equidem Iacobus Gottofredus *de Pontif. Max. Princ. Chriſt. p. 37.* Euſebium *falſo credi autorem* vitæ Conſtantini. *Conf. & Scultetum in Medull. Patr. in Euſebio. p. 4. ſeq.* Quod ſi foret, minorem adhuc fidem mereretur hæc vita, & haud dubie ei præferenda eſſet Hiſtoria Euſebii multa tacens, quæ in Vita Conſtantini recenſentur. Quodſi tamen ex Vita Conſtantini *v. g. lib. 3. cap. 52.* conferas cum Oratione Euſebii de laudibus Conſtantini *p. m. 339. ſeq.* deprehendes, vtrobique pene eadem verba occurrere. Vt adeo vel exinde colligere poſſis, aut Euſebium etiam eſſe autorem vitæ Conſtantini, aut, neque Euſebium eſſe autorem illius orationis, pro quo tamen communiter habetur, niſi forte dicere velis, autorem vitæ, quis-

quis fuerit multa exſcripſiſſe ex illa oratione.

§. III. De *Euſebio* vero eiusque *fide* ſic iudicat Socrates *Hiſt. lib. 1. c. 1.* quod Arii facta leuiter perſtrinxerit, quoniam imperatoris virtutes prædicare, atque adeo orationem, qua illum egregie laudaret, maieſtate verborum exquiſite illuſtratam componere magis conſtituerit, quam res geſtas accurate explicare. Quod idem eſt, ac ſi fidem hiſtorici ei diſerte detraxerit.

§. IV. Alii vero Euſebium inculpant, quod plane *Arianus* fuerit, *Nicephorus l. 1. c. 1. item lib. VIII. c. 17. Zonaras f. 9.* Contra quam imputationem quidem defendere eum intendit Socrates *lib. 2. c. 12.* quod Chriſtum ſcilicet pro creatura non habuerit, ſed Zonaras *d. f. 9.* Socrati contradicit, & ex hiſtoria Euſebii id probare intendit, niſi forte, addit, ea ante conuerſionem Euſebii ſcripta fuerit. Et Nicephorus quoque contra Socratem ad conſenſum Eccleſiæ prouocat *lib. I. c. I. lib. VIII. c. 17. lib. IX. c. 13.*

§. V. Mihi videtur, ſatis apertum eſſe, quod Euſebius, *Arianis valde fauerit*, vel ex eius Oratione Vitæ Conſtantini ſubiuncta, & ex ipſa vita Conſtantini, vbi *l. 1. c. 58.* rigor orthodoxorum ſugillatur. Etſi vero non in omnibus, & forte non in eo, quod Chriſtum

pro

pro creatura habuerint Ariani, eorum partes ſecutus ſit, notandum tamen eſt, quod de eius litigio cum Euſtathio notauit Sozomenus *lib. II. c. 17. Illo tempore Epiſcopi cœpere de integro inter ſe, dum verbum* ὁμοούσιον (quod verbum, vt noſtris Theologiæ tyronibus notum, nota characteriſtica eſt, & olim quoque fuit, ſecernendi orthodoxos ab Arianis) *nimis curioſè expendere laborant, magnopere diſcordare. Nam pars illos, qui hoc verbum approbarent, loqui blaſphemiam putauerunt, vtpote filium eſſentiæ expertem opinantes, & cum Montano & Sabellio ſentientes; pars rurſus eos, qui contra ſentiunt, velut Gentiles auerſantes criminati ſunt, quod cultum multorum Deorum introducere ſtuderent. In quibus rebus excutiendis Euſebius, cognomento Pamphilus, & Euſtathius Antiochenus maxime omnium ſua ingenia exercuere. Nam etſi vterque filio propriam tribuit eſſentiam, tamen alter alterum tanquam diuerſa ſentientem inſimulauit. Euſtathius quidem accuſat Euſebium, vti Concilii Nicæni de fide decreta, innouantem. Reſpondet autem Euſebius, ſe ea quidem approbare, ſed Euſtathium reprehendere velut Sabellii opinioni deditum.* Ergo Euſebius Arianis non adhæſit contra verba Symboli Nicæni, *genitus, non factus*, fauit tamen Arianis contra verba ſequentia: *conſubſtantialis Patri.* Ita etiam conciliat Scultetus in Euſebio *P. III. Medullæ Patrum p. 4.*

§. VI. Vt taceam, Euſebium hunc *Praeſidem Synodi fuiſſe*, in qua Athanaſius, grauiſſimus Arianorum aduerſarius condemnatus fuit. *Niceph. lib. 8. c. 49. Hiſt. Eccleſ. Goth. Part. 2. p. 503. Conf. omnino Sculretum ex Epiphanio d. l. p. 2.* Vnde nec *noſtrates hodie* dubitare ſolent Euſebium Arianis accenſere. *Hiſt. Eccl. Goth. d. l. p. 300.* De mutatione vero eius, aut converſione, quæ facti eſt, eo magis dubitare licet, quo plura poſt mortem Conſtantini ipſe Euſebius in fauorem Arianorum adhuc fecit. *Niceph. lib. 9. capitibus pluribus.*

§. VII. Fuerunt iſta adducenda, *in pudorem Noſtratium*, qui cum alias omnibus hæreticis fidem detrahere ſoleant, tamen Euſebii huius nugas & putidisſimas de Conſtantino fabulas, vt ſanctisſimas traditiones exoſculantur. *Ego* verò, vti *ob ſectæ cuiuscunque addictionem* fidem hiſtorici aliquatenus, propter communes omnibus hominibus imbecillitates, [a]) in certis negotiis *minui*, non tamen iis omnem bonam fidem & honeſtatem *adimi* debere arbitror, ita id parum conſiderarem, vtrum

a) Vnde notandum, quod nunquam debeamus noſtros homines ab illa regula plane eximere, cuicunque etiam ſectæ addicti ſimus. Quod tamen fit communiter, dum quilibet in Hiſtoria Eccleſiaſtica in rebus maioris momenti prouocat, & iuuentutem ducit ad *hiſtoricos ſuæ ſectæ*, tanquam infallibiles, & *hiſtoricos ſectæ diuerſæ* abs que diſcrimine circumſtantiarum vt mendaces reiicit. Quod tamen per dicta, aperte ineptum eſt. Poſ-

vtrum Euſebius Arianus fuerit, nec ne, modo non, vt ſuo loco oſtendemus, evidentisſima & ea infinita quidem ſigna dederit in deſcriptione Vitæ Conſtantini, quod non, vt alii Panegyriſtæ ſolent, modeſte & veroſimiliter adulari voluerit, ſed quod impudentisſimis & ſuperſtitioſisſimis mendaciis defunctum Imperatorem theopneuſtum plane & primis Chriſti Apoſtolis parem, ſi non ſuperiorem voluerit reddere.

§. IIX. Vnde ſimilis Euſebianæ adulationi eſt illa Euagrii, cum de Euſebio ſic ſcribit *Hiſt. l. 1. c. 1. Euſebius Vir cum in aliis rebus diſertisſimus, tum in ſcribendo tantum pollens, vt posſit lectores ſuorum librorum, etſi non efficere perfecte Chriſtianos, ita tamen perſuadendo impellere, vt Chriſtianam religionem lubentes colant.*

§. IX. Conuenientius de eo iudicat Scultetus, *Part. 3. in Euſebio p. 6. Quamdiu Iuſtinum, Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, aliosque probatæ fidei patres in hiſtoria ſua ſequitur Euſebius, hiſtoricum agit fide dignum. Sed ſimulatque ad traditiones, & non ad ſcripta, ſed audita prouocat, fabuloſa multa immiſcet.* [b])

Aa 4 §. X.

ſent dicta illuſtrari, ſi propoſitum noſtrum id admitteret exemplis Hiſtoriæ carcerum Peuceri, Hoſpiniani Concordiæ diſcordis, & Hutteri Concordiæ Concordis &c.

b) Notat etiam Scultetus *d. l. p. 1.* aliorum encomia

§. X. Quodſi Euſebii fidos ſuſpecta eſt, ſuſpecta quoque ſimul redditur *fides aliorum hiſtoricorum*, vitam Conſtantini delineantium, Socratis puta, Sozomeni, Theodoreti, Euagrii, Zonaræ, Nicephori, (hos enim contulimus) cum ſi non omnia, pleraque tamen, & illa certe, quæ *fabulis ſimillima* ab aliis audiens ſe ſcripſiſſe teſtatur Euſebius ab eo hauſerunt, tẽpore videlicet poſteriores. Euſeb. enim iuxta Marcelli tabulas Chronologicas mortuus eſt anno 340. Socrates & Sozomenus ao. 440, Theodoretus anno 460, Euagrius anno 597. Zonaras anno 1120, Nicephorus anno 1333.

§. XI. Vt adeo alibi *Scultetus* officium boni diſputatoris non obſeruet, dum aduerſus Baronium pro *probanda fide Euſebii* ad teſtimonia *Ambroſii, Hieronymi, Theodoreti, Socratis, Sozomeni* &c. prouocat, & pro iuſtificanda hac argumentatione affert, quod *aliqui* horũ *illo ipſo ſeculo* vixerint, quo vixerit Conſtantinus & Euſebius, & quo rerum a Conſtantino geſtarum memoria omnium ore celebraretur. *Scultet. in Euſebio p. 224. ſeq.* Aliud enim eſt *eodem ſeculo*; aliud *eodem tempore* ſeculi viuere, & *ſermo communis* ſæpe eſt mendaciſſimus. Ita viuimus eodem ſeculo, quo Guſtauus Adolphus Rex Sueciæ interemtus eſt. Sermo communis cum multis circumſtantiis ſpe-

Euſebii & *p. 3.* vituperia, & *p. 217.* plurimos errores hiſtoricos Euſebii.

ſpecialibus mortẽ hanc narrauit, narrauit Theatrum Europæum, narrarunt alii. Hæc tamen omnia falſa eſſe quis crediſſet, niſi Hiſtoria Puſendorffii id monſtraſſet.

§. XII. Non afferam, quod ex iſtis reliquis ſcriptoribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *alii aliis male* audiant. Ita Nicephorus *l. 1. c.* 1. *& lib. 9. c. 13.* ait, *Sozomenum* cognomine quidem *καθαρὸν* purum fuiſſe, ſed animo nihil minus, videlicet Nouatianum extitiſſe, qui & *Theodoretum* notat *d. l. 1. c.* 1. quod tertiam impugnauerit Synodum. Et ipſe tamen *Nicephorus* impudentisſimus fabellarum pater fuit, non alii conuenientius, quam ipſi Euſebio comparandus.

OBSERVATIO XXIII.
FABVLÆ DE PARENTIBVS CONSTANTINI MAGNI.

SVMMARIA.

Conſtantius in Deos relatus. Dum vixit pietas eius in non nocendo Chriſtianis conſtitit, §. I. *eamque cum maximis tyrannis communem habuit* §. II. *Fabula de Conſtantii Chriſtianismo & Zelo aduerſus Apoſtatas,* §. III. *refutatur ex ſilentio Euſebii in Hiſtoria,* §. IV. *& multarum circumſtantiarum veriſimilitudine,* §. V. *& tamen ipſe Euſebius eius Autor fuit.* §. VI.

§. VI. *ſilentium Hiſtoricorum antiquorum de coniugio Conſtantii cum Helena.* §. VII. *Vnde non credendum Zonaræ ad hiſtoricos quosdam id aſſerentes prouocante.* §. IIX. *Secundum Nicephorum Conſtantinus M. eſſet ſpurius.* §. IX. *Huius ſcriptoris fabula de ſomnio Conſtantii.* §. X. *Fabula de baptiſmo Helenæ & eius occaſione* §. XI. *Pietas Helenæ ſecundum Euſebium conſtitit in extructione templorum & profuſione diuitiarum* §. XII. *Fabula de eius humilitate hypocritica* §. XIII. *Fabula de inuentione crucis ab Helena deprehenſæ.* §. XIV. *Fabulæ huius autores Helenam & Conſtantinum tanquam ſuperſtitioſiſſimos depingunt.* §. XV. *Eorum blaſphema tortura dicti Zachariani ad illam fabulam* §. XVI. *Refutatio vlterior illius fabulæ.* §. XVII.

§. I.

DE parentibus Conſtantini multæ fabulæ circumferuntur, quæ etiam a noſtratibus pro veris hiſtoriis, ſæpe etiam in concionibus ad populum venditantur. Pater fuit Conſtantius Chlorus, Mater Helena. De *patre* Euſebius in Hiſtoria bis (ſemel *lib. 8. c. 26.* tum *cap. 29.*) memorat, quod primus ex Imperatoribus propter ſingularem morum facilitatem & manſuetudinem, qua præ cæteris

teris conſpicuus fuerit, *a Romanis in Deos relatus ſit*, omnique ſplendore & dignitate, quæ Imperatori deberetur, poſt mortem ſit honoratus. Atque quod ſolus inter Imperatores illius temporis tum in aliis rebus humaniſſimus & liberaliſſimus fuerit, tum *perſecutionis contra Chriſtianos intentatæ minime particeps* factus ſit, ſed pios Chriſtianos, qui ſub ipſo vixerint *a damno contumeliaque penitus immunes conſeruauerit*, & neque eccleſiarum ædificia demolitus, neque aliquod ſcelus in ipſos machinatus ſit, ac propterea ſolus inter Imperatores illius temporis placide & glorioſe obierit.

§. II. Ex hac vero Euſebii relatione ſecundum regulas bonæ interpretationis nihil aliud elici poteſt, quam, quod Conſtantius, etſi paganus, tamen nihil durius in Chriſtianos ſtatuerit, ſiue id ex natiua manſuetudine animi, ſiue ex perſpecta Chriſtianorum innocentia, ſiue denique ex ratione ſtatus fecerit. Etenim illo tempore Chriſtianorum ſecta tanta augmenta ſumſerat, vt etiam tyranni maxime impii, quo ad Imperium peruenirent, aut illud conſeruarent, coacti fuerint, Chriſtianos quietos relinquere, vel etiam plane ſimulare, quod vellent Chriſtiani fieri. Ipſe Euſebius *d. lib. 8. c. 26.* refert, quod Maxentius, dum Romæ tyrannidem occupare inſtituerit, in ipſo imperii ſui ingreſſu fidem

Chri-

Chriſtianam ſe amplecti callide ſimulauerit, quo populo Romano placeret, eumque blanditiis & aſſentatione deliniret. Vt taceam Maximi edicta pro Chriſtianis ab ipſo Euſebio recenſita *Hiſt. lib. 8. c. 29. lib. 9. c. 8.* & Licinii legem poſt deuictum Maxentium *d. l. 9. c. 8.* Vnde & hunc æque ac Conſtantinum pacis & pietatis autorem prædicat Euſebius *ibid.*

§. III. Quodſi vero quiſquam alius eorum temporum ſcriptor de Conſtantio hoc prædicare auſus fuerit, eum plus vltra proceſſiſſe, & *miniſtris ſuis optionem dediſſe*, vt vel dæmonibus immolando retinerent honores, vel ſi minus hoc exequerentur, ademtis honoribus a familiaritate eius deberent excludi: Porro cum multi amore honorum cultum dæmonum elegiſſent, Conſtantium larua detracta eos increpaſſe, & ſeruitio ſuo indignos eos iudicaſſe, reliquos vero, qui conſtantiam ſuam in Chriſtianiſmo probaſſent, tanquam amicos & familiares coluiſſe ac retinuiſſe: quinimo ſub exitu vitæ Conſtantium *repudiata penitus pagana ſuperſtitione*, Deum verum vltro agnouiſſe, & ſanctorum virorum precibus ſuam firme muniuiſſe familiam, eamque totam vni Regi Deo conſecraſſe, adeo vt multitudo, quæ intra Regiam ipſam coiuerit, nihil ab Eccleſiæ forma diſtare viſa fuerit, cum in ea miniſtri Dei extiterint, qui con-

continuos cultus pro Imperatore etiam tum obierint, cum alibi Chriſtiani ſine periculo ne nominari quidem potuerint. &c. Quodſi, inquam, quisquam alius de Conſtantio ea prædicare vellet, næ is maximopere poeticas narrare fabellas cenſeretur.

§. IV. Initio enim ei opponeremus Hiſtoriam Euſebii. An enim quis ſibi perſuadere poſſet, talia ſi Conſtantius feciſſet, ea *vel Euſebio*, dum *Hiſtoriam* ſcriberet, incognita eſſe potuiſſe, (narrantur enim vt facta publice notoria) vel cognita voluiſſe Euſebium omittere, qui omnes occaſiones prædicandi Conſtantium quæreret, vel denique tuto non potuiſſe ſcribere, qui libros hiſtoriarum finiit, poſtquam Chriſtiani ſub Conſtantino in maxima pace (intuitu paganorum viuerent, & qui tyrannorum edicta pro Chriſtianis & ipſius Conſtantii non omiſit.

§. V. Deinde quæreremus: An Conſtantii tum adhuc pagani omnes miniſtri fuerint Chriſtiani? Quid cum Paganis fecerit, an hos æque vt Chriſtianos conſtantes retinuerit? Quodſi omnium ſuorum mentem ſeriam erga Deum cognoſcere voluerit, cur non erga paganos ſimulauerit, ſe velle fieri Chriſtianum, aut cur non potius his ſimilem propoſitionem fecerit de colendo Chriſto aut derelinquenda aula? Quomodo princeps paganus potuerit perſuadere Chriſtianis conſtantibus, quod eos præ paganis amet,

cum

cum tamen ipſe ſuperſtitioni paganæ tum fuerit deditus? Annon Conſtantius crediderit, quamcunque religionem tolerari poſſe, modo quis perſuaſiones ſuas de Deo non abneget in gratiam fauoris humani? Si Conſtantius paganismum deſeruerit, cur non Chriſtianus ipſe factus, cur non baptizatus fuerit, cur tantum clericos pro ſe orare curaverit, ipſe vero Chriſtum non coluerit? Quodſi tota familia eius Deo conſecrata fuerit, an etiam ipſe & familia eius baptizati fuerint? Quomodo Imperator Chriſtianus poſt mortem inter Deos fuerit relatus? A quibus id factum fuerit, an ab Ethnicis, an a Chriſtianis?

§. VI. Vides, quorſum te vertas fabulam transparere. Et tamen ipſe Euſebius non erubuit, a mendacio hoc palpabili incipere deſcriptionem vitæ Conſtantini *l. 1. c. 11.* vnde non mirandum, ſi pudore tam cito abiecto poſtea impudentiora fingat. Etenim in iis quæ ſequuntur ad ſomnia mera, quæ Euſebius & eius ſimiles ſæpiſſime dant, adſuefaciendus vel præparandus eſt Lectoris animus. Siquidem de Helena matre Conſtantini aceruus fabellarum cumulatur.

§. VII. Euſebius *coniugium Conſtantii cum Helena* tacet, indicium malæ cauſæ ſic præbens, cum omnem occaſionem conquiſiuerit,

rit, laudandi hanc foeminam. Zoſimus *l. 2. f. m.24.* modeſte & aliud quaſi agens Conſtantinum ex muliere non matrona (i. e. Concubina) genitum eſſe indicat. Euſebium imitati Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Euagrius, quantum recordor, tacent, eo maiori indicio, Zoſimum veritatem dixiſſe, quo maiori conatu alias Euagrius ex profeſſo contra Zoſimum pro Conſtantino disputat *lib.2.c.* 41.

§. IIX. Ex quibus facile patet, quid iudicandum ſit de Zonara, dum ait. *Tom.* 3. *ann. f. 1. De Helena diſſentire Hiſtoricos. Nam alios tradidiſſe, legitimo coniugio nuptam fuiſſe Conſtantio, ac dimiſſam, cum Maximianus Herculius, filia Theodora ei deſponſa, Cæſarem illum renunciaſſet; alios contra ſtatuiſſe, non matrem familias, ſed Concubinam formæ gratia Conſtantio conciliatam Conſtantinum ei peperiſſe.* Nam quis credat Zonaræ, quosdam Hiſtoricos Helenam pro coniuge Conſtantii venditaſſe, vsquedum aliquos & quidem illo tempore viuentes nominet. Lego quidem apud Geſſelium *Hiſt. Eccles. p. 368.* Seldeno ex Ioſepho Ægyptio Helenam dici Edeſſenam ſeu Rheavienſem, & legitimam vxorem. Ambroſium contra eam ſtabulariam vocare. Sed neutrum horum vt iam vlterius discutiam, non vacat.

§. IX. Multo veroſimilius, quia ab amico

Con-

Conſtantini profectum, quod ſcribit Nicephorus *lib. 7. c. 18. Conſtantio, cum ab Imperatoribus legatus mitteretur, & Depranum veniſſet, deſiderium concubitus incesſiſſe. Hoc vbi cognouerit hoſpes eius, magnificentia & ſplendore cohortis eius Regio permotus, filiam ei ſuam venuſtam, forma ætatisque flore iam nubilem puellam conciliaſſe. Conſtantium cum ea rem habuiſſe, concubitusque mercedem peplum ei purpura intextum donaſſe.* Et hoc quidem pacto Conſtantinus ne quidem naturalis foret Conſtantii filius, ſed ſpurius, Helena proſtibulum, pater Helenæ Leno.

§. X. Senſit Nicephorus iſtas concluſiones, vnde duritiem earum ſuaui ſomnio lenire intendit. *Nocte ea*, pergit, *Conſtantio mirifica viſio eſt oblata, quæ cum timore quodam perculit. Quapropter & puellæ patrem eſt cohortatus, vt filiam quæ inſigne quoddam cimelium gereret, impollutam diligentius aſſeruaret, & quod ex ea natum eſſet, accuratius educaret. Vidiſſe quippe, ſe ea, qua dictum eſt, nocte, aiebat, in tabernaculo ſuo præter naturam ab occidentali oceano orientem Phoſphorum.* At iſtud ſomnium quis crederet? Quare nolo reliquas fabulas deſcribere, & quæ vlterius de Helenæ & Conſtantini perductione Romam a Conſtantio facta ibidem memorat Nicephorus. Neſcio etiam vnde ſcholiaſtes eiusdem hauſerit, dum

dum refert, Helenam Regis Britonum filiam fuiſſe. Id conſtat, Drepanum poſtea a Conſtantino in honorem matris Helenopolin esſe appellatam.

§. XI. Plures adhuc fabulas de Helena commenti ſunt ſcriptores nouiores, de quibus Euſebius ne quidem cogitauit. Huc refero fabellam *de Diſputatione Sylueſtri cum Iudæis*, quæ Helenæ perſuaſiſſe dicitur, *vt Chriſtianismum profiteretur* & baptizari ſe curaret. Memorat eam Zonaras *Tom. 3. f. 56.* vnde haud dubie transſcripſit Nicephorus *lib. 7. c. 36.* Ego *baptizatam fuiſſe non credo.* Cur enim id tacuiſſet Euſebius.

§. XII. Hic enim id ſolum in laudem Helenæ affert *de Vita Conſtantini lib. 3. c. 41. ſeqq.* eam in ſenectute veniſſe ex *pietate* in terram ſanctam, vt loca, vbi Saluator fuiſſet verſatus, veneraretur. Tum ibi Deo dedicaſſe ac *extruxiſſe eam duo templa*, alterum in monte Oliuarum, alterum in pago Bethlehem, eaque loca variis monumentis & inſignibus exornaſſe, aliaque ædificia ſacra, tanquam *piæ* ſuæ mentis *pia* indicia extruxiſſe, & infinita infinitis dediſſe munera, captiuos liberaſſe, frequentaſſe alia templa plura, & *liberalitis* ſuæ teſtimonia ibi reliquiſſe. Tum octogenariam in præſentia filii fuiſſe mortuam. Conſtantinum vero, non ſolum eam, cum antea minime *pia* eſſet, *ita piam* reddidiſſe, vt a pri-

mo tempore ætatis ab ipſo Chriſti ore inſtituta fuiſſe videretur, ita eam honore regio exornaſſe, vt Auguſta & Imperatrix nominaretur, & aurea numiſmata eius imprimerentur effigie, ac denique ei libertatem dediſſe, theſauro regio utendi pro lubitu. *Euſeb. d. l. 3. c. 46.*

§. XIII. Vides, Euſebium, vt & hodie fit a viris etiam minime impiis, *pietatem, ex ſola extructione ædificiorum & liberalitate* metiri, neque de Helena amplius quicquam prædicare. Adiicit Socrates *lib. 1. c. 13.* quod adeo *pia* fuerit ac *modeſta*, vt in media *plebeiarum mulierum turba precata* fuerit, & virgines, quae Eccleſiaſticæ viuendi regulæ ſe conſecrauerant, *ad epulas inuitauerit.* Ex quo appoſitis aliis quibusdam circumſtantiis, (quod ſcilicet *malluuium cum aqua porrexerit*, inſtar ancillæ,) idem repetit Theodoretus *lib. 1. c. 18.* Non omiſiſſet, credo, Euſebius hoc humilitatis genus, quod tamen etiam maximus hypocrita præſtare poſſet, ſi ita res fuiſſet geſta.

§. XIV. Neque omiſiſſet etiam Euſebius *inuentionem crucis*, ſi *Helena* eam inueniſſet. Iam tacente tanti momenti negotia Euſebio, quis fidem haberet Socrati, præprimis ad auditum ſaltem h. l. prouocanti *lib. 1. c. 13.* quod Helena in ſomniis diuinitus admonita Hieroſolymam iuerit, ibique ſepulcrum Domini in-

inquiſiuerit. Tandem tres cruces offendiſſe, Chriſti videlicet & duorum latronum, cum tabula Pilati. Cumque ſic ignoraretur, quænam crux Chriſti eſſet, ope Macarii rem miraculo (dum crux Chriſti ægrotanti fœminæ admota eam ſanauerit. Sulpicius Seuerus *l. 2. c. 49.* fabulatur eam mortuum reſuſcitaſſe) fuiſſe patefactam. Helenam vnam crucis partem in theca argentea occluſam pro monimento iis, qui illius ſpectandæ cupiditate ducerentur ibi reliquiſſe, (addit Nicephorus, *lib. 8. c. 29.* & ſanxiſſe, vt ſacra exaltatio quotannis peragatur) alteram miſiſſe Imperatori. Hunc, cum putauerit, ciuitatem, in qua crux ſeruaretur, ſaluam & incolumem, fore, partem eam propriæ, quæ Conſtantinopoli extabat, ſtatuæ incluſiſſe. Quin & clauos, quibus Chriſti manus cruci affixæ fuerint, quos mater ſimul miſerat, Conſtantinum curaſſe in frena & galeas fabricari, illisque in bello gerendo fuiſſe vſum.

§. XV. Quodſi fabulæ hæ veræ eſſent, næ ſuperſtitioſiſſimus fuiſſet & Conſtantinus & eius mater, ſed præterquam, quod circumſtantiæ, quib9 iſta narrat Socrates, aperte repugnent circumſtantiis, quibus Euſebius narrat ante aduentum Helenæ in terram ſanctam, a Conſtantino fuiſſe ſepulcrum Chriſti inuentum, *de vita Conſtant. lib. 3. cap. 25. ſeq.*

iunct.c.41.ſeq. ſuſpectam etiam reddunt hanc narrationem gloſſæ aut variationes aliorum.

§. XVI. Sozomenus equidem *lib.2. c. 1.* iisdem circumſtantiis rem narrat, niſi quod vrgeat, Helenam per ſomnium diuinum de loco Sepulcri fuiſſe admonitam, non per indicium Iudæi, & ſuperſtitionem Conſtantini, ſc. clauos frenis equorum inditos a Zacharia Propheta fuiſſe prædictam, (quod ſc. in tempore illo, id quod ſit in frenum equi, ſanctum ſit Domino omnipotenti) per modum gloſſæ a blaſphemia parum alienæ addat.

§. XVII. Sed talia iamtum erant tempora, vt gloſſam iſtam tanquam valde piam repetierit Theodoretus *lib. 1. c. 18.* & in eo magis adhuc narrationi Euſebianæ aduerſetur, quod referat, Helenam Epiſtolam Imperatoris ad Macarium pertuliſſe, ac in eo a Socrate & Sozomeno abeat, quod aſſerat, matrem curaſſe clauos galeæ Imperatoris & frenis equorum includi, vt capiti eius conſuleret, & tela hoſtium depelleret, atque eum plane tutum & ſecurum redderet. Quæ ſuperſtitio! Confer vlterius quæ erudite diſſerit Hoſpinianus de feſtis inuentionis & exaltationis Crucis, *de feſtis Chriſtianorum f. m.107.143.144.* item Georgius Hornius & Salmaſius *in not. variorum ad d. l. Sulpitii Seueri lib.2.c.49.*

OB-

OBSERVATIO XXII.
FABULÆ DE CONSTANTINO M. ET POTISSIMUM DE EIUS CHRISTIANISMO.

SUMMARIA.

Fabulæ de Conſtantini M. modo perveniendi ad Imperium. §. I. *Fabulæ de eius determinatione ſequendi religionem Chriſtianam.* §. II. *Impudentior fabula de ſigno crucis Conſtantino in cœlis apparente.* §. III. *& de ſomnio Conſtantini hanc viſionem ſubſequente, item de miraculis vexilli iſto ſigno notati* §. IV. *Fabula de baptiſmo Conſtantini Romæ per Sylveſtrum facto* §. V. *Chriſtianiſmum Conſtantini non probant edicta eius pro Chriſtianis* §. VI. *neque celebratio encæniorū & liberalitas in Eccleſiam & perſonas Eccleſiaſticas* §. VII. *Licinium non ſine nota perjurii interfecit Conſtantinus* §. IIX. *Parricidia Conſtantini, intuitu Liciniani, & Criſpi filii, item uxoris Fauſtæ, & alterius cuiusdam uxoris.* §. IX. *Zoſimi & Iuliani imputationes Conſtantino factæ de occaſione profitendi religionem Chriſtianam.* §. X. *Veroſimilia eſſe, quæ Zoſimus refert de Conſtantini Ethniciſme usque ad mortem Criſpi. Conſtantini lex in favorem hariolorum lata: Eiusdem Pontificatus* §. XI. *Defenditur Zoſimus contra obie-*

ctiones Sozomeni. §. XII. *Neque Iuliani imputationes plane reiiciendas videri.* §. XIII. *Conſtantini bona opera. Lex in favorem Chriſtianorum lata, ubi tamen nulla mentio Chriſti aut fidei Chriſtianæ. Succesſio Eccleſiæ ante fiſcum.* §. XIV. *Aliæ leges Conſtantini, ut ex fiſco ædificentur Eccleſiæ, & ut pagani a cultu idolorum ad Chriſtianiſmum tranſeant. Ubi tamen libertas diſerte paganis relinquitur, quam adeo male expoſuit Euſebius.* §. XV. *Non orthodoxum fuiſſe Conſtantinum probant literæ ad Alexandrum & Arium datæ* §. XVI. *Alia vana ſigna Chriſtianiſmi in moribus Conſtantini* §. XVII. XIIX. XIX. *Sententia Zoſimi de extructione Conſtantinopoleos.* §. XX. *Conſenſus ſcriptorum Chriſtianorum de cauſa huius extructionis.* §. XXI. *& de ſtatuis Deorum gentilium ibidem relictis,* §. XXII. *& de mutata ſtatua Rheæ in ſtatuam beatæ virginis* §. XXIII. *Querelæ Zoſimi de vitiis Conſtantini & damnis Reipublicæ illatis* §. XXIV. *quæ confirmantur ex Euſebio.* §. XXV. XXVI. *Et relatio Zoſimi de Chryſargyro vindicatur adverſus Evagrium* §. XXVII. *Confirmatur etiam ex Euſebio iudicium Aurelii Victoris de Conſtantino* §. XXIIX. *Et ex Zonara illuſtratur iudicium Iuliani de Conſtantino* §. XXIX. *Dicta illuſtrantur ulterius ex Balduino, Caueo, Gutherio, Seckendorffio, Spanhemio* §. XXX. *Adulationes*

The-

Theodoreti & Euſebii de Conſtantino §. XXXI. *Catalogus Bonorum operum Conſtantini, vanorum plane, hypocriticorum, pure papiſticorum, & Clero nimium quantum adulantium.* §. XXXII. XXXIII. XXXIV. R*elatio Euſebii & adulatio de baptiſmo & morte Conſtantini, & quæ hanc ſecuta fuerint,* §. XXXV. *vix veroſimile, Conſtantinum tum baptizatum eſſe, & ſi eſſet, non laudem mereretur, quod tamdiu baptiſmum diſtuliſſet.* §. XXXVI. *Notatur Baronius & adverſus hunc diſputans Scultetus* §. XXXVII.

§. I.

QVomodo Conſtantinus *ad imperium peruenerit*, ſic retulit Euſebius *in Vita Conſtantini lib. 1. c. 15.* quod Conſtantius in medio filiorum & filiarum mortuus fuerit, relinquens *ex lege naturæ* maximo (i.e. Conſtantino) regnum. Hoc vti ambiguè dictum eſt, & verbis dubiis, quæ æque de ſucceſſione ab inteſtato ac de teſtamentaria poſſint intelligi, ita mox Euſebius *d. l. 1. c. 16.* declarat, de neutra id verum eſſe, dum ait, quod in funere Conſtantii *acclamationibus Populi* Conſtantinus proclamatus ſit Imperator & Auguſtus, & *Ibid. c. 18.* quod *ſolo Dei conſilio*, non hominum ſuffragiis ad Imperium per-

peruenerit, hoc eſt, vt idem in Hiſtoria iam bis memorauerat *lib. 8. c. 26. & vlt.* quod pro more illorum temporum *ab exercitu* Imperator declaratus fuerit. Vnde merito ridenda fabula Zonaræ *in Dioclet. Tom. II. f. 246.* quaſi Conſtantius *iubente Angelo* regnum Conſtantino tradiderit, quia *reliqui eius liberi inepti* ad hoc viſi fuerint. Non enim recordatus fuerat Zonaras, Euſebium *in Vita Conſt. l. 1. c. 12.* inter præconia Conſtantii poſuiſſe, quod ſolꝰ inter ſuos Collegas propter *liberorum probitatem* excelluerit. Adhuc impudentior eſt Nicephorus *lib. 7. c. 19.* aſſerens, Patrem tradidiſſe Conſtantino Imperium abdicatis liberis reliquis, *in præſentia Senatus* & populi.

§. II. De *pietate* Conſtantini in Hiſtoria *d. l. 8. c. 26. & vlt.* nil aliud prædicat Euſebius, quam quod *paternæ pietatis* erga Chriſtianam religionem *veſtigia* diligenter ſit perſecutus, eamque digna æmulatione imitatus fuerit. At de paterna pietate, nil amplius dixerat, quam quod Chriſtianis Conſtantius nullo modo nocuerit. (*vide ſupra obſeru. præced.* §. 1.) Sed in vita Conſtantini, poſtquam fabulam de Conſtantii Chriſtianiſmo fingere non erubuerat, *ſupra d. l.* §. *III. ſeq.* refutatam, non erubuit etiam, *deliberationem ſeriam Conſtantini* in ſcenam producere, *quam religionem ſe-*

que

quæretur, donec ſe *determinauerit*, quod *Deum*, quem pater ſanƈte adorauiſſet, *ſolum* colere & obſeruare voluerit. *In vita lib. 1. c. 20.* Vnde Nicephorus haud dubie ſuam recitationem hauſit. *lib. 7. c. 29.*

§. III. De *ſigno crucis Conſtantino in cælo apparente* res infantibus & pueris nota eſt. Sed quid & iſtud in receſſu habeat, videndum. Euſebius *in Hiſtoria l. 9. c. 8.* de Conſtantini pugna contra Maxentium id ſaltem memorat, quod Deum cœli, verbumque eius Ieſum Chriſtum auxilio ſibi fore precibus obnixe obteſtatus iverit adverſus Maxentium, quodque poſt viƈtoriam confeſtim ſalutare ſignum crucis ſeu trophæum Seruatoris in manu propriæ ſuæ ſtatuæ & imaginis collocari mandauerit, cum inſcriptione: Hoc ſalutari ſigno, veræ fortitudinis indicio, noſtram civitatem tyranni jugo liberavi. Quid igitur putas? ſi ſignum crucis Conſtantino in cœlo apparuiſſet, an id Euſebium in Hiſtoria omiſſurum fuiſſe credis? (*Conf. Hiſt. Eccleſ. Goth. l. 2. c. 3. ſ. 3. §. 3. p. m. 292.* Et notat Caſalius *de antiquis Chriſtianorum ritibus*, ſignum etiam Gentilibus fuiſſe uſitatum, neque ſaltem denotaſſe χριςȣ̃ nomen, ſed aliorum quoque qui a χ & ρ inciperent.) Ipſe Euſebius hanc obieƈtionem ſenſit. Quapropter *in vita cap. 22.* magna

cautione præfatur, rem admirabilem eſſe, & vix credibilem, niſi Imperator ipſe. ſed longo tempore poſt ipſi eam narraſſet, & juramento confirmaſſet, ſed non ex arte mentiri didicit Euſebius, cum ſtatim ſubiungat: Conſtantinum tempore pomeridiano crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum in ipſo cœlo ſoli imminens vidiſſe, inque eo inſcriptionem conſignatam verbis iſtis: In hoc vinces. Propterea & Imperatorem & totum exercitum, qui hoc prodigium vidiſſet, magna admiratione fuiſſe compulſum. Non equidem opponam variationem reliquorum, & quod Sozomenus *l.1.c.3.* referat, Angelos adſtantes dixiſſe: In hoc, o Conſtantine, vinces. Zonaras vero *Tom.III.f.1.* & Nicephorus *l.7.c.29.* narrent, ſtellas æquales latinis literis iſtam inſcriptionem expreſſiſſe. Poſſet enim pro Euſebio regeri, illi, tanquam coævo ſcriptori plus fidei tribuendum eſſe quam reliquis. Saltem illud urgere licebit: ſi totus exercitus prodigium iſtud vidit, quo pudore Euſebius potuit, prætendere tanti prodigii in vulgus notiſſimi ignorantiam, quo colore poterit perſvadere lectori, id ob incredibilitatem debuiſſe ab Imperatore juramento confirmari?

§. IV. Non maiorem ergo fidem merentur,

tur, quæ in vita Conſtantini *l.1.c.23.* ſequuntur, etſi ea cum præcedentibus repetat Socrates *l.1.c.1.* nempe quod Chriſtus, cum ſigno iſto, quod interdiu viderat Conſtantinus, ei in ſomnis apparuerit, præceperitque, ut exemplari ad imitationem illius ſigni fabricato tanquam præſidio in præliis cum hoſtibus committendis uteretur. Unde poſtea (ita pergit Euſebius *in vita l.1.c.26.*) re cum Sacerdotibus communicata, cum ab his percepiſſet, Chriſtum eſſe, qui ipſi apparuiſſet, ſacerdotibus ſibi tanquam aſſeſſoribus adſcitis, eum ſtatuiſſe, Deum, qui ipſi apparuiſſet, omni cultus genere venerari. Huc pertinent etiam miracula, quæ in præliis Conſtantini, per crucis ſignum in vexillis pictum, facta fuiſſe memorat paulo poſt Euſebius *in vita lib. 2. c. 7. 8. 9.* Scilicet hæc omnia oſtendunt, quanto ſtudio Antiſtites iam tum temporis ſuperſtitione imbuere populi animos, fictis etiam ubicunque miraculis, laboraverint. Et varias ſuperſtitionis ſpecies illis temporibus intuitu crucis Chriſti apud Chriſtianos iam fuiſſe in uſu, notarunt iam alii. *vide Geſſel. Hiſt. Eccleſ. p. 371.*

§. V. At vero iam inter ipſos ſcriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ graue litigium oritur de *baptiſmo Conſtantini*, Latinis cum Zonara *Tom. III.*

III. f. 5. & Nicephoro *lib.* 7. *c.* 33. & 35. *item lib.* 8. *cap.*54. ſtatuentibus, quod vel *ante Maxentium deuictum, vel paulo poſt* Conſtantinus cum Criſpo *Romæ a Syluestro baptizatus fuerit*, de quo tamen Græci, Euſebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus plane tacent. Et contra Baronium id factum eſſe negat Scultetus *peculiari c.* 6. *in Medull. ſub Euſebio.* Etſi vero fateamur, circumſtantias, quæ hic immſcentur, potiſſimum de lepra Conſtantini nil niſi fabellam anilem ſapere, eamque fabulam ex hiſtoria vitæ Conſtantini Copronymi magno errore translatam eſſe in vitam Conſtantini M. notet Boxhornius *Hiſt. Uniu. p. m.* 280. *ſeq.* & acta Sylueſtri, in quibus ſe fundant aſſertores baptismi huius, non maiorem fidem mereri, cauſam tamen bonam non vbique bene contra Baronium egit Scultetus *d. l.* præprimis dum Baronius vrget ex ipſo Euſebio, Imperatorem myſteriis ſacris die feſto Paſchatos interfuiſſe, & omnes ſacrorum ritus obiiſſe, nec tamen pro more Eccleſiæ fuiſſe iuſſum, vt exiret ante ſacrum Euchariſticum vſum, quod non fuiſſet ipſi permiſſum, ſi nondum fuiſſet baptizatus. Quæ enim hic reſpondet Scultetus *d. l. p.* 222. frigida ſunt. Mihi potius videtur vrgendus fuiſſe Baronius, vt probet, in Euſebio ea contineri, quæ tanquam ex ipſo adducit. Prouo-

uocat Baronius (*ap. Scultetum d. l.*) ad librum 4. Euſebii de vita Conſtantini M. Ego vero nihil aliud in toto libro IV. deprehendere potui, quam quod Conſtantinus omnibus viribus diuinos ritus obierit (quod non eſt *omnes* ritus obiiſſe) & quod nocturnam vigiliam multis cereis in vrbe accenſis clariorem reddiderit, diurno vero tempore Imperatoriam munificentiam erga pauperes exercuerit. *In vita lib. 4. c. 22.* Et alibi *d. l. 4. c. 52.* quod in vigilia Paſchatos cum cæteris pernoctans vota precesque Deo ſoluerit. Paulo aliter Nicephorus pro adſtruendo baptiſmate per Sylveſtrum *l. 7. c. 35.* *Quodſi nondum*, ait, *ſacri lauacri particeps fuit, conſequitur, cum neque in Nicæna Synodo cum patribus congreſſum eſſe, & tum eis diuina myſteria non participaſſe. Quomodo vero aliter benedictione eorum dignus reputatus eſſet, & communis menſæ particeps fuiſſet, vti hiſtoria tradit?* Sed ad iſta quidem facilis eſt reſponſio, præprimis cum hiſtoria tradat, Epiſcopos potius menſæ Conſtantini fuiſſe participes, de participatione vero myſteriorum nihil referat *Euſeb. de V. C. l. 3. c. 14.* De illo nihil dicam, quod communiter ex legendis Sylueſtri afferri ſolet, baptizato Conſtantino auditam eſſe vocem in cœlo: Hodie effuſum eſt venenum & peſtis in Eccleſiam, *Sandius l. 2. Hiſt. Eccleſ. p. 159.* Hoc vti noſtra-

tes

tes de peſte Arianismi aut Papismi, Ariani contra de lite inter Arianos & orthodoxos, aut orthodoxismo, intelligunt, ita poſſes etiã id, ſi verum eſſet, exponere de veneno & peſte auaritiæ & ambitionis ſub Conſtantino in Eccleſiam effuſis.

§. VI. Videamus iam, quænam & qualia facta digna aut peculiaria Chriſtianis ediderit Conſtantinus. Poſt victoriam Maxentii *legem pro Chriſtianis* pleniſſimam tulit. Sed eandem legem cum Conſtantino etiam tulit Licinius, *Euſeb. Hiſt. l. 9. c. 8.* qui æque ab Euſebio *d. c. 8. & 9.* pacis & pietatis autor appellatur, cum tamen nunquam Chriſtianus fuerit. Et ipſum Edictum libertatem quidem concedit Chriſtianis, ſed & aliis indulget libertatem ſequendi religionem, quam velint. *Euſeb. l. 10. c. 5*

§. VII. Commendat inſuper eum Euſebius *in Hiſtoria lib. 10. c. 3. & 4.* (*Conf. Vit. Conſt. lib. 4. c. 43. 44. 45. Sozom. lib. 2. c. 25. Niceph. lib. 7. c. 40.*) de ſolenni *encæniorum* ſeu *dedicationis templorum* celebratione & orationibus Panegyricis in laudem Epiſcoporum habitis. Sed iſta quidem defectum Chriſtianiſmi magis docent, quam profectum. At *pecuniæ a Conſtantino Eccleſiis donatæ*, & Eccleſiarum Præfecti ab omnibus muneribus immunes facti ſunt.

Eu-

Euſeb. lib. 10. c. 6. & 7. & in vita lib. 1. c, 36. Eſto. Hoc probat, quod gratiam Chriſtianorum Conſtantinus captauerit, Chriſtianismum eius non probat.

§. IIX. Atque hæc Euſebius in Hiſtoria ante Licinii mortem geſta eſſe memorat. Ipſa vero hæc Licinii mors ad Conſtantini Chriſtianismum probandum non multum conducit. De ea ſic Eutropius *lib. 10. c. 4. Contra religionem ſacramenti Licinius Theſſalonicæ privatus occiſus eſt.* Aurelius Victor. *Epit. c. 59. Licinium pacta ſalute iugulari iubet.* Zoſimus *l. 2. c. 28. Licinius egreſſus vrbe ſupplex Conſtantino factus e*[illegible] *ad eum adlata purpura imperatorem & Dominum clamabat, veniamque præteritorum poſcebat. Nam vitam ſibi certo pollicebatur, cuius nomine iusiurandum eius vxori a Conſtantino præſtitum fuerat, Martinianum Conſtantinus ſatellitibus ſuis occidendum tradidit. Licinio Theſſalonicam ablegato, velut iſtic ſecure victuro, neque multo poſt ei, violata iurisiurandi religione, quod quidem Conſtantino non inſolens erat, laqueo vitam ademit.* Gravis accuſatio, ſed non omni exceptione maior, quia a Zoſimo pagano profecta. Ergo quid ad hæc Chriſtiani? ſuſpectum eſt, quod Euſebius, etſi maximopere in Licininm invehatur, mortis tamen genus obſcure & confuse referat. In hiſtoria enim narrat: *Licinium ſimilem cum im-*

impiis viam, perſecutum, ad ſimile etiam cum iis calamitatis præcipitium non ſine cauſa ruiſſe, atque hoc modo tandem perculſum & profligatum decubuiſſe.lib. 10.C. vlt. In vita Conſtantini vero *lib.2.c.18.* prædicat, quod Conſtantinus *impium tyrannum vna cum ſuis belli iure condemnatum debito addixerit ſupplicio.* Ergo tamen Conſtantini iuſſu mortem Licinii accidiſſe, hic fatetur, neque tamen Licinium accuſat, quod noui quid poſt victoriam Conſtantini contra hunc tentaverit, haud dubie id facturus, ſi tale quid Licinius perpetraſſet. Conſentire cum Zoſimo Hieronymum, notat Clariſſimus Collega, Cellarius ad Zoſimum *d.l.2.c.28.* & ſimul ex Oroſio addit, *iusſiſſe Conſtantinum occidi priuatum Licinium, atque ad id motum eſſe exemplo Soceri, Herculii Maximiani, ne depoſitam purpuram in perniciem Reipublicæ ſumeret.* At vero hæc ſuſpicio Conſtantinum a periurio non liberat, an excuſet, videant alii. Equidem Socrates *l.1.c.2. Licinium,* ait, *coactis Barbaris, per nouam pugnam voluiſſe damnum reſarcire, & propterea a Conſtantino occidi iuſſum eſſe,* vnde haud dubie id repetunt Cedrenus *citatus Cl. Cellario d.l.* & Nicephorus *l.7.c.45.* Zonaras vero, *poſtulatum fuiſſe ſupplicium Licinii a militibus & Senatu Romano* dicit *Tom. III.f.4.* Sed quis poſterioribus his ſcriptori-

ri-

bus crederet, tacente Euſebio, & repugnantibus Zoſimo & Hieronymo? Vt taceam, poſtulationem militum & Senatus Romani Conſtantinum vix potuiſſe liberare a periurio. Vnde facile patet, quid reſpondendum ſit Clariſſimo Scholiaſti Eutropii *ad lib. 10. c. 4.* qui putat, *periurium hoc fingere Chriſtianæ pietatis hoſtes: Aurelium enim Victorem fateri, quod Licinius impius tyrannus fuerit.* Nam fictionis ſuſpicionem facile tollent, quæ diximus. Interim poteſt etiam aduerſus impium tyrannum committi periurium. Accedit, quod Zoſimi Antagoniſta Euagrius in oppugnatione Zoſimi *lib. 3. c. 39.* nihil de hac Licinii interfectione, quod huic opponeret, haberet.

§. IX. Memorat porro Eutropius *lib. 10. c. 4.* *Criſpum* filium Conſtantini, virum egregium, & *Licinianum*, Licinii ex ſorore Conſtantini filium ab hoc *fuiſſe interfectos.* Erant Licinianus & Crispus ex Mineruina concubina natus cum altero filio Conſtantino Cæſares ab auunculo & patre antea declarati. *Zoſimus lib. 2. f. m. 28.* De interfectione Liciniani non noui, qui dubitet. Crispi mortem quod attinet, Zoſimus *d. l. 1. f. 31.* eam cauſam affert, quod in ſuſpicionem veniſſet Crispus, quaſi cum Fauſta Nouerca *conſuesceret*, additque, Helenam, Conſtantini Matrem tantam cala-

mitatem ægro tuliſſe animo, & intolerabilem ex cæde iuuenis dolorem percepiſſe. Vnde Conſtantinus, *quaſi conſolans eam*, malum malo maiori ſanauerit. Nam cum balneum accendi ſupra modum juſſiſſet, eique Fauſtam incluſiſſet, hanc inde mortuam fuiſſe, extractam. Paulo aliter circumſtantias mortis vtriusque memorat Zonaras *Tom. 3. f.* 6. Fauſtam ſcilicet, inſano amore Criſpi captam, cum ad concubitum eum pellicere nequiuiſſet, apud patrem detuliſſe de *ſollicitata* ſæpius pudicitia. Ob id crimen capitis damnatum eſſe a Patre Fauſtæ obſecuto. Sed deinde veritate cognita de ipſa quoque, tum ob *impudicitiam*, tum ob filii cædem pœnas ſumſiſſe Conſtantinum. Mihi Zoſimi vt proſioris relatio vel ex eo etiam videtur veroſimilior, quod Canſtantii Chlori vxor & Fauſta fuerint ſorores (*Zon. Tom. 3. f.* 1.) filiæ Maximiani Imperatoris. Adeoque vt Conſtantius Helenæ prætulerat ſuam coniugem, ita & Conſtantinum Minervinæ prætuliſſe Fauſtam. Pro more igitur ſexus muliebris non poterat non Helena infeſto eſſe animo erga Fauſtam. Dubitat equidem de morte Criſpi & Fauſtæ Clariſſ. Cellarius ad Euagrium *l. 10. c. 4.* ſed ad Zoſimum *l. 2. c. 29.* conſentit. Parricidia etiam Conſtantini non diſſimulat Baronius *ap. Scultet. in Euſebio p.* 225. Miſer

Eua-

Euagrius *l. 3. c. 41.* & hunc exſcribens Nicephorus *lib. 16. c. 42.* miſeris rationibus negant, Fauſtum & Criſpum fuiſſe interemtos, ideo quod Euſebius in hiſtoriarum libris Criſpũ laudet. *Non tantum,* ait, *laudis profecto Euſebius, cui poſt Conſtantinum vita ſuppetebat, Criſpo tribuiſſet, ſi a patre fuiſſet interfectus.* Quaſi vero Conſtantinus hiſtorias ſuas non abſoluerit, Conſtantino & Criſpo adhuc viuentibus, paulo poſt Licinium interemtum. Adde, quæ pro Zoſimo contra Euagrium & Nicephorum egregie diſſerit Leunclauius *in Apologia*, & illuſtris Spanheimus *ad Juliani Cæſares, p. m. 351.* qui & cum Franciſco Balduino *in Conſtant. l. 2. in f. p. 292.* crudelitatem Conſtantini fatetur *ibid. p. 278.* Vnde Balduinus etiam facta iſta tragicorum parricidiorum nomine inſignit, & ex Sidonio Apollinari refert, Ablauium Conſulem tunc ea tempora vocaſſe Neroniana (*d. l. p. 293.*) Memorabile eſt, quod Criſpi mortem in vita Conſtantini non memoret Euſebius, haud dubie ideo, vt neque filium, ſi nocens, neque patrem, ſi innocens filius, accuſare opus habuiſſet. Illud miror, etiam a paucis obſeruatum, quod Zoſimus, dum ſucceſſionem liberorum Conſtantini refert, ſimul alterius vxoris Conſtantini meminit, quam & ipſam Conſtantinus inſimulatam adulterii morte affecerit. *Zoſimus*

lib. 2. Quo pacto habitum in parricidii crimine videretur contraxiſſe Conſtantinus, Chriſtiani adeo characterem peſſime exprimens.

§. X. Quid ergo eſt, quod Chriſtiani Scriptores inuehantur in Zoſimum, qui pergit *d. ſ.* 31. *Poſt mortem Licinii non iam amplius inſitam a natura malitiam tegebat Conſtantinus, ſed indulgens animi libidini omnia ex imperio agebat. Et patritis adhuc ſacris vtebatur, non tam bonorum cauſa, quam neceſſitatis, quo fiebat, vt & hariolis, ſi qui eſſent experientes, fidem haberet, veluti qui vera ei de rebus omnibus feliciter geſtis prædixiſſent.* Et paulo poſt: *Horum omnium (parricidiorum) ſib conſcius, & præterea contemtæ ſacramentorum religionis, ad flamines accedens, admiſſorum luſtrationes poſcebat. Illis reſpondentibus, non eſſe traditum luſtrationis modum, qui tam foeda piacula poſſet eluere, quidam Hiſpanus genere, cui nomen eſſet Ægyptius, Romam delatus, palatinisque mulierculis familiaris factus & ad Conſtantini colloquium admiſſus, ſententiam doctrinæ Chriſtianorum habere vim abolendi quodcunque peccatum, confirmauit, & id ipſum adeo polliceri, nimirum acceptantes eam homines impios, mox omni delicto liberari. Eam orationem, cum non grauatè Conſtantinus accepiſſet, ac patrita miſſa faceret, perceptis iis, quæ hic Ægyptius offerebat, principium impietatis dedit, vt diuina-*

ti-

tionem omnem ſuſpectam haberet. Nam quod ei multæ res proſperæ per hanc prædictae fuiſſent, eventumque reſpſa ſortitæ, verebatur, ne itidem alius aduerſus ipſum hanc conſulentibus, id quod futurum eſſet, prædiceretur; atque hoc conſilio impulſus, ad huiusmodi abolenda ſe conuertit. Cum autem dies quidam more patrio feſtus adpetiiſſet, quo die in Capitolium exercitui aſcendendum erat, eum adſcenſum verbis contumelioſis impudenter inſectans, re diuina proculcata, Senatus atque populi odium incurrit. Parallela his quæ Zoſimus de Chriſtianismo Conſtantini refert, ſunt ea quæ apud Iulianum *in Cæſaribus* leguntur, vbi ſatyrice vel ſub perſona Conſtantini, aut filii eius vel ſub perſona voluptatis (nam interpretes ipſi variant in expoſitione) exclamat: *p. m. 133. Quicunque ſtupri violenti, homicidii, ſacrilegii, aut alterius criminis horrendi reus eſt, veniat fidenter ad me, mundum eum plane reddam, quam primum hac aqua abluero. Quod ſi in iſta infamantia vitia recaſurus ſit, efficiam, vt iterum mundetur, poſtquam pectus & caput bene pulſauerit.*

§. XI. Hic vero accuratius nonnulla ponderanda erunt, cum Zoſimum hac parte & Iulianum impugnent multi, interque eos viri eruditisſimi. Præſuppono, ſecundum computationem Caluiſii, mortem Criſpi contigiſſe anno vigeſimo imperii Conſtantini & eodem,

eodem, quo Concilium Nicænum fuit habitum, vnde eo magis intereſt ſcire, quali fide qualique vitæ ſanctimonia Conſtantinus illis temporibus & paulo poſt fuerit gauiſus. Accuſat eum Zoſimus, quod ex neceſſitate ſaltem, ne plane a ſe Paganos alienaret, patriis ſacris fuerit vſus. Ergo concedit iam aliena mente a pagana religione fuiſſe Conſtantinum, ſed adhuc tamen publice eandem frequentaſſe. Ergo non publice, ſed clanculum ſe Chriſtianum eſſe aut fieri velle perſuaſiſſet Chriſtianis. Atque hoc non a vero eſſe disſimile, hactenus tradita oſtendunt, quibus quæ Chriſtiani pro monſtrando Chriſtianiſmo afferunt vel falſa, vel valde dubia, eſſe oſtendimus. Nec obeſt Conſtantini cura in Concilio Niceno. Quæ enim ibi geſſit, potuiſſent etiam a Pagano fieri, vti Aurelianus talia geſſit in Antiocheno contra Paulum Samoſatenum. Quæ vero Zoſimus de approbatione hariolorum memorat, videntur probari per *l.1. Cod. Theod. de Pag. & Sacrif.* etſi illa lex triennio ante mortem Crispi publicata ſit. Nam & Zoſimus iſtud ante relationem mortis Crispi recenſet. Vnde veroſimilius eſt aſſerere, Conſtantinum nondum factum Chriſtianum, quam cum Baronio *ap. Iac. Gothofr. ad d. l. 1. C. Theod. lib. 16. t. m. 258. ſeq.* in Sylueſtri baptiſmo fiduciam ponente dicere, quod

quod Conſtantinus rurſus degener factus ſit. Noui equidem, quod doctiſsimus Iacobus Gothofredus *ad d. l. 1. f. m. 257. ſeq. Tom. 6.* non ſolum Zoſimo ex Paganismo ortum odium aduerſus Chriſtianos obiiciat, ſed & in eo totus ſit, vt oſtendat, Conſtantinum illam legem non ex approbatione ſed ex tolerantiæ neceſsitate dediſſe, quemadmodum & idem alibi, ea quæ Zoſimus ſub Gratiano *lib. 4. f. m. 75.* recenſet, quod Conſtantinus Pontificatum maximum geſſerit, refellere maximopere conatur *Differt. de interd. Chriſt. cum Gentil. commun. p. 30. ſeq.* Sed iſtam quidem obiectionem noſtratibus poſt Nicephorum & Euagrium frequentem de paganismo Zoſimi pulchre repulit Leunclauius *in Apol. non procul ab initio.* Quod vero Gothofredus pro oſtendendo Conſtantini ab haruſpicina aduerſo animo *ad l. 1. & 2. Cod. Theod de malef.* & verba ibid. contenta: *Superſtitiani enim ſuae*, item *conſuetudinis veſtrae* &c. prouocat: vereor vt inde quicquam ſolidi & ad ſcopum faciens poſsit eruere. Non enim ſuperſtitio ſemper apud Romanos denotabat falſum cultum, ſed etiam nimiam rerum diuinarum ſcrutationem, *vid. Schardii Lexicon voce ſuperſtitio.* & in eo ſignificatu vocem ſumi *in d. l. 1.* contextus oſtendit. Quod autem *in l. 2.* conſuetudinis *veſtræ* dicat, non *noſtræ*, allocutio

ad populum non aliter ferebat. Potius verba *L. 1, C. Theod. de ſacrif. pag. retento more &c. requiratur*, oſtendunt conſtantinum ſi non probaſſe, ſaltem non abhorruiſſe ab haruſpicina. Ergo vt ex dd. legibus apparet, aruſpicum conuenticula cum priuatis veroſimiliter non prohibuit odio ſuperſtitionis, cum publica permiſerit, ſed metu, ne priuatim in ipſius vitam aut imperium conſultationes fierent, aut vt Zoſimus dicit, ne aliis forte prædiceretur, quod ipſi olim prædictum fuerat. Vnde patet, Balduinum *in Conſtantino* dum *l. 3. C. de Malef.* recenſet *p. m. 283.* non inſpexiſſe Cod. Theodoſianum, ſed mutilum ſaltem ex ea locum a Triboniano excerptum. Mallem adeo dicere: Conſtantinum dum illas leges ferret, jam fauiſſe quidem Chriſtianis præ Gentilibus, ſed ſimulaſſe tamen adhuc Gentiliſmum, ex pietate vero neutiquam eas tuliſſe. De Pontificatu Conſtantini & Gratiani, vt Gothofredo reſpondit Boſius *peculiari diſſertatione de Pontificatu Impp. Rom. vid. Fritſch. ad Fabr. de relig. regenda. p. 28.* ita ſententiam noſtram duobus verbis expediemus. Fateor, [e] rationes Jacobi Gothofredi tales eſſe, vt vtrumque dubium reddere valeant. At ſi Conſtantini genium & facta conſiderem, nollem negare, eum etiam minimum

mum prioribus temporibus & antequam ſe aperte pro Chriſtiano haberi vellet, Pontificatum Maximum, vt qui maxima iura habebat, non repudiaſſe. *Conf. Sieur Hiſtoire Part. 2. p. 491. Geſſel. p. 373.* etſi de Gratiani facto nolim cum Zoſimo id aſſerere.

§. XII. Porro quæ Zoſimus de circumſtantiis Chriſtianismi Conſtantini protulit, refutare videtur voluiſſe Sozomenus *l. 1. c.* 5. Repetit Niceph. *lib. 7. c. 35*, ex eo quod 1. Criſpus vigeſimo demum anno Imperii paterni mortem obierit, & iam viuente patre multas leges pro Chriſtianis ſubſcripſerit, (adeoque Conſtantinus non demum poſt Criſpi mortem ad Chriſtianismum ſe contulerit) 2. Sopatrum philoſophum non potuiſſe reſponſum dare Conſtantino, quaſi expiatio non ſit apud Gentiles pro tantis criminibus, quia Sopater veroſimiliter illo tempore, quo Conſtantinus adhuc apud Gallos & Britannos fuerit & antequam Romam iret, Chriſtianiſmo iam imbutus eſſet, ad Conſtantinum non potuerit peruenire, & quia Sopater ignorare non potuerit, quod Hercules poſt trucidatos liberos & hoſpitem Cereris myſteriis ſit expiatus. Sed reſpondeo ad 1. petii id quod eſt in principio, dum a Sozomeno aſſeritur, Conſtantinum ante Criſpi mortem aperte inter Chriſtianos referri voluiſſe, neque vt ſu-

pra iam memorauimꝰ, edicta pro Chriſtianis vel Conſtantini vel Criſpi Chriſtianismum probant. Ad 2. (1) Nec Zoſimum Sopatrum memorare ſed flamines, (2) Cum haud dubie Sozomenus quendam refutare velit, qui de Sopatro id aſſeruerat, patere non ſolum Zoſimum iſta de Conſtantino ſcripſiſſe, ſed & alios, quamuis paululum aliis circumſtantiis. (3) iterum falſo præſupponi Conſtantinum apud Britannos & antequam Romam perueniret, Chriſtianismo fuiſſe imbutum ob dicta ſuperius, (4) Inquirendum an ab expiatione Herculis ad expiationem quam petiiſſe dicitur Conſtantinus, valeat conſequentia. Ni fallor, Hercules in furore liberos & hoſpitem interfeciſſe dicitur. Ab expiatione furioſi ad expiationem eius, qui rationis vſum habuit, non valet conſequentia, aut ab expiatione Poetica non poteſt probari antiquitas hiſtorica. (5) Non ſequitur, non ignorauit Sopater expiationis vſum, ergo noluit Imperatorem eo excludere. Quid ſi Sopater aut flamines iam ſenſerint, Conſtantinum ad Chriſtianismum valde inclinare, atque expiationem Paganam ſaltem pro forma, vt dicitur, petere, adeoque ex hac cauſa eam denegauerint? Contra alios, qui Zoſimæam aſſertionem ex illo capite, quod Conſtantinus prope mortem demum baptizatus ſit, impugnant,

gnant, diſputat Leunclauius *in Apologia*. Sed qui ſunt illi alii? An Nicephorus? Videtur reſpexiſſe ad Euagrium & Theodoretum, *Vide Euagrium lib.2. c. 41.*

§. XIII. Igitur etſi *Iulianus* haud dubie in loco ſupra adducto calumnietur ſacrum baptiſmatis & pœnitentiæ ritum, hactenus tamen dicta oſtendunt non eſſe a vero abſimile, quod Pſeudochriſtianiſmus & Hypocriſis iſtis temporibus iam inualuerint, vt non amplius iſta diſciplinæ ſeueritas & circumſpectio, quam primi Chriſtiani in pœnitentia & baptiſmo obſeruabant, quamdiu Apoſtoli adhuc viuerent, in vſu eſſet, ſed magis externi ritus abſque ſincera emendatione cordis frequenter conſiderarentur, etſi non diffiteamur, inculcatam fuiſſe in ſcriptis & viua voce a Dd. Eccleſiæ & Conciliis veram & Euangelicam pœnitentiam. Vnde quemadmodum rigor Eccleſiæ primæ & Apoſtolicæ Conſtantinum aduerſus Iuliani imputationem parum defendit, (*vide hic quæ contra Iulianum diſputat Ill. Spanhemius p. 347.--349.* ita miror, quod non plura contra Iulianum attulerit vir eruditus Wilhelmus Cave, in erſten Chriſtenthum in der Vorrede *p. 12.*

§. XIV. Videamus iam, an ex Euſebio ad confuſiooem Zoſimi & Iuliani poſſimus opera bona, veræ fidei in Conſtantino teſtimo-

nia

nia indubitata proferre. Primũ, quod poſt Licinii mortẽ, (Licinii mortem refert *in vita lib. II. c. 18.*) memorat Euſebius, eſt Lex prolixa in fauorem Chriſtianorum lata. *Ib. II. c. 25. -- 41.* cuius ſynopſin Sozomenus exhibet *lib. I. c. 8.* Sed uti aliquoties diximus, permiſſio Chriſtianismi & priuilegia in ipſorũ fauorẽ conceſſa parũ probant. Et notandum, quod nominatim in dicta lege Chriſtianorum *diſciplina commendetur* quidem *l. II. c. 25. & 27.* ſed *Chriſti* aut *fidei Chriſtianæ* in tota lege non fiat expreſſa mentio. Inter priuilegia autem illa fuit etiam, quod Eccleſiam ante fiſcum ſuccedere iuſſerit Conſtantinus *l. II. c. 36.*

§. XV. Tum Euſebius memorat legem a Conſtantino, vbi interdictum ſit paganis, ne idolis immolarent *l. II. c. 43. 44.* & diuinationes frequentarent. Subiungit etiam conſtitutionem ad Epiſcopos, *vt ex fiſco ædificarentur Eccleſiæ l. II. c. 45.* & aliam qua adhortatur paganos, vt a cultu idolorum tranſeant ad verum Dei cultum *l.* II. *c. 47-59.* Hic mentionem facit religionis Chriſtianæ, tanquam ſuæ, & quod Deus per Filium ſuum humanum genus in veritatem reuocauerit, *l. II. c. 55. 56.* Chriſti tamen nomen nondum ibi legitur: Et quamuis mentionem ibidem iniiciat, quod Dei vexillum ubique hoſtibus oppoſuerit *l. II. c. 53.* nollem tamen id ita in-

ter-

terpretari, vt fecit autor ſummariórum capitibus præmiſſorum, quaſi his verbis Conſtantinus ſignum crucis confeſſus fuerit, ob dicta ſuperius. Illud magis notabile, quod Conſtantinus aperte paganis concedat, *l.II. c.55.* vt *commentitii erroris delubra pro arbitratu habeant*, & in fine legis *l. II.c. 59.* adhortetur omnes, *vt, quod quiſque ſibi perſuadeat ſatis probum & ſpectatum eſſe, in hoc alteri non ſit offenſioni. Aliud enim eſſe, certamen pro immortalitate ſponte ſuſcipere, aliud ſupplicii metu cogi.* Vnde patet, Euſebium in prioribus capitibus, vt modo retulimus, male hanc legem eo extendere, ac ſi Conſtantinus *immolationem idolorum aut diuinationes interdixerit.* Habemus igitur hic confeſſionem aliquam Conſtantini, virtutis Chriſtianæ exemplum facto expreſſum nondum habemus.

§. XVI. Sequitur in vita Conſtantini recenſio controuerſiæ inter Arium & Alexandrum exortæ, & literæ Conſtantini exhibentur ad vtrumque ſcriptæ, *l.II.cap.63.-76.* vbi nominat Imperator cauſam diſceptationis *valde exilem & neutiquam tanta contentione dignam*, *l. II. c 66.* & Alexandrum notat, quod *de inani quadam quæſtionis particula ſciſcitatus fuerit, quid quiſque ſentiret, Arium vero, quod iſtud, quod neque initio animo amplecti, aut*

cum

cum fuiſſet complexus, ſilentio præteriuſſe debebat, inconſiderate effutiuerit l. II. c. 67. Addit *ibid. Tales quæſtiones quales nulla lex canonue Eccleſiaſticus neceſſario præſcribit, ſed inanis diſſoluti otii certatio proponit, licet ad ingenii acumen exercendum inſtituantur, tamen interiore mentis cogitatione continere debemus.* Iubetque quod *& interrogatio temeraria & inconſulta reſponſio veniam vtriq; ab altero impetrare debeat.* Appellat porro *imprudentem de adeo paruis exiguisque rebus mutuo concertationem d. c. 67. leviculam & ſtultam quæſtionem, diſſenſionem de re quapiam minimi momenti c. 68.* dicitque, quod *vnam eandemque de fide teneant ſententiam d. c. 67.* & adhortatur; vt *communis amicitiæ bonum & vera fides ſtabilis firmaque inter ipſos manere debeat. c. 69.* Quæ omnia talia ſunt, vt orthodoxi & admiratores Conſtantini omnia conquirant, quo Conſtantinum vel excuſare, quod de religione tam profane locutus fuerit, vel a ſuſpicione Arianiſmi liberare posſint, tantum abeſt, vt inde argumentum aliquod aduerſus Zoſimum poſſimus petere.

§. XVII. Pergamus ad librum III. vitæ Conſtantini. Commendat hic Euſebius Imperatorem, quod Chriſtum libero ore in omnes divulgauerit, *interdum* vultum crucis ſigno ſignauerit, *nonnunquam* trophæo illo victo-

ctorioſo ſe extulerit *l. III. c. 2. p. 264.* quodque *diuino afflatu pulſus* depingi ſe curauerit cum cruce ſuper capite & ſub pedibus dracone, & quod imaginem publice propoſuerit III. c. 3. Sed hæc quidem talia ſunt, vt hypocrita, parricida & reliquorum criminum, de quibus eum accuſat Zoſimus, reus ſimilia facere poſſit.

§. XIIX. Sequitur *relatio controuerſiæ de Paſchate* & *conuocatio Epiſcoporum* ad Concilium Nicenum. In ipſo Concilio laudatur *Imperatoris introitus in conſeſſum, & quod non prius conſederit, quam Epiſcopi ad id annuiſſent. l. III. c. 10.* (Theodoretus *l. 1. c. 7.* refert, poſtulaſſe Conſtantinum ab Epiſcopis, vt liceret ſibi paruam ſellam in medio ponere. Nicephorus *l. 7. c. 16.* inquit: Non conſedit, antequam ei hoc ab Epiſcopis *permitteretur*) Tum recenſetur *Conſtantini oratio* ad Concilium pro concordia *l. III. c. 12.* ac quomodo Conſtantinus Epiſcopos ſe inuicem accuſantes & magna controverſia inter ſe contendentes ac digladiantes comiter & ſuauiter in concordiam redegerit, *l. III. c 13. epulo* ſplendido & Regio Epiſcopos atque *muneribus* honorifice dimiſerit, *l. III. c. 14. 15.* eosque *adhortatus* fuerit, vt *mutuam concordiam* conſeruent. *l. III. c. 20.*

§. XIX. His rebus ita conſtitutis, diuinus

iſte

iſte Imperator *pulſu diuino* & *Seruatoris ſpiritu* incitatus (loquor verbis Euſebii) *reſurrectionis Chriſti locum* Hieroſolymas ita exiſtimauit a ſe illuſtrari debere, vt omnibus eximius & veneratione dignus videretur, vnde iusſit in eo *templum* conſtrui. *l.* III. *c. 24.* Narrat id prolixe Euſebius, quomodo videlicet ſepulcrum Chriſti a paganis occultatum cura Conſtantini fuerit inuentum, *l.* III. *c. 25. 26. 27.* vt & *quanta pompa*, quanto *ſplendore*, quantisque *impenſis* templum Hieroſolymitanum fuerit extructum. *l.* III. *c.* 28-40. At vero iſta *ſanctitatem* Conſtantini non probant, probant potius, præter eius prodigalitatem, de qua inferius, *miſerum ſtatum Eccleſiæ*, quod *pietas* iam tum in *extructione templorum* & *impenſis* in perſonas & res ſacras, more plusquam gentili, fuerit æſtimata. Nec poteſt animus Chriſtianus absque ſuſpiriis legere profanam applicationem vaticiniorum propheticorum, de noua Hieroſolyma, ad illud templum, quam facit Euſebius *l.* III. *c. 32.*

§. XX. Redeamus ad *Zoſimum*. Pergit ille: Conſtantinum, *cum* (ob mutatam religionem) *profectas ab omnibus prope dixerim execrationes haud ferret, vrbem quandam Romæ parem quæſiuiſſe, in qua palatium ipſe ſibi conderet l. II. c. 30.* Deſtinaſſe ad eam rem *Byzantium*; ibi inter alia *circum ad omnem elegantiam perpoliuiſſe*, *eius-*

eiuſque partem feciſſe Caſtoris & Pollucis ædem, quorum ſimulacra tunc etiam in Circi porticibus ſtantia videre liceat: ſtatuiſſe & quadam in parte Circi, Apollinis Delphici tripodem, in ſe ipſum Apollinis ſimulacrum continentem; item in foro maximo ædes duas extruxiſſe, collocato in harum altera matris DEUM Rheæ ſimulacro Referri tamen, Conſtantinum ſimulacrum Rheæ ex vecordia quadam nihili facientem res diuinas, mutilaſſe, leonibus vtrimque ſublatis, & manuum figura mutata. Nam cum olim tenere leones videretur, nunc ſpeciem precantis exhibere, vrbem inſpectantis & obſeruantis.

§. XXI. Iam quid ad iſta ſcriptores Chriſtiani? Recte notat Cl. Cellarius *ad Zoſim. d. l. p.151.* quod *execrationes iſtæ fuerint non omnium, ſed pertinaciſſimorum ſaltem paganorum.* Additque, *quod horum impietate ductus Romam deſerendam putauerit, vt Conſtantinopolin Chriſto magis addictam ciuitatem, dedicaret.* Conſona habet Fr. Balduinus: *Multæ graues huius commigrationis cauſæ commemorari poſſunt. Roma, quæ trecentis iam annis Chriſtianorum ſanguine madens Eccleſiam peſſum dederat, indigna erat, quæ hunc pietatis aſſertorem & Eccleſiæ defenſorem atque Patronum teneret. Lib. II. de Conſtant. p. 90.* Cæterum, quemadmodum recte notat Iacobus Gutherius *de officiis domus Auguſtæ Lib. I. c. 45. p. 303. Balduinum ita iuraſſe videri*

ri in Conſtantini acta, vt omnia probet, quæ a paucis probari poſſint: Ita tamen nollem cum ipſo in hoc caſu Balduinum exinde refutare, *quod Conſtantinus Romæ baptizatus ſit*, aut eam rationem afferre mutationis, *quod id diuino nutu factum ſit, vt Roma, quæ orbis caput erat, Eccleſiæ, tandem caput eſſet. ibid. p. 304.* Placet potius ob hactenus dicta, ſententia Authoris Hiſt. Eccl. Goth. *l. II. c. 3. ſ. 3. n. 8. p. 304. praecipuam cauſam fuiſſe Deorum cultum, quem aboleri Romae aequo animo Romani non tulerint.* Quae ratio vti cum Zoſimo conuenit, ſic mallem tamen, eam inter præcipuas referre, quam ſolam præcipuam dicere. Quin enim ambitio principis ſub ſchemate magnificentiæ ei illudentis præcipua inter præcipuas cauſas fuerit, non dubitare ſinunt ea, quæ hactenus de ipſo adduximus. Quantum vero damnum imperio per hoc conſilium allatum ſit, oſtendit Boxhornius *in hiſtoria Uniuerſali p. m. 291.* ex quo facile reſponderi poterit ad defenſionem Auguſtini; ad quam Author Hiſt. Eccl. Goth. prouocat *d. p. 304.* (Non allegat locum Auguſtini: an forte reſpicit ad locum *de Civ. Dei. L. V. c. 25?*)

§. XXII. De *modo* extructionis, ſi audiamus Euſebium, is memorat, *Conſtantinopoli multa templa in honorem martyrum fuiſſe extructa, & initio ſtatim Imperatorem cenſuiſſe ciuitatem omnem idolorum cultu purgari debere, vt nuſquam in*

illa

illa vel ſtatuæ eorum, qui Dii putantur, in templis honoratæ, vel altaria impura cruoris contagione inquinata, vel hoſtiæ ignis incendio penitus exuſtæ abſumptæque, vel feſta dæmonum nomine celebrata, vel aliud quicquam eorum, quæ apud ſuperſtitioſos vſurpari ſoleant, omnino apparerent. Euſeb. de vita Conſt. l. III. c. 47. p. 278. Vnde haud dubie hauſit Auguſtinus dum de Ciuitate Dei ſcribit, *Conſtantinum ciuitatem illam ſine aliquo dæmonum templo ſimulacroque condidiſſe, de C. D. l. V. c. 25. p. m. 562.* Addit in ſequentibus Euſebius: *ad confuſionem Gentilium & irriſionem ſtatuis idolorum Conſtantinopolim & alias ciuitates fuiſſe repletas, aureas vero & argenteas igne conflatas, de V. C. l.* III. *c. 52. p. 279. ſeq. (caput totum meretur legi.)* Vnde forte pro Zoſimo, ad ſtatuas eiusmodi prouocante reſponderi poſſit, præprimis cum Euſebius expreſſe tripodum Delphicorum in circo mentionem faciat. *ibid. d. p. 279.*

§. XXIII. Sed rem tamen dubiam reddunt ea, quæ in aliis ſcriptoribus Chriſtianis deprehenduntur. *Diuæ Mariæ* Conſtantinum dicaſſe vrbem vult Nicephorus (apud Sueur *Hiſtoire Tom. 3. p. 31.*) & ex eo repetit Ludouicus Viues *ad Auguſt. d. l. p. m. 563.* Sed his contradicit le Sueur *d. l.* aſſerens, Dedicationem factam fuiſſe *Deo martyrum.* Idem Nicephorus a Socrate, quoad numerum templorum

Conſtantinopoli ab Imperatore extructorum diſcrepat, vt iam obſeruauit Leonhardus Coqueus *ad d. l. Auguſtini p. m. 564.* Memorabile eſt, quod Sozomenus ſcribit *l. II. c. 2. Curiam magnam, quam Senatum nominant, in ciuitate conſtituit, eiusque Senatoribus eosdem honores, eosdem dies ſacros, qui Romanis veteribus tribui ſolent, aſſignauit. Denique NB. in omnibus rebus vrbem illam ſuo nomine nuncupatam Romae, quae eſt in Italia, parem ſtuduit efficere.* Similia tradit Nicephorus *l. VII. c. 48.* qui *circi extructi* mentionem expreſſe facit. Iſtud vero Conſtantino parum honorificum, quod Zonaras ſcribit, iusſiſſe Conſtantinum, vt Valens inſignis eius temporis Mathematicus natalitium thema vrbis conſtitueret, vt cognoſceret, quot annis duratura eſſet, eumque reſpondiſſe, annos ſexcentos nonaginta ſex *Zonaras Tom. 3. fol. 7.* (Dubium hic oritur de modo, themata natalitia vrbibus erigendi: quodnam momentū natiuitatis fuerit pro fundamento thematum poſitum? Videtur ex Zonara dies dedicationis. Sed de momento tamen & horæ quadrante adhuc dubium manet.) Quamuis autem non ſoleam multum tribuere ſcriptoribus nouioribus contra antiquiores, nollem tamen aſſertionem Nicephori, quam & Zonaras amplectitur *d. l. f. 7.* quod Conſtantinopolis Diuæ virgini dedicata ſit,

vel

vel ex iis reiicere, quæ ſupra Zoſimus de ſtatua Rheæ matris mutata ſcripſit. Vti enim indubium eſt, Zoſimum ea non fuiſſe chartis mandaturum, ſi ſuo tempore talis ſtatua non extitiſſet, ita non eſt a vero abſimile eam repræſentaſſe Mariam virginem, & porro veroſimile eſt, ſtatuam Rheæ in ſtatuam Beatae Virginis fuiſſe mutatam, fraude pia ſecundũ ſtatum illorum temporum, ſed circumſpectioribus de ſuperſtitione cœtus Chriſtiani & miſeria cultus diuini, ſatis perſpicue teſtante.

§. XXIV. *Conſtantini genium* poſt extructam Conſtantinopolin ita fuſius deſcripſit Zoſimus, vt cum de *variis vitiis* & *damnis* imperio illatis accuſet, *bellorũ ſcilicet curis vacuũ, voluptariae vitæ deditum, pecuniam publicam in plurimas inutiles ſtructuras impendiſſe, ex quibꝯ quædam cum ob feſtinationem non eſſent durabiles, non multo poſt iterum ſint dirutæ, Zoſ. l. II. cap. 32. Conturbaſſe etiam magiſtratuum officia iam olim inſtituta, diuiſione officii præfectorum prætorio, ademptaque præfectis prætorio per creationem duorum magiſtrorum militum, coercitione militari eoque pacto diſciplinam militarem multum fuiſſe turbatam, l. II. c. 33. ſimiliter de præſidiis limitaneis ſubmouiſſe & in oppidis nullius opis egentibus collocaſſe, a barbaris vexatas præſidiis nudauiſſe, tranquillas & quietas vrbes militibus grauaſſe,*

 & per

& per hoc complures ad ſolitudinem redegiſſe, milites ipſos theatris & voluptatibus addictos emolliuiſſe, l. II. cap. 34. exhaurire non deſiiſſe vectigalia largitionibus, has vero in homines indignos fuiſſe collatas, adeoq; collatoribus tributorum fuiſſe grauem, inutiles autem cumulaſſe opibus, quippe profuſionem pro munificentia duxiſſe. Quin & Chryſargyrum, grauiſſimum tributi genus a quo ne meretrices quidem immunes eſſent, ſingulis quadrienniis duriter fuiſſe exactum, id vt pendere poſſent, parentes liberos diſtraxiſſe, & filias proſtituiſſe; dictatores ad præturæ dignitatem euocaſſe, & honoris prætextu magnum pecuniæ pondus ab iis exegiſſe &c. vnde plurima oppida ab inhabitatoribus fuerint deſerta, l. II. c. 38.

§. XXV. Succurrite hic & opem ferte Conſtantino Hiſtorici Chriſtiani! Tentemus ante reliquos *Euſebium*. Hic vero, vti deſcriptione fuſiore templorum maximis ſumtibus extructorum, de quibus hactenus ex ipſo memoravimus, *profuſionem Conſtantini in ædificia* ſtabilit, ita & quæ in ſequentibus idem autor de extructis Nicomediæ & in aliis ciuitatibus, item ad quercum Mambre, & Heliopoli auguſtisſimis & permagna auri æriſque & reliquæ pretioſæ materiæ copia ornatis templis in ſequentibus refert, *l.* III. *c.* [illegible]. *1.56.* iudicium Zoſimi confirmant. Multa

porro

porro de eius *liberalitate* refert Euſebius & quemadmodum alios pecuniis, alios ampliſſimis poſſesſionibus locupletauerit, multos prætoria autoritate, multos Senatoriis officiis &c. ornauerit: & vt plurimos honoribus afficeret, *diuerſos dignitatum gradus excogitauerit l.IV. c.1. p.287.* imo nonnunquam in iudiciis ciuilibus cauſa cadentes, vt debita ſoluere poſſent dono pecuniarum vel agrorum honorauerit *l. IV. c. 4.* Sed quemadmodum priora non repugnant Zoſimo, ita ad hoc vltimum pete reſponſionem ex iis, quæ mox de Euagrio dicemus.

§.XXVI. Refert equidem Euſebius, quod *Scytharum & Sauromatum ſubactio* per Conſtantinum facta ſit, *l.IV. c.5. 6.* Sed cum Zoſimus de Scythis memoret, quod in fugam redegerint Conſtantinum, *lib.* II. *f.m.32.* & Euſebius confiteatur, aliquos Scythas prudentibus legationibus placatos fuiſſe, *l. IV. c.5.* Sauromatas vero a ſeruis ſuis eiectos ſolum fuiſſe receptos & militum ordini adſcriptos, *l. IV. c. 6.* dubito, an exinde multum contra Zoſimum inferre poſſis. Quæ vero ſubiicit, quod vndique a barbaris precioſa dona, coronæ aureæ, diademata pretioſorum lapidum, flauæ comæ, auro & floribus contextæ barbaricæ veſtes, equi, clypei, longæ haſtæ &c, allata fuerint, Conſtantinum vero lega-

 tos

tos tantis muneribus doniſque ornaſſe, vt eodem momento locupletisſimi euaſerint, aliquos etiam Romanis honoribus illuſtraſſe (*lib. IV. c. 7.*) multum *Zoſimo* profutura credo, præprimis cum Imperator iſtis ornamentis mollitiei ſignis lubenter vſus fuerit, quod equidem emollire tentat Euſebius *in oratione de laudibus Conſtantini, p. m. 332. 333.* ſed adulatione tam aperta, vt absque pudore vix legi poſſit. Quin imo ipſe Euſebius non poteſt disſimulare, multos humanitate Imperatoris ad auaritiam & hypocriſin abuſos eſſe, *l. IV. c. 54.* (*Adde Theodor. l. 1. c. 23.*) quale quid ſi Panegyriſta dicat, quid innuat, norunt iſti, qui ſtylum panegyricum ab hiſtorico probe ſecernere ſatagunt.

§. XXVII. De *chryſargyro* equidem notum eſt, quantas turbas mouerit, & quantopere Zoſimum increpauerit Euagrius *l. III. c. 40. 41.* quem tamen refutare ſuperſedeo, cum id iam ex aſſe præſtiterit Leunclauius *in Apologia, verſu Demus hoc etiam eſſe: vsque ad verſum: Iam quod indignum facinus &c.* Et nihil attulit cum Euagrio ſentiens Fr. Balduinus *de Legibus Conſtantini p. m. 104. ſeqq.* vnde Leunclauio ſatisfieri poſſit. Nec obſtat illa quartæ partis tributi remisſio, de qua modo ex Euſebio. Solent enim principes duriora tributa imponentes leuiora quædam vel etiam alia dare re-

relaxare. Vnde iam facile reſponderi poteſt ad inſcriptionem, quam ex Grutero refert illuſtr. Spanheimius *ad Iuliani Cæſares p. 338.*

§. XXVIII. *Aurelius Victor* ita de Conſtantino ſcribit: *Conſtantinus laudis auidus, habitum regium gemmis & caput exornans perpetuo diademate, irriſor potius quam blandus, vnde prouerbio vulgari: Trachala decem annis præſtantiſſimus, duodecim ſequentibus latro, decem nouiſſimis pupillus ob profuſiones immodicas nominatus. Aur. Vict. Epitome c. 60. 61.* De imputationibus iam egimus, excepta ſola laudis cupiditate. Huic mallemus opponere encomium contrarium de modeſtia Imperatoris & laudum impatientia, quod ei tribuit Euſebius *in Vita lib. 4. c. 48.* niſi ſeipſum refutaret & Victoris partes inuitus tueretur Euſebius. Quod ſi enim quis iſtas craſſiſſimas adulationes penſitet, quibus Euſebii oratio de laudibus Conſtantini eſt repleta, (*vide potiſſ. p. 332. ſeqq. 338. 339. 345. 361.*) quæque vt ex eius initio *p. 328.* conſtat, in præſentia Conſtantini fuit habita, is fortiſſime coniicietur, non potuiſſe non tales blanditias proferri, niſi coram Imperatore talium cupido.

§. XXIX. *Iulianus in Cæſaribus.* fingit Mercurium cum Conſtantino colloquentem, quænam ſit boni Imperatoris nota? cui ille reſpondeat, Imperatori & habenda & infa-

menda multa, in delectationes proprias & amicorum, ubi ſimul, quod vitam vixerit Coqui & fœminæ deliuato veſtitu gaudentis ei obiicit. *Iulian. p.m.128.129.* Refert hanc Iuliani imputationem ex parte Zonaras *Annal. Tom. III. f. 10.* ſed tantum abeſt ut Iulianum refutare audeat, ut potius ſatis perſpicue inclinet in eam ſententiam, quod profuſior fuerit in expendendo. Igitur non recte percepit eum Spanh. *qui p.337.* Zonaram contra Iulianum adducit. *Conf. eund. p. 338.* ubi dicit, quod exhauſerit ærarium extructione templorum & aliorum ædificiorum publicorum, maxime in extructione & amplificatione nouæ Romæ, unde neſcio, quo pacto has aſſertiones invertere velit Vir Illuſtris ad defendendam prodigalitatem Conſtantini, quod impenſas fecerit magis in publicum quam privatum uſum.

§. XXX. Maxime alias Conſtantino favens Franciſcus Balduinus, negare non poteſt, eum in templorum extructionibus fuiſſe profuſiorem *l.1. p.11.* quamvis ob intereſſe proprium ob iſta commendet Conſtantinum Caveus, *ſubinde, vide P.1. p.144.* [illegible] Gutherius Zoſimum in eo ſequitur, quod prodigalitatem, & damna per mutationem magiſtratuum facta taxet. *de off. dom. Aug. lib.1.c.45.p.300. ſeqq.* B. Seckendorffius fere eadem

dem Zoſimi verba in notanda avaritia & ſtudio conſarcinandarum pecuniarum Conſtantini uſurpat. *Addit. ad* Chriſten Staat. *p.235.* Nec audet Balduinus vitam libidinoſam, crudelem, avaram, Conſtantini negare *in fine lib. 2.* Illuſtris Spanheimius coniecturas veroſimiles adducit, Conſtantinum Comam diligenter aluiſſe, & crispationi capillorum dediſſe operam, quod indicium hominis delicati eſt, etſi ſimul addat, cum pluribus Græcis & Romanis Conſtantinum hoc habuiſſe commune. *ad Iul. p.341.* Nullum enim eſt vitium, quod non ſit commune pluribus. Nec obeſt denique, quod Zoſimus, Victor, & Eutropius, item Iulianus Conſtantino fortitudinem bellicam non adimant, & cum Heroibus conferant *Spanh. p.278.308.* Vti enim fortitudo bellica, ſi virtutibus pacis & ſocialitatis deſtituatur, pro virtute (maxime inter Chriſtianos) haberi non meretur, ita non repugnant, eſſe ſtrenuum belli ducem & non eſſe inimicum mollitiei & vitæ delicatioris. Ita Iulius Cæſar mollitiei notam vel ex eo incurrit, quod vno digito ſe ſcalpere ſolitus ſit, ut de aliis nihil dicam.

§. XXXI. Cum ergo hactenus dicta ſatis oſtendant, & ambitioſum, & voluptuoſum, & avarum fuiſſe Conſtantinum, & ita videri

or-

ordinatas fuiſſe eius cupiditates, ut primo ambitio, tum avaritia, tum voluptas eum ſibi deuinctum habuerint, mirandum videtur, qui factum fuerit, ut a ſcriptoribus Chriſtianis non tantum pro *Chriſtiano Imperatore* deprædicetur, ſed & *Apoſtolis*, & ſi quod nomen inter homines ſanctius eſſe poteſt, ſi non præferatur, certe æquiparetur. *Theodoreto* Conſtantinus *omni genere laudis florentiſſimus, qui non ab hominibus, neque per hominem, ſed cœlitus a Deo more ſancti Apoſtoli ad pacem Eccleſiæ reddendam vocatus fuerit, audit.* Theod. *l.1. c.2.* quod haud dubie ex Euſebii oratione de Laudibus Conſtantini deſumſit, ubi Euſebius præſentem Imperatorem prædicat, *quod ei Deus ipſe, non ab hominibus, neque per homines ſed per ipſum Chriſtum perque divinam ſuam viſionem, quæ ſæpe numero ipſi illuxerit occultas involutasque ſacrorum myſteriorum notiones patefecerit, reſeraritque. Euſeb. p.m. 343.* Etſi vero reſpondere poſſimus, adulationem Euſebii ita eſſe aperte impudentem, ut iis quæ ipſe in vita Conſtantini de viſione eius narraverat, dilucide contradicat (*Euſeb. de Vita l.1. c.26.*) ne tamen quicquam omittamus, quod laudibus Conſtantini inſervire poſſit, age colligamus paucis & illa, quæ nondum attigimus, bona eius opera, aut forte exinde teſtimonium de ipſius fide Chriſtiana aut Chri-

Chriſtianiſmo exſculpere, aut adulationes iſtas excuſare poſſimus.

§. XXXII. *Honore*, cultu & obſervantia, tum re tum verbis, *Epiſcopos* complexus eſt, illosque *ſuæ menſæ* fecit participes; illos, quocunque iter capiebat, ſecum duxit, atque ea propter *Deum*, quem ſanctè colebant, *ſibi credidit fore propitium*, *Eccleſiis copioſa ſuppeditavit* ſubſidia, *templa* in ſublime erecta exædificataque adauxit. (*Euſeb. de Vita l. II. c. 35.*) Quanta vero *fidei vis*, Euſebii iudicio, divino quodam inſtinctu in eius animo defixa fuerit, vel ex eo intelligi poteſt, quod *in aureis nummis imaginem ita inſculpi curavit*, ut panſis manibus inſtar precantis cœlum contueri videretur. (*Euſeb. de Vita l. IV. c.* 15.) Lege itidem cavit, ne ipſius effigies *in idolorum templis* poneretur, ne ipſa tabella vel minima lineamentorum parte propter vetitorum idolorum errorem labem aliquam contraheret; (*Id. l. IV. c. 16.*) Populo in Eccleſia congregato *ſumtis in manus libris* vel ſacrarum literarum contemplatione animum adhibuit, vel conſtitutas cum vniuerſo Eccleſiæ cœtu preces reddidit (*Id. l.* IV. *c. 17.*) Idoneum precationi tempus *diem dominicum* conſtituit, tum vere præcipuum, tum haud dubie primum; Satellitibus etiã perſuaſit, vt ipſi hunc diem dominicum venerarentur, & *preces ab*

Im

Imperatore præſcriptas perſoluerent, imo omnes lege lata adduxit, vt hoc die ab omni opere feriarentur, & vt etiam diem, qui ſabbathũ antecederet, venerarentur, ob memoriam rerum iis diebus a Seruatore geſtarum (*Ib. l.* IV. *c. 18. Orat: in laud. Conſt. p. 341.*) *Formulas precandi* ipſe omnibus militibus præſcripſit, in quibus gratiis actis de victoriis Deum inuocarent, vt Imperatorem cum piis eius liberis ſaluum & victorem conſeruet (*l. IV. c. 19. 20. Orat. p. 341.*;) Tanquam ſacrorum myſteriorum particeps, intra ſecretas Regiæ partes ſtatis quotidie temporibꝰ ſe concludens ſolus, cum ſolo in genua proiectus Deo locutus eſt. (*l. IV. c. 21. Orat. d. l.*)

§. XXXIII. Nocte feſtiua Deo ſuo quaſi ſacerdos ita ſacra fecit, vt *accenſis tota vrbe quam celſisſimis cereis candelis*, vigiliam tam claram reddiderit, quam diurnam lucem, redeunte die *eleemoſynas* pauperibꝰ diſtribuens (*l. IV. c. 22. p. 292. Orat. d. l.*) Voluit vt dies *Martyribus* conſecratos & feſtorum ſolennitates cũ die Dominica honoribus proſequerentur omnes Imperio Romano ſubiecti (*l. IV. c. 23.* Epiſcopis nonnullis conuiuio exceptis, dixit ad eos: *Vos intra eccleſiam, ego extra Eccleſiam a Deo epiſcopus conſtitutus ſum* (*l. IV. c. 24.*) In fauorem potisſimum *cælibum* Dei cultui ſe deuouentium *legem Papiam* ſuſtulit, & qui-

quibuslibet *abſque ſolennitatibus teſtandi* poteſtatem fecit (*l. IV. c. 26. Sozom. l.* I. *c. 9.* Sanxit, *ne Chriſtianus ſeruiat* Iudaeis, & ne quæ ab *Epiſcopis* in publicis conuentibus editæ erant *regulae* & decreta *a reliquarum gentium principibus, poſſint abrogari*, cuiusuis enim iudicis ſententiæ ſacerdotum Dei iudicium anteponendum eſſe (*l.* IV. *c. 27.*) ſuam ipſius mentem quodam quaſi afflatu & inſtinctu diuinarum rerum exaggerans, *totas ſaepe noctes ſine ſomno* traduxit; & cum per otium liceret, *orationes ſcribens* frequentes cum ſuis iniuit *congreſſus*, quod ſuarum eſſe partium exiſtimaret, rationis freno imperio ſuo parentes regere, & vniuerſum regnum rationis imperio ſubiicere. (*l.* IV. *c. 29.*) Atque usque ad ſummam ſenectutem pro conſueto more orationes conſcripſit, ſolitos cum amicis congreſſus fecit, & *dignas homine Chriſtiano diſciplinas auditoribus ſuppeditauit* (*l.* IV. *c. 55.*

§. XXXIV. Ipſe Euſebius ſingulari eius ergaDeum pietate adductus cum poſtulaſſet, *vt de Seruatoris monumentis & ſepultura diſputantem audire vellet*, in ipſa baſilica magno auditorum cœtu circumfuſus *erectus ſtetit*, nec regali in ſolio, etiam rogatus ſe reclinare voluit. Quinimo Euſebium, cum iam multum temporis fluxiſſet & longior eſſet, finem que facere decreuiſſet, *vt omnem ſermonem abſol-*

ſolueret, adhortatus eſt, & rurſus vt ſederet depoſcenti ſubtriſti & auſtero vultu reſpondit, *nefas eſſe inſtitutis de Deo diſputationibus negligentes aures præbere; ſibi vero hoc eſſe vtile, praeſertim cum pium ſit, de diuinis rebus diſſerentem erectos audire.* (*Euſeb. l.* IV. *c.* 33.) Denique *ſacerdotum vitia plane noluit populo aperienda eſſe*, ne ille inde cauſa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur, in tantum, vt adiecerit, *quod ſi ſuis oculis epiſcopum alienae vxori ſtuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum*, ne facinoris aſpectus eos, qui idem ipſum cernerent, vlla ex parte læderet. (*Theodoret. l.* XI. *p.* 207. *Niceph.* VIII. *c.* 16.)

§.XXXV. Hac vero propenſione in Epiſcopos & Clerum pronos Imperatores, quis vitio vertere vellet Clero, ſi eos pios, Chriſtianos, Apoſtolicos deprædicet, etſi parricidas, perfidos, molles, crudeles, auaros. Scilicet hæc iam tum erant corruptisſima Chriſtianiſmi tempora, quibus noſtra, quæ alias valde cum Conſtantinianis, quoad florem Eccleſiæ comparare amant, plane ſimilia ſunt, vt ouum ouo. Sed ad Conſtantinum redeamus. Iſte talibus vitiis, talibus virtutibus præditus, ſi Euſebio credimus, cum in vrbe Conſtantinopolitana, templum Apoſtolorum ſplendide ædificaſſet, non ſolum in

eorum

eorum memoriam, ſed & eum in finem, vt, poſtquam cappas illic duodecim ædificaſſet inque eorum medio conditorium ſuum, quod vtrinque ſeni claudebant Apoſtoli, locaſſet, corpus eius communem cum Apoſtolis appellationem poſt mortem participaret, vtque defunctus precationum, quæ ibi eſſent ad Apoſtolorum gloriam afferendæ particeps efficeretur, & Apoſtolorum memoria plurimum vtilitatis animæ eius conciliaret *(*Euſeb. l. IV. c. 59. 60.*) mox morbo laborans Helenopolim proficiſcitur, ibique in æde Martyribus dedicata, cum ei in mentem veniret extremus vitæ dies, exiſtimaretque hoc tempus oportunum eſſe ad delenda illa errata, quæ, quoniam mortalis erat, admiſerat, crederetque, arcanorum myſteriorum efficacia & ſalutaris lauacri mutatione mentem expiari, errata ſua confeſſus, & manuum impoſitione per precationem dignus fuit habitus. (*Euſeb. l. IV. c. 61.*) Tum ad ſuburbana Nicomediæ perueniens episcopis conuocatis petit, vt baptiſmate donetur, prætegens ſe ante conſtituiſſe, quod in Iordane, ad exemplum Saluatoris baptizari voluerit. Quo impetrato poſt ritum ſacrum in ſplendido regioque apparatu celebratum, purpura abiecta in veſte candida Deum laudat, in vltima voluntate Romanos quosdam annuis penſioni-

bus donat, & alia quæ ei videbantur, expreſſe diſertisque verbis deſcribit (*l.* IV. *c.* 63.) ac ita in ipſo Pentecoſtes feſto moritur, partem ſui mortalem mortalibus cognatam relinquens humi, ſed animi partem intelligentem & diuinam, ſtilo Euſebii, Deo coniungens ſuo. (*l.* IV. *c.* 64.) Sequuntur lamentationes legionum & ducum. (*l.* IV. *c.* 65.) Ducitur cadauer magna pompa in aurea capſula Conſtantinopolim (*l.* IV. *c.* 66.) ibique mortuus ab introeuntibus locum, vbi poſitum erat cadaber, h.e. a totius exercitus ducibus & comitibus omniumque principum cœtu, tum a Senatu & reliquis magiſtratibus, tum vero a cuiusuis ordinis hominibus etiam mulierculis & pueris, ab his omnibus inquam, humi procumbentibus, tanquam ſi viuus eſſet, ſalutatus eſt, adeoque, iudicio Euſebii, ipſo Deo autore poſt mortem regnauit, quia videlicet Regem omnium Deum & Chriſtum eius, omnibus vitæ actionibus pie ſancteque coluerit, vt iſta ratione Deus ſignificaret animorum regnum his, qui non prorſus obduruerunt, nunquam conſenescere, nunquam emori (*l.* IV. *c.* 67.) Exercitus communi conſenſu filios Auguſtos vocat (*l.* IV. *c.* 68.) Romæ maximi luctus ſigna fuere edita, & Conſtantinus ſuper cœleſtes orbes in æthereo cætu requiescens depingitur ac honoratur.

(*l. IV.*

(*l.IV. c.69.*) Conſtantinopoli vero funus præeunte Conſtantio filio in æde Apoſtolorum deponitur (*l.*IV. *c.70.*) ibique excelſo ſolio iacens princeps defunctꝰ gloriose prædicatur, populus autem cum ſacerdotibus preces pro anima imperatoris fundit (*l.*IV.*c.71.*)ac nummi tum ſculpti una parte Conſtantinum obvoluto capite, altera quadrigis inſtar aurigæ inſedentem, demiſſa illi coelitus manu dextra exceptum repræſentant (*l.* IV. *c. 73.*) & ſummatim tantis honoribus cumulatur poſt mortem Conſtantinus,vt nullus ante ipſum Imperator (*l.* IV.*c.75.*

§. XXXVI. Neque ex his hactenus ex Euſebio relatis Conſtantinus vir Chriſtianus, nedum Apoſtolicus fuiſſe demonſtrari poteſt. Vt enim taceam, Pontificios Scriptores ad baptiſma Conſtantini Romæ per Sylueſtrum diu ante mortem celebratum prouocantes, negare conſtanter, Conſtantinum in vltimo vitæ tempore baptizatum eſſe; etiamſi ſupra baptisma Sylueſtri reiecerimus, tamen & de hoc ab Euſebio memorato baptiſmo iuſta dubitandi ſubeſt cauſa. cum nulli huius negotii teſtes niſi pauciſſimi, iique haud dubie & inſigniter quidem Ariani, Epiſcopi vidlicet Nicomediæ & miniſtri,citentur, omniaque ita, remotis aliis & potiſſimum orthodoxis, non multum aliter ac noſtra me-

moria in Anglia natiuitas Principis Walliæ, geſta ſint, ipſeque Euſebius Pamphylus Arianiſmi valde ſit ſuſpectus. Demus Euſebio, Conſtantinum baptizatum eſſe, parum lucrabuntur Conſtantini laudatores. Initio enim valde veroſimile eſt, quod Scultetus ſcribit *in Medulla Patrum, Part.* III. *p. 226. ſeq.* Conſtantinum baptismum usque ad ultimum vitæ terminum diſtuliſſe, quod multi Chriſtiani illorum temporum duo ſibi perſuaderent, 1. remiſſionem peccatorum & innouationem naturæ hominis baptismo quaſi alligari, 2. a peracto baptiſmo vitam a nobis immunem ab omni lapſu requiri, nec vllam delinquentibus expiationem aliam deinceps reliquam eſſe; morem vero illum differendi baptiſma ad vltimum vitæ tempus, valde orthodoxis Patribus displicuiſſe. Approbat has coniecturas Caueus im erſten Chriſtenthum/ *cap. 10. p. 322. Conf. Sozom. l.* I. *c. 3.*) & errorem Nouati iſtum fuiſſe ſimul docet, & paulo poſt aſſerit, ante confirmationem poſt baptismum olim factam, neminem pro vero Chriſtiano fuiſſe habitum, neque ad S. Coenam admiſſum, neque priuilegiis & immunitatibus aliis Chriſtianorum gauiſum eſſe. (*d. c. 10. p. 343.*) Quod ipſum cauſæ Conſtantini parum fauet, de cuius confirmatione & vſu Cœnæ tacens Euſebius veroſimiliter oſten-

dit,

dit, Conſtantinum nec confirmatum,nec S. Cœna vſum eſſe.

§. XXXVII.In eo vero a Sculteto abeo dum aliud argumentum Baronii refutare intendit *p.227.ſeq.* *Si*, inquit Baronius, *Conſtantinus in ſuburbiis Nicomediæ baptizatus fuit, ab Euſebio Ariano, loci iſtius Epiſcopo fuit baptizatus, adeoque impius ex hac vita migrauit. Falſum hoc; celebratur enim Conſtantini demortui pietas ab vniuerſa Eccleſia: Falſum igitur & illud.* In hoc argumento Baronii Maior; optima coonexione nititur. Sed in eo aberrauit Baronius, quod ab abſurditate poſterioris intulerit ad abſurditatem prioris, cum potius circumſtantiæ ex Hiſtoria Eccleſiaſtica eum veritatem poſterioris, docere debuiſſent. Nam vniuerſæ iſtius Eccleſiæ, quæ de pietate Conſtantini teſtatur, teſtimonium, ad quod prouocat Baronius, ſuſpectum eſt, vt Eccleſiæ vel impiæ, vel ob proprium intereſſe non admisſibilis, in genere vero quia ratione deſtituitur, vt hactenus oſtendimus. Iam quid ad iſta Scultetus? *Plauſibile*, inquit, *argumentum fateor, ſed quod nullo negotio conuellatur.* Videamus, quomodo? Initio præmittit, Hieronymum & Iſidorum teſtari, quod Conſtantinus ab Euſebio Nicomedienſi tinctus fuerit; & non paucos in ipſa Eccleſia concedere, Conſtantinum in

fide Arianica deceſsiſſe, prouocantes ad Theodoretum, Ruffinum, Socratem, Sozomenum, & coniecturas, quod Conſtantinus Arium ab exilio reuocauerit, Athanaſium deportari iuſſerit, quod cum Euſebio Cæſarienſi familiarisſimus fuerit, quod presbyter Arianus morienti Conſtantino affuerit, cui & teſtamentum ſuum aſſeruandum dederit; quod hyberbolicæ laudes Conſtantini a Chriſtianis ei tributæ ex Zoſimo &c. corrigendæ ſint, quod Conſtantinus legem promulgauerit inſertam Iuſtinianeo Codici, qua magicas artes certis conditionibus permiſit: quod Conſtantius ipſe de patre Conſtantino teſtatus ſit: Niſi pater meus bene feciſſet, conferendo ſe ad Arianos, non eius filii regnaremus. Pertinent hæc omnia ad negandam falſitatem poſterioris in argumento Baronii. Et hactenus bene Sultetus. Et neſcio cur non in hac reſponſione ſubſtiterit: niſi dicere velis, & ipſius interfuiſſe, Conſtantinum pro principe pio & Chriſtiano haberi. Igitur ad maiorem argumenti Baroniani reſpondere vult in ſequentibus, ſed, vt notabimus, miſere. *At ego ſane*, ait, *ne vtar quidem illis vel rationibus, vel teſtimoniis, quibus Conſtantini in fide Orthodoxa conſtantia, in dubium vocari poſſit.* (Bene. Sed ſi intereſt Sculteti, vt Conſtantini Chriſtianiſmum defenderet, debuiſſet iſta du-

dubia, tanta cura ab ipſomet collecta refutare.) *Illud contendo, vehementer fall Baronium, qui ſi Conſtantinus ab Epiſcopo Ariano baptizatus ſit, concludat, fidem ab eo Nicænam abiectam.* (Duplex Sophiſticatio 1. Mutat concluſionem Baronii, *quod Conſtantinus impius ex hac vita migrauerit*, eamque in aliam transfert, *quod Conſtantinus fidem* Nicænam *abiecerit*, quæ a priore plane eſt diuerſa. 2. Phraſin homonymam ſubſtituit; vt eo melius eludere poſſit argumentum. Fidem Nicænam abiicere vel ſumitur de abiectione verborum, vel de abiectione ſenſus orthodoxi. Poterat quis eſſe Arianus etſi verba fidei Nicænæ non abnegaret, quæ Arius ipſe aut certe Euſebii duo & alii Ariani retinuerunt, & tamen pro impiis Arianis habebantur.) *Nam ſi Euſebiani omnes nequaquam ſe manifeſtarunt Arianos, & viuo Conſtantino omnes, quantumlibet Arianæ hæreſeos ſtudioſiſſimi in gratiam imperatoris ſe exhibuerunt* Catholicos, *vt ſui ipſius immemor alibi ſcripſit Baronius*, (ſcilicet ita ſimulabant, vt retinerent verba, recederent vero ab interpretatione orthodoxorum, ſuas vero interpretationes in Orationibus & diſcurſibus coram imperatore habitis ipſi paulatim inſinuarent, Arium tanquam Orthodoxum, Athanaſium tanquam heterodoxum aut rixatorem ei commendarent) *ne locum*

quidem noua fidei profeſſio in baptiſmo Nicomedienſi habere poteſt? (Quantum hoc ſophiſma? An vnquam Baronius dixit, ante baptiſmum Conſtantinum nouam fidei confesſionem edidiſſe? An tum temporis moris erat, confesſionem fidei edere ante baptiſmum certis formulis, vt hodie? An quicquam de edita confesſione extat in vita Conſtantini? Si edidiſſet, an non poterat edere profesſionem fidei Nicænæ ſecundum expoſitionem Arianorum?) *audet tamen Baronius triumphum agere hoc loco, & cum res in eo ſtatu ſit poſita vt ipſe quidem falſo opinatur, vt alterum de duobus oporteat aſſirmare, vel Euſebium turpiter eſſe mentitum, vel Conſtantinum ab Ariano Epiſcopo baptizatum inter impios recenſendum; colligere, Euſebium dolo malo eſſe de* Conſtantino *falſa locutum.* (Indicium malæ cauſæ & inordinatæ diſputationis declamatorio more concludere. Mirabitur potius quicunque, qui extra partes eſt, quod Scultetus auſus fuerit, iactare, quod plauſibile argumentum Baronii nullo negotio conuellere velit, quod tamen ab eo, quatenus ad maiorem reſpondere vult, minime factum eſſe oſtendimus, vnde & in verbis his finalibus iterum fere regreditur ad reſponſionem primam, quæ ad ſubſumtionem pertinebat, ſed qua aſſumta, reponſio ad maiorem indirecte annullatur.

OB-

OBSERVATIO XXV.
BREVEM EXPLICATIONEM OBSERVATIONIS XIV. INDIGITANS.

OBſeruatione XIV. propoſui *hypotheſin, de veroſimillima cauſa motus mercurii in Barometro*; *nouam* vt puto; mihi ſane apud quemquam alium, neque auditu, neque lectione adhuc perceptam: Præcipuè quo tempore ipſam conſcriptam ad prælum offerebam, nempe die XXXIII. *Januarii.* Viſa verò tunc mihi fuit propoſitio illa mea ſatis *euidens*, & facilis intellectu: circumſtantiæ vero certæ, quæ poſthac ſeſe exeruerunt, anſam mihi præbent metuendi ne aliter quàm à me determinata eſt, intellecta, incommodæ cui dam opinioni locum præbeat, vnde ipſam hac vice denuo explicare, non abs re fore arbitratus ſum.

Loquitur nimirum dictæ obſervationis §. VII. *de elaſtica expanſione aëris, ponderoſitati* ejusdem, contradiſtincta: & adſcribo *preſſionem* illam, qua *mercurium* in tubo Barometrico afficit, *priori*, non vero, vt hactenùs vno ore fecerunt rei hujus interpretes, *poſteriori.*

Subſequente vero §. VIII. ſtatim moneo, quod *proprie* & veluti vltimò, *expanſionem* hanc attribuam *aqueis halitibus* in aëre vagam

gantibus, & id quidem, vt habent verba, *vnicè, aut certè potisſimum.*

E quibus verbis euidentem eſſe ſpero opinionis meæ ſenſum, nempè, quod *aëris* nomine in §. VII. *generalisſime* tantùm vtar, quatenùs totam noſtram *atmoſphæram* eodem denotare vſitatiſſimum eſt: *neruum* vero totius rei, & veluti *formale* illud, quo *hic aër* ſeu *atmoſphæra* noſtra, *mutationes* illas motui Barometri conciliat, colloco vtique manifeſtisſimè in parte ejusdem, *non aërea* ſtrictè dictâ, ſed *aquea halituoſa*, nunc quidem elaſtica ſui *expanſione* in aëris veluti formam redacta.

Ut adeo mihi nullus ſit ſermo, de *aëris* ipſius *ſtrictè dicti* efficacia, circa ſubſtratam quæſtionem, quæ agit de mercurii in Barometro *Motu*; *motu* inquam, *variante*, modo aucto, modò remiſſo: hunc *motum* ita *variantem*, quæro in aëris noſtri, ſeu *atmoſphæræ* parte *aquea*, modo copioſius, in aërem elata, & in ipſo *expanſa, ſeu elaſticè dilatatâ*: modo ex eodem quaſi *concentrata*, imò planè, pluuiæ forma, *deturbata*.

Cui quidem hypotheſi cum *aëris ſimpliciter* aut potiùs ſtricte ſumpti, *elaſtico*, aut quocunque alio ſuppoſito, *motu*, nihil commune eſſe, res ipſa loquitur.

Dixi vero ſimul in obſeruatione allegata, quod exiſtimem hanc hypotheſin *explere omnes*

nes

eſ phænomenorum circumſtantias. Et allegavi hunc in finem *phænomena* illa præcipua, circa quorum explicationem hypotheſeos euidentia occupata eſſe debet. Moneo verò, eſſe his ita inhærendum, ne cum quibusdam tralatitiis veritati exactæ obſeruationis minus reſpondentibus confundantur, adeoque deinde theoriæ quoque ſuperſtruendæ connexionem fallant.

Eſt vero huius generis præcipua planè ſuppoſitio, deſumpta tamen *de vera & circumſpecta obſeruatione*, quod *Zephyrus*, ab occidente *directo* nobis veniens ventus, minime *profunde*, neque *propere*, *deprimat* Barometron. Imò quod non adeò multo plus hoc *deprimat*, quam *orientalis* nobis ventus illud ipſum *attollit*.

Et quod idem hic *orientalis* ventus, non niſi ſatis *languide*, & diuturniore demum *ſui continuatione eleuationem* hanc perpetret.

Tanto magis exigua eſt illa ſubſidentia, quæ ventum *occidentalem hybernum* ſequitur, quod idem etiam de *orientali* hujus *anni temporis*, notandum.

Maxima vero omnium differentia intercedit inter ventorum quorumlibet *quantitatem* ſive impetũ; ita vt nimium quantum interſit inter nudã veluti aurã ſiue leniter ſpirantẽ *halitũ*, e quacunq; eiusmodi plaga: & inter copioſum, magnis veluti fluctibus ad nos

de-

devolutum, *ventum*. Ubi rationi utique conſonum eſt, quod a *lenibus* illis halitibus, neque tam *conſpicua* mutatio evenire poſſit, quam ab iſta *copioſa*, & *feſtinata* irruptione.

Neque vero ſilentio prætermittenda illa differentia, quando halituoſa illa *humiditas*, primis pluviis in magna copia ex aëre congregata atque *deturbata* eſt; reliqua vero, ſæpe ſatis diuturna pluviæ continuatio, magis immediate ab iſtis ventis, qui illam materiam *aqueam* ad nos advehunt, poſthac ſuſtentatur.

His omnibus recte interſe collatis, facile appariturum ſperamus, quid certi ſit in noſtra Hypotheſi, & quam commode illa phoenomena iſta interpretetur, atque exhauriat, quod nempe Barometron *cito* & *alte ſurſum* pellatur, quando *Boreali* vento, magna quantitas *pruinoſarum* aquearum particularum, in *calidiora* climata deuoluitur, ibique *cito* expanſa, *elaſticam* talem dilationem aeri infert: Quod quidem *Subſolanus* parcius atque levius, ſed quadantenus tamen, præſtat: Contra vero quod *Auſter*, magnam quantitatem *aquoſitatis* ad nos, in loca nempe *frigidiora*, transferendo, non modo perſe veluti, in *pluviam* denſetur: ſed etiam noſtri aëris hactenus *expanſam humiditatem* vna inuoluendo, dilatationem illam *elaſticam atmoſpheræ*, eo ipſo

pſo auferendo , *repentinæ ſubſidentiæ Barometri* locum præbeat. Quod ſimiliter, longe minori tamen gradu, facit *Zephyrus.* Ubi videlicet diverſitas *elaſticæ expanſionis* minoris & maioris, *aqueis* etiam *corpuſculis* ſolennis, repeti debet ex illis,quæ obſervatione noſtra, *de exhalatione aquæ per gelu* monuimus.

Et hæc quidem hac vice, pro hypotheſeos noſtræ vero ſenſu explanando, ſuffecerint: plura, alia forte vice, occaſione evidentiorum exemplorum mutationisBarometri actu obſeruatarum, commodo tempore, ulterius,bono cum Deo, poterunt ſubiungi.

SERIES OBSERVATIONVM.

I. Origines Philoſophiæ myſticæ, ſiue Cabbalæ veterum Ebræorum breuis delineatio.

II. Scholæ an & quomodo ab Academiis differant.

III. Concionum & Examinum catecheticorum differentiæ à Scholis.

IV. Variæ ſententiæ de artibus liberalibus.

V. Michaëlis Sidonii, Epiſcopi Martisburgenſis, vita.

VI. Fabula de Hattone in Ætnam præcipitato.

VII. Liber de tribus Impoſtoribus.

VIII. Pardulphii Prateii Iurisprudentia vetus & media.

IX. Franciſci Hotmanni Tribonianus, it. opuſcules Francoiſes des Hotmans.

X. Scholæ an neceſſariæ ſint & vtiles ad ſtudium ſapientiæ.

XI. Scholæ ad quem ſtatum, & bonorum hominis claſſem pertineant, atque de officio ſapientis in tolerandis Scholarum næuis.

XII. Reſpondetur Scholarum Panegyriſtis.

riſtis. Nævi craſſiores Scholarum: privatæ Scholæ publicis præferendæ.

XIII. Applicatio dictorum de neceſſitate & vtilitate Scholarum ad conciones.

XIV. De veroſimillima cauſa motus mercurii in tubo torricelliano ſeu Barometro.

XV. De Hæreſibus ex philoſophia Ariſtotelico-Scholaſtica ortis.

XVI. Defenſio Cabbalæ Ebræorum contra Auctores quosdam modernos.

XVII. De corrupta per locos dialecticos eloquentia.

XVIII. De copioſa, facili, & concentrata collectione Spiritus Acidi ſumme volatilis ſulphureo vitriolici, & theoretico practica ἀποδείξει generationis eiusdem.

XIX. De Scholis Ante-diluuianis.

XX. De Conrado Vrſpergenſi, eiusdemque Chronico.

XXI. De Guilielmo Poſtello.

XXII. Fides ſcriptorum vitæ Conſtantini Magni.

XXIII. Fabulæ de Parentibus Conſtantini M.
XXIV. Fabulæ de Conſtantino M. & de eius Chriſtianiſmo.
XXV. Breuem explicationem obſervationis xv. indigitans.

INDEX RERVM.

ABælardi error XVI. 12,
Abælardus excuſatur XV. 13.
Academiæ nomen tribuitur & Gymnaſiis II. 12.
Academiarum næui craſſiores XII, 5.
Adam Kadmon XVI. 12. ſqq.
Adam vir ſapiens XIX. 9. 15.
Aër ſerenus humeſcit XIV. 27. 28,
Almarici error XV. 16. 17.
Amicitiæ vituperium Hotomanni IX. 17,
Analytica commendatur in Eloquentia XVI. I 22.
Aqua exhalat frigida & calida tempeſtate XIV. 22.
Aquearum particularum elater aërearum intendit XIV, 29.

Aquei

Eorum motus a ventis XIV, 24.
Aquei halitus denſati coaleſcunt in guttas XIV. 23.
Arabum philoſophorum impietas XV. 10.
Aretinus Petr. an auctor libri de tribus Impoſtoribus VII. 6.
Argumentum vnicum rem omnem ſæpe conficit XVII. 52.
Ariſtotelica philoſophia an hæreſes dederit XV.
Arithmetica IV. 32. 33.
Arnaldus Brixienſis excuſatur XV, 14.
Artes liberales late & ſtricte quid denotent. IV. 1. 2. 3. 4.
Earum oppoſitum quodnam ſit. IV. 5. 6.
Cur ita appellentur. IV. 10.
Diuiſio earum varia. IV. 8. 9.
Scriptores eas exponentes IV. 12-15.
Earum diſtinctio IV. 17-21.
Finis. IV. 23-26.
Auctor quis. XIX, 7.
Auaritiam laudauit Hotomannus. IX. 17.
Auditorum copia in ſcholis inutilis. X. 29. 30.
Auguſtinus auctor numeri ſeptenarii artium liberalium IV. 17.
Auſter aquoſus. XIV. 35.
B.
Bangius notatur XIX. 12.
Barometri phænomena explicantur. XIV. 26.

Barometrico-Meteoricæ obſeruationis exemplum XIX. 38.
Baptiſmi Conſtantino Romæ per Syluestrum impertiti fabula. XXIV. 5. 35. 36.
Dogmata de Baptiſmo Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ. ib. 36.
Bartoliſtæ quinam. IX. 12.
Bechmanni locus citatus, XIX. 2.
Bembellona citatur. VII. 4.
Bonum hominis ordinarium & extraordinarium X. 4.
Bonorum extraordinariorum infimæ claſſi inſunt ſchola. XI, 9.
Boreæ & Euri differentia XIV. 34.
Burneti objectiones aduerſus Sephiroth. XVI. 2. ſq.

C.

Cabbala ſymbolica & dogmatica I. 6.
Symbolica quid. I. 7.
Dogmatica quid & quotuplex. I. 9. 11.
Scriptoribus ſacris nota. I. 10.
Cabbalæ dogmaticæ vſus in explicanda Oeconomia regni cœlorum. I. 12.
Veſtigia in oratione Dominica, epiſtola ad Coloſſenſes & Apocalypſi. I. 13. 14. 15.
Cabbalæ conſenſus cum philoſophia Chaldæorum & Perſarum veteri I. 26.
Cabbala vetus & noua diſtinguenda. XVI. 9. 10.

Cab-

Cabbaliſticorum librorum antiquitas, XVI. 1.
Cabbaliſtis Adam Kadmon quid ſignificet. XVI. 12.
Cardanus an in ſubtilitatibus ſummam libri de Impoſtoribus tribus referat. VII. 4.
Casſiodori diſtinctio artium liberalium. IV. 19.
Catecheſis Moguntina Sidonii. V, 5.
De Catechiſmi ante lapſum & poſt lapſum differentia ſententiæ quædam. XIX. 6.
Conſtantini vitæ ſcriptores & eorum fides. XXII.
Conſtantinus M. ſpurius iuxta Nicephorum. XXIII, 9.
deſcribitur tanquam ſuperſtitioſus. Ib. 15.
De Conſtantini modo perueniendi ad Imperium. XXIV. 1.
eius conſilium ſequendi religionem Chriſtianam. Ib. 2.
ſomnium eius ſubſequens viſionem crucis in cœlo. XXIV, 4.
an baptizatus ſit Romæ per Syluestrum. Ib. 5.
an eius Chriſtianiſmum probent edicta pro Chriſtianis. Ib. 6.
an liberalitas eius in Eccleſiam. Ib. 7.
Conſtantinus interfecit non ſine periurii nota Licinium. Ib. 8.

parricida eſt. Ib.9.
cur Chriſtianorum religionem amplex9 fuerit, ex mente Zoſimi & Iuliani.Ib. 10.
De Conſtantini ethniciſmo vsque ad mortem Criſpi veroſimilia refert *Zoſimus*.ib.11.
eius pontificatus. Ib.
bona opera eius. Ib. 14.
lex Chriſtianis fauens Ib.
aliæ leges. Ib.
hetero doxia.Ib. 16.
Vitia.ib.31.36.
Baptiſmus & obitus eius.ib. 35.
Funebria.ib.35.
Arianiſmi accuſatur&magicæ artis ib.37.
damna reipublicæ illata Ib 24. ſq.
De Conſtantino iudicia & laudes. Ib. 28-37.
eius bonorum operum hypocriticorum, papiſticorum, clero adulantium catalogus. Ib. 32. ſeqq.
De Conſtantinopoleos extructione ſententia Zoſimi XXIV, 20.
eius cauſa ex mente ſcriptorum Chriſtianorum. Ib 21.
Conſtantinopoli relinquuntur ſtatuæ deorum. Ib.
Conſtantinus inter Deos relatus.XXIII. 1.
eius pietas qualis.Ib. 2. 3.
Chriſtianiſmus eius & Zelus fabula eſt. Ib. 3. 4. 5.
Con-

Coniugium eius cum Helena non memoratur Ib. 7.
Corona quid notet Cabbaliſtis. I. 14.
De Catechiſmi Adami cum Lutherano convenientia iudicium. XIX. 6.
Catechiſmi Adami fabula. XIX. 12.
Catechiſmo liberi Adami non indigebant. XIX. 16.
Chriſtus non docuit continuis diſſertationibus. Ib. 6.
Eius methodus diuerſa docendi auditores diuerſos X. 32.
Chriſtiani ſcriptores Zoſimo poſtponendi ſunt in deſcriptione rerum Conſtantini M. XXII. 1.
Chronici Vrſpergenſis editiones XX, 3.
iudicium de eo. Ib. 4.
auctor eius an ſit plagiarius, an continuator. Ib. 5.
Chymia vulgaris parum theoretica. XVIII. 1.
applicatur fere craſſioribus compoſitionibus, non mixtionibus XVIII. 2. 3.
ὑπερορέματα eius. XVIII. 4.
Cicero defendit Topicem XVII. 25.
ſed ideo refellitur XVIII. 26. 27.
cur laudet eam Ib. 28.
citatur aliquis eius locus. VII. 46.
notatur Ib. in notis.
Collegia oratoria. XVII. 48.

Comitia Auguſtana viſit Sidonius. V. 11.
Concilium Tridentinum frequentat Sidonius. V. 11
Concionum & ſcholarum conuenientia. III. 1.
Concionum prolixarum cauſa. XVII, 59.
Concionum origo in ſecta Cainitica, & ſcopus. XIX, 7.
Conciones Sidonii de Miſſa. V. 7.
Enochi XIX, 6.
Concionatores negligunt doctrinam de amore III. 7.
Conradus Vrſpergenſis XX.
Conſilia Iuris Iuſtinianei captioſa. IX. 12.
Conſultatoriæ Iurisprudentiæ clauis. X, 24. 20.
Creatarum rerum claſſes cabbalicæ. I. 14.
Crux nigra inter inſignia Sidonii eſt. V. 9.
Crux Chriſti an Conſtantino apparuerit in cœlo. XXIII. 3.
Crucis Chriſti inuentæ fabula. XXIV. 14, 17.

D

Danielis methodus docendi. X. 32.
Declamatores deſcribuntur. XVII. 45.
Dialectica. IV. 28.
denotat ſæpe metaphyſicam. IV. 34.
de Dinanto Dauid XV. 18,
Diſciplinarum varietas inutilis. X, 14, 17.
Diſciplinis variis vel non quæritur, vel non
Diſcipinuenitur veritas X. 18.
linarum ſtudium comendatur. XVII. 51.

Do-

Doctrina eſt genuina ad eloquentiam via. XVII. 42.
Doctrinæ Iuris inutiles. IX. 5. 6.
Doctrinarũ abſurdarum exempla ἐξάνθολκεῖς ἀμετρίας. XIX. 10.

E.

Eccleſia vetus neglexit peripateticam Philoſophiam. XV. 2.
Eloquentia paucis cognita. XVII. 1.
eius cauſa. Ib. 2. 3. 4.
Eloquentiæ confuſæ fons. XVII. 9.
De Enochi libro ſententia vulgaris. XIX. 5.
eſt ſuppoſititius, XIX. 11.
eius conciones XIX. 6.
ſunt fabulæ. Ib. 14.
Enthuſiaſmus Poſtelli. XXI. 7.
Errores Theodotianorum. XV. 4.
Philoponi. Ib. 5.
Themiſtii. Ib. 6.
Roſcelini Ib. 11.
Abælardi. Ib. 12.
Arnaldi Brixienſis. Ib. 13.
Gilberti Porretani. Ib. 15.
Almarici. Ib. 16. 17.
Dauidis de Dinanto. Ib. 18.
Ioachimi Abbatis. Ib. 19.
Euagrii adulatio de Euſebio. XXII. 8.
Euſebius Auctor vitæ Conſtantini M, XXII. 2.
de eius fide hiſtorica iudicium Socratis Ib. 3.

an Arianus. Ib. 4.
lis ea de re determinatur. Ib. 5. 6.
male ei nimium tribuunt noſtrates. Ib. 7.
Euſebius auctor fabulæ de Conſtantini Chriſtianiſmo. XXIII., 6.
Examina Catechetica conueniunt cum ſcholis. III. 1.

F.

Fabula de Hattone in Ætnam præcipitato a Satana VII. 1.
Similis de aliis, Ib. 34.
Fabula Poëtarum de Gigantibus ſub Ætna ſepultis VI, 2.
Fabulæ piæ Lutheri de concionibus Adami XIX. 3.
Facultates ſuperiores. X. 19.
Fanaticiſmus Poſtelli. XXI. 7.
Felis miraculoſa Sidonii. V. 14.
colloquium cum felium grege. Ib.
Flacii criminationibus reſpondet Sidonius. V. 6.
Flacii epiſtola de Poſtelli epiſtola. p. 358.
Florentini pandectæ. IX. 12.
Freigius notatur. XVII. 32.
Fridericus II. Imp. an auctor blaſphemiæ de tribus Impoſtoribus. VII. 2.
Fortitudo bellica vitæque mollities an ſibi invicem repugnent, XXIV. 30.

G.

Gallia infelicior eſt vſu iuris Iuſtinianei. IX. 14.

Garrulitas nonnullorum vnde? XVII. 57.
Geſſelii hiſtoria Eccleſiaſtica. XXIII. 8.
Gothofredus Iac. citatur. XXII, 2.
Grammatica quid complectatur. IV. 28.
Grammatici audiunt per contemtum purgatæ Iurisprudentiæ profeſſores. IX. 12.
Grammatiſtica comprehendebat artem computandi. IV. 35.

H.

Hariolis fauet lex Conſtantini. XXIV. 11.
Hæreſes ex philoſophia Peripatetica. XV.
Helenæ baptiſmus fabula. XXIII. 11.
extructiones templorum. Ib. 12.
humilitas hypocritica. Ib. 13.
inuentio crucis Chriſti. Ib. 14.
ſuperſtitio. Ib. 15.
Hermeneutica ſapientis. XI. 8.
Hermeneutica Reformatorum non nihil vitii habet reſidui ex Papiſmo. XIX. 4.
Hermeneuticæ regulæ parum obſeruatæ. Ib. 7.
Hiſtorici omnium ſectarum nec mendaces vbique nec veraces. XXII. 8.
Hiſtoricorum plurimorum fides in rebus Conſtantini M. vacillat. XXII: 10.
Hominis eſſentia X. 33.
Hominis miſeria cognita & veritatis vnitas

conſtat tribus partibus. X. 21.
Hotomannus Ioh. non expilauit Paſcalii ſcripta. IX. 18.
Humaniſtæ vocantur Profeſſores Iurisprudentiæ purgatæ. IX. 12.

I.

Ignis Chaldæis cultus. I. 16.
Imitatio Manutii commendatur XVII. 50.
praua gloſſatorum Bulgari, Martini &c IX. 12
Informatio liberorum in ſtatu integritatis. XIX. 2.
negatur a Luthero. Ib.
Informatio liberorũ parentib9 incumbit. X. 10
Eius vitiis quomodo medendum. XI. 4.
Interim liber. V. 8.
Interpretatiuæ Iurisprudentiæ clauis. X. 24. 20.
Ioachimi Abbatis error. XV. 19.
An fuerit controuerſia inter Cainum & Abelem de Iuſtificatione. XIX. 6.
negatur. Ib. 13.
Iudicium non excolitur in ſcholis. X. 38.
Iudicialis Iurisprudentiæ clauis. X. 24, 20.
Iura docendi methodus vetus & hodierna. IX. 9.
Iuris Iuſtinianei vitia. VIII. 9.-12. IX. 4.-8, 10, 11.
Fata IX. 12.
vſu infelicia regna IX. 14.

Emen-

Emendandi ratio Hotomanniana IX. 15.
Ius Græcum Romani interpretationem iuuat. VIII. 7.

L.

Latinæ linguæ vſus in ſcholis publicis. II. 9.
LegatorumMaſſilienſiū ſolœciſmus. XVII. 55.
eius origo. Ib. 56.
Leges Draconis vndecim. VIII. 3.
Romuli. VIII. 5.
Solonis. VIII. 4.
Tabularum. XII. VIII. 6.
ad Legislatoriam Iurisprudentiā clauis. X. 24.
Legum ſtudium vtiliſſimum. IX. 3.
Liber de tribus Impoſtoribus quibus tribuatur. VII. 1. 2. - 6.
Liberos alienos informari in ſcholis parum vtile. X. 10. 11.
Liberorum alienorum imitatio. XI. 4.
Liberi Adami non indigebant ſcholis. IV. 16.
eorum cultus Dei ſimplex. Ib.
Limnæus refellitur. XII. 4.
de eo iudicium Monzambani Ib.

M

Manutii imitatio. XVII. 50.
Mathematicarum ſcientiarum vſus. V. 30. ſeq.

Methodus docendi optima per quæſtiones negligitur in ſcholis. X. 34.
Methodus ſapientis proponendi cogitata. XI. 8.
Metempſychoſis. I. 16.
Meteorum gregis nubium. XIV. 10.
Miracula vexilli ſigno crucis notati. XXIV, 4.
Miſſam concionibus explicat Sidonius. V. 7
Monaſterium Vrſpergenſe. XX. 1.
Morhofii Iudicium de probationibus Topicis. XVII. 39.
Mores antiquos metimur noſtris. XIX. 4.
Poſtelli non culpantur. XXI. 8.
Morum Nabuchodonoſori & Balthaſaris character. X: 32.
Moſes ſacrificiorum & ſabbathi Auctor. XIX. 17.
Mundus per emanationem quomodo ſit a Deo ex mente Cabbaliſtarum. XVI, 17.
Muſica. IV. 33.
N.
Nicephori fides hiſtorica in rebus geſtis Conſtantini. XXII. 12.
Idem facit Conſtantinum ſpurium. XXIII. 9
Fabulatur de ſomnio Conſtantini. 10. 10.
O.
Oratio Dominica continet decem Sephiroth. I. 13.
Ib.

Oratoris genuini requiſitum XVII. 54.

P.

Paganis libertatem cultus ſui permiſit Conſtantinus. XXIV.

Parentes decet liberorum ſuorum informatio X. 10.

Patres eccleſiæ veteris ſtudioſi Cabbalæ. I. 8.

Patriarchales ſcholæ non probantur. XIX. 8.

Perorantium ruditas. XVII. 49.

Pfeifferi Panſophia Moſaica. XIX. 12.

Philoſophiæ Auctor quis. XIX. 7.

contemtus. XVII. 12.

clauis ad eam. X. 20, 21.

ſtudium Deo gratiſſimum. IX. 21.

Philoſophia myſtica pertinet ad hiſtoriám philoſophicam. I. 1.

Quid ſit. I. 2.

diſcrimen a Theologia myſtica. I. 3.

Origo. I. 4. 5.

Plato myſticam theologiam calluit. I. 3

Poſtelli vita. XXI. 1.

elogia. 2. 3.

cenſura de eius eruditione. ib. 4.

Poſtellus Atheiſmi ſuſpectus. ib. 5.

defenditur. ib. 9.

ib. 15.
anMuhammedanis. Ib.
an Proteſtantibus. ib. 14.
Eius epiſtola ad Schwenckfeldium. p. 364.
de ea iudicium Flacii. p. 358.
Poſtelli opinio de regeneratione, p. 367.
Prædicantium vitium. III. 7.
ruditas XVII. 49.
remedium aduerſus eam. XVII. 61.
Prateius commendatur. VIII. 15.
Probationes ad locos referri poſſunt. XVII, 29.
Prouidentiam Dei exponit Ioh. Hotomannus peculiari ſcripto. IX. 19.

Q.

Quintilianus citatur XVII. 46.
Quadriuium. IV. 21.
ordo eius. IV. 34, 37.
Quæſtiones optime docent. X. 34.

R.

Ramazzinus. XIV. 3.
Rapinus laudatur. XVII. 43.
E ratione Poſtellus demonſtrare Trinitatem conatus eſt. XXI. 12.
Reformatores nondum plane erant liberi ab explicationibus Scripturæ S. Papiſticis. XIX. 4.
Regeneratio Poſtelli abſurda. p. 367.
Reipublicæ origo. XIX. 17.
Reh-

Rhetorica. IV. 28.
Roſcelini error. XV. 11.

S.

Sabbathi præceptum a Moſe eſt. XIX, 17.
Sal artificiale XVIII. 8.
Schwenckfeldii hæreſis vbi diſſeminata ſit? p. 363.
Scriptoribus coæuis quanta fides tribuenda. XXII. 11.
Sculteti iudicium de Euſebio XXII. 9.
de Conſtantino M. contra Baronium. ib. 37.
Refutatur. ib. ſeq.
Simon Tornacenſis an blaſphemiæ de tribus Impoſtoribus auctor. XII. 1.
Similia Hottomanni. p. 101. 104.
Socratis methodus docendi. II. 7.
Sophiſtæ. XVII. 11.
Sozomeni fides hiſtorica in vita Conſtantini M. XXII. 12.
Spizelius citatur. III. 5.
Spinoſiſmus an Cabalæ obiiciendus? XVI. 8. 19.
Spiritus vitriolicus Volatilis XVIII. 5.
eius genealogia phyſico mechanica. XVII. 6.

T.

Theoſophiæ clavis.x. 25.
Theodoreti fides hiſtorica in ConſtantiniM. rebus geſtis.XXII. 12.
Topicen Cicero cur laudat. XVII. 28.
Topicorum Canonum futilitas. XVII. 17.
Topici loci temere annotantur in interpretatione Auctorum. XVII.31.
Periculum, ſi ad illos iuuentus ducatur.XVII. 40.
Topicorum locorum effectus. XVII. 47.
Trinitas a Poſtello e ratione nequicquam demonſtrata. XXI. 12.13.
Triuium.IV. 21.
ordo eius. IV. 34. 35.

V.

Veritas vna bona non docetur in ſcholis,X. 26.
Veritas non quæritur, vel non inuenitur in ſcholis,X. 18.
Veritatis neglectus in Eloquentia. XVII. 13.
Via quid ſignificet in voce Triuii. IV. 22.
Virginis B. ſtatua ex Rheæ ſtatua facta.
Virtutes & vitia inhærent animæ à corpore ſeparatæ IX.20.
Viues Ludouicus notatur. IV. 15.

W.

VVovverius ſcripſit de artibus ingenuis.

Z.

Zachariani dicti tortura blaſphema. XIII. 12.16.
Zephyri minus humidi auſtris,ſed frigidi. XIV. 36.
Zohari libri antiquitas.XVI.1.
Zonaras coniugium Conſtantii cum Helena aſſerens exploditur. XXIII. 8.
Zoroaſter. ib. 16.
Zoſimus laudatur ob deſcriptionem vitæ Conſtantini XXII. 1.
Zoſimus defenditur contra obiectiones Sozomeni XXIV.

(o)

VA 1
151 8347